6
10-e
85

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
7 M B
10

Bibliotheca
ri Coll. Rom.
Societ. Jesu

22.C.30.

~~22-C-57~~
6-10 e, 85

Digitized by Google

ORATIONES

BENEDICTI ROGACII

E Societate IESV.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Bib. Sec. Coll. Rom.

ROMÆ,

Typis, & ſumptibus Domin. Antonij Herculis,
M. DC. XCIV.

Superiorum permiſſu.

Ex Dono Authoris

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

THYRSVS GONZALEZ

PRÆPOSITVS GENERALIS

SOCIETATIS IESV.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CVM volumen Orationum, authore P. Benedicto Rogaccio Societatis noſtræ Sacerdote aliquot eiuſdem Societatis Theologi recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint; facultatem facimus, vt typis mandetur, ſi ijs ad quos ſpectat ità videbitur: cuius rei gratia has literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Romæ 19. Decembris 1693.

Thyrſus Gonzalez.

Loco ✝ Sigilli.

Imprimatur ſi videbitur Reuerendiſsimo P. Mag. Sac. Palatij Apoſtolici.

Sperellus Epiſc. Interamnen. Viceſg.

PAnegyricas elucubrationes P. Benedicti Rogaccij e Societate Ieſu vidi, vti à Reuerendiſſimo P. F. Thoma Maria Ferrarij Sacri Apoſtolici Palatij Magiſtro mihi demandatum. Vidi, inquam, oculo luſtrante ſimul ac fruente: elaboratis enim in periodis lilia mixta roſis legebam. Illorum in candore nitens exarata Pietas emicat Scribentis; harum in Purpura, perelegans effulgurat eloquentia Dicentis. Floridum, æquè ac Regium vtrumque decus, ſed non quale vel ipſis in Penſilibus, diei vnius odoratum germinat gaudium, ſed quale immortalitatis in Vere, gemmea, nec vmquam moritura pompa exuberat. Laudandus planè Laudator, cui calamus aurea pro menſura extitit; ad hęroica laureato ſtylo coronanda, ad Cęlituum præclariſſima gęſta exculta oratione decoranda, ad Sanctioris Vitę cultum Iuculentiori ornamento irradiandum. Probis itaque in moribus ac ſacroſanctis Fidei Dogmatibus obliterantem cenſuram non habeo. Sapientiſſimum ſiquidem eorum omnium profero Eccleſiaſten. Non aliter cenſeo, nè malè cenſeam. Ex Conuentu noſtro Sanctiſſimæ Mariæ Virginis de Victoria. Romæ 14. Septembris 1694.

Frater Blaſius à Purificatione Carmelita Diſcalceatus, Theologus, ac ſui Ordinis Generalis Hiſtoricus.

Imprimatur Fr. Thomas Maria Ferrari Ord. Præd. S. Pal. Apoſt. Mag.

AD

AD LECTOREM
EPISTOLA.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

INeptus ſim, candide Lector, animique vltra modum demiſſi, & pueriliter timidi, ſi conquirendas ſolicitè cauſas exiſtimem, quibus meum tibi approbetur de huius libelli editione conſilium. Nam quid alibi vſquam fauorabilioris tandem cauſæ repererim; quàm, quod proprius instituti à me operis, immo & promiſcuus publicorum cuiuſquemodi operum finis ſuppeditat? Voluiſſe me nimirum, ſi emolumenti fòrs quidpiam afferre lucubrationes meæ poſſent; in communes id Vſus, perennibus conſignatum monumentis, expromere: illius vtique memorem humaniſſimæ legis, qua Noſtrùm vnuſquiſque à Naturâ iubetur, non ſibi duntaxat,ſed & ſocio generi vniuerſo procreatum ſe ducere. Enimuero tam præclara honeſtatis Decorique hic effulgurat ſpecies; vt iactationis anſam veriùs præbeat; quàm excuſationis locum relinquat: quique, hac vnâ ratione prolatâ, facturum ſe diffidit Lectoribus ſatis; non communis ille cauſæ fiducia,ſed ſuæmet ſinceritatis conſcientiâ videatur deſtitui: quaſi minùs dignum ſe intelligens, qui publici potiùs Boni, quàm priuatæ rei, ſtudio ad laudatiſſimum cæteroqui conſilium inductus credatur. Nisi fortè inſolentis plùs nimio ſuperbique famam hominis timet, quandocunque non palàm edicat, nihil ſe omnino vtilitatis ac frugis e ſuis vnquam exiturum vigilijs ſperaſſe: illaſque propterea ad vulgandas, cùm alia longè omnia in animo haberet; externâ ſolum-

modo, & maiore vi adactum fuiſſe.

Atqui hac nihil verecundiâ putidius, immo nil humanis quoque vſibus aduerſum & incommodum magis. Fac ſiquidem, modeſtiæ pudoriſque repagula perfregiſſe dicendus ſit, quisquis publicæ rei vel tantillùm a naturâ, ſtudioue ſe ſe vtilem credat; quanta in caſtris deinde, quanta in officinis, & foro miniſteriorum conſequetur, artiumque infrequentia? Quotus iam quiſque Procuratoris ſibi partes, aut Medici ſumere, quotus ſiue ad cauſas orandas, ſeu liberales ad tradendas diſciplinas audebit prodire? Nimirum vix eiuſmodi quidpiam aggreſſi, O palmarem audaciam! O impudentiam non ferendam! O nullius homines frontis! exclamari aduersùm ſe vndique audient. En, qui ſuo indigere nos pręſidio arbitrentur. En, quorum ſuffulciri humeris ciuitas, quorum locupletari copijs atque opibus vita hominum poſſit.

Quod exprobrationis iniquiſſimæ genus cùm nemo planè vnus in iiſdem capeſſendis nunc muneribus timeat: quin e contrario iuſtam omnes laudem relaturos ſe intelligant, ſi opportunitatibus publicis nonnihil conferre, virilique pro ſuâ parte inſeruire ſtuduerint; cur ſoli ſcriptores in metu atque curâ eſſe debeant, ne arrogantiæ ſibi vitio tam munifica imputetur voluntas: illamque hac de causâ nedum liberâ confeſſione in apertum proferre non audeant; ſed ſubdolis inſuper affectatæ modeſtiæ, confictæque neceſſitatis prætextibus, quantum artis eſt in ſe ſe, atque ſtudij, conentur obnubere?

Ego certè nullam adeo verecundiæ hìc probabilis cauſam reperio; vt pudori mihi ducerem magis, tam abſurdas criminationes metuere, tam friuolas excuſationes obtendere. Qui-

bus-

buslibet igitur ſimulatiuncularum iſtiuſmodi offucijs (prout liberum, rectàque innixum mente hominem decet) mearum a candore paginarum reiectis, quod Epiſtolæ ſub initium prætuleram, diſertiùs iam & planiùs profiteor, nullo me Maiorum imperio coactum, ſed vltroneum, deque mei animi inductione ac ſententiâ, literarios hoſce Partus in lucem emittendos ſumpſiſſe: vt, ſi quid inde ad bonarum ſtudioſos artium opportunitatis venturum legitimi exiſtimaſſent cenſores; quantulumcunque id videretur, nullius non expoſitum vſui atque arbitrio pateret.

Neque tamen me fugit, adiuuãdę hoc Propoſitum vitæ, ſuo quàmuis ingenio honeſtiſſimũ, haud omni ſemper vitio carere: quin plus ſæpe a vecordiâ imprudentiâque offenſionis, quàm ab operâ gratiæ, mereri: ſi Author videlicet, temerariam agreſtemque Calabri apud Flaccum (a) Hoſpitis imitatus munificentiam, qualeſcunque præcipitis calami abortus, ſine vllà vel ſeligendi curâ, vel perficiendi ſollertiâ, in Medium exponat. Quo enim pacto aut communis credi queat ſolicitus Boni, qui minimo quouis ſuarum virium conatu ſatis illi ſe arbitratur feciſſe; aut honoris potiùs, quàm contemptùs, vicem a Lectoribus referat, qui vulgaria quæcunque illis munera, tam omiſſo animo, tam nil cogitans, & ſecurus obtrudit?

Sed ſupinam id genus confidentiam, ac temeritatem nemo mihi vnquam obiecerit, cui perſpecta ſit tum ſtudij diligentia, quo in oratiunculis hiſce retractandis ſum vſus; tum iudicij

ſeue-

---

a Epiſt. 7. lib. 1.

ſeueritas, quo non minorem aliarum numerum, quia conſcriptæ properantiùs fuiſſent;ad tenebras & ſilentium reieci: hanc ſcilicet deberi a me Publico reuerentiam agnoſcens, vt, ſi dignum prorſus nequirem; at elaboratum certè, quoad meæ paterentur vires, ipſi munus offerrem. Quapropter, ceu nullam iuſti partem officij præteritam neglectamque mihi eſſe ſum conſcius; ſic verendum minimè habeo;ne hoc, ex amicâ & obſequenti profectum voluntate, mei ſtudij vectigal non æqui, tu itidem Lector, bonique pro humanitate tuà conſulas: neu, ſi quid vſpiam vel in vſu ſermonis, vel in artis officio erratum per inſcitiam deprehenderis; non libenter id Authori condones, qui tibi & ſuos vltro deuouit labores, & cumulatiſſimam a Deo felicitatem precatur. Vale.

IN-

INDEX ORATIONVM.

1 *Maior Diſciplinæ indigentia, vbi maior Ingenij præſtantia. In ſolenni ſtudiorum Inſtauratione. Oratio I. pag.* 1.

2 *Sapientia ideo alacriùs quærenda, quia nullus acquirendæ finis oſtenditur. In ſolenni ſtudiorum inſtauratione. Oratio II. pag.* 27.

3 *Nulla ex liberalibus diſciplinis, ſine reliquarum omnium conſortio, perfecta. In ſolenni ſtudiorum inſtauratione. Oratio III. pag.* 50.

4 *Princeps Alijs, non ſibi. In anniuerſario Gregorij Decimi tertij Pontificis Opt. max. funere. Oratio IV. pag.* 86.

5 *Triumphus ſplendidior, quia ſine Certamine. De B. Aloyſio Gonzagà. Oratio V. pag.* 123.

6 *Humanis in rebus abdicandis de ſolo earum contemptu Victoria. De B. Aloyſio Gonzagà. Oratio. VI. pag.* 144.

7 *Religioſi Obſequij cum Amore Diuino Certamen. De B. Aloyſio Gonzagà.*

gà. Oratio VII. pag. 167.
8 Sanctitas prodigioſior, quia nullis conſpicua Prodigijs. De B. Aloyſio Gonzagà. Oratio VIII. pag. 184.
9 Virtus per ipſam mortis immaturitatem Reipublicæ vtilior. De B. Aloyſio Gonzagà. Oratio IX. pag. 201.
10 Poſthuma virtutis gloriæque abſolutio. De B. Aloyſio Gonzagà: cùm feſto eius die Societatis vniuerſę, ad nouum eligendum Generalem Præpoſitum, comitia inirentur. Oratio X. pag. 220.
11 Eximiæ Felicitatis, heroicæque Fortitudinis Fœdus. De B. Stanislao Koſtkà. Oratio XI. pag. 237.
12 Nouus Legis Euangelicæ Iacob. De B. Stanislao Koſtkà. Oratio XII. pag. 252.
13 Virtus in ſuis perfecta primordijs. De B. Stanislao Koſtkà. Oratio XIII. pag. 267.
14 Prodigiorum, & Virtutum Certamen. De B. Stanislao Koſtkà. Oratio XIV. pag. 283.
15 Cæleſtis vitæ atque indolis Specimen. De B. Stanislao Koſtkà. Oratio XV. pag. 295.
16 Terreſtrium Syderum Curſus. De ſuſcepto
a tri-

a tribus Magis, ad Infantem Deum venerandum, Itinere. Oratio XVI. pag. 309.
17 *Rei Donatæ Poſſeſſio per Donationem auɛta. De Votis religioſis. Oratio XVII. pag.* 330.
18 *Vinculorum Nobilitas. De Votis religioſis. Oratio XVIII. pagina* 346.
19 *Nouum ex Vinculis Potentiæ Viriumque Incrementum. De Votis religioſis. Oratio XIX. pag.* 360.
20 *Libertas perfeɛtior, quia Compedibus vinɛta. De Votis religioſis. Oratio XX. pag.* 378.
21 *Antiqua Epiphaniæ Domini miracula, religioſi ſacramenti nuncupatione inſtaurata. De Votis religioſis. Oratio XXI. pag.* 394.
22 *Ex præterito Munere noua Donationis amplioris Materies. De Votorum Inſtauratione. Oratio XXII. pag.* 412.
23 *Nouitas æquè Iucunda, & Laudabilis. De Votorum Inſtauratione. Oratio XXIII. pag.* 429.
24 *Supremæ argumenta Poteſtatis, ad extremæ Imbecillitatis oſtentationem traduɛta. De Chriſti Domini morte, & cru-*

& cruciatibus. Oratio XXIV. pag. 441.

25 *Vno in Munere Diuinæ totius Liberalitatis Compendium. De Spiritùs Sancti Aduentu. Oratio XXV. pagina* 447.

Ma-

Maior diſciplinæ indigentia, vbi maior ingenij præſtantia.

ORATIO I.

In ſolenni ſtudiorum inſtauratione.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

NVllius auxilio indigere, ſed quoſcunque ad felicitatis gloriæque prouentus per ſe affatim ſibi ſufficere, ceu apprimè conſpicuum diuinæ documentum virtutis, ſic maximè flagrans humanæ ambitionis eſt votum: nil perinde exoptantis, ac eam in mortalis vitæ curſu facultatem ſortiri, qua Nautilus(a) piſcis, ſuũ ipſemet ſibi omne inſtrumentum, cymba, velum, clauus, remigium, maritimos obeundos ad curſus, a naturà præditus fertur. Neque verò in hac tam inſigni laude affectandà culpari iure homines poſſent, ſi, quãto labore atque ſtudio naturalem occultare indigentiam nituntur; tantumdem conatùs atque operis ad eam exuendam conferrent. Nunc contra ſępiſſime accidit, vt, dum inopiæ confeſſionem deuitant; vel neceſſaria quæcunque illius remedia aſpernentur. Perinde quaſi alienæ opis Vſus egeſtatem non inueniat, ſed faciat: aut nullà hæc ratione declaretur, niſi, qua tollitur: aut tolerabilius demum ſit, eamdem perpetuò intra ſinum recondere; quàm, ſemel in aper-

A tum

a Ariſt lib 9. de Hiſt. Anim c. 37. & Plin. l. 9. Hiſt. Nat. c. 29.

tum prolatam, abijcere. Sed in ijs, quæ corporum Vſus deſiderat,vbi & manifeſtiùs indigentia ſe prodit,& natiuæ dignitati derogat minùs, rarior huiuſcemodi inſania: pluresque reperias, qui,difficilem aggreſſuri prouinciam,(a) Vlyſſem ſibi aliquem , ceu magnus apud Troiani Diomedes, periculi gloriæque dari ſocium depoſcant; quàm, qui , extremo circumuenti diſcrimine , imitandam Sergij Manij pertinaciam exiſtiment , ne Collegæ videretur auxilium quæſiſſe; (*b*) *vinci ab hoſte; quàm vincere per ciuem, malentis.* Præcipua erroris ambitioſi materies ingenium, cuius in ſe homines egeſtatem nec perinde agnoſcunt; & multò ægriùs fatentur. Adeo vt inter literarios etiam tyrones non deſint acutuli quidam, qui, (*c*) Ouidianâ cum Arachne,vel Palladem dedignentur magiſtram: &, Præceptorum,quos iuxta Parentes Antiquitas poſuit , inſtitutione abdicatâ , patricijs quibuslibet titulis illud Curtij Rufi elogium anteferant,(*d*)*ex ſe natos videri.* Quibus propterea excellentioris naturæ felicitas nihilo penè vtilitatis plus affert, quàm Nili exuberantior diluuies Ægypto. (*e*) Quemadmodum enim fœcundiſſimus ille, hoſpitalium agrorum nutritor, & terrenus quodammodo Iuppiter, amnis,ſi ſupra legitimam ſexdecim cubitorum menſuram ſe extulit ; adeo telluris fertilitatem non adiuuat; vt inopem potiùs annum , & certiſſimam populis famem , excluſâ propter tardiorem aquarum deceſſum ſationis opportunitate , denunciet; ſic ingenij vis atque copia , vbi in tantum

a Iliad. l. 10.
b Liu. l. 5.
c Lib.6. metam.
d Tac. l. 11. An.c. 21.
e Plin. lib. 18. Hiſt. Nat.c. 18.

tum excreuit, vt neceſſariæ magiſtrorum culturæ, & quaſi ſementi dedignetur locum relinquere; non modò ad debitæ frugis vbertatem non proficit; ſed in miſerrimam inſuper literarij prouentùs doctrinæque ſterilitatem degenerat: renouatis, per ſimilem vtrobique vecordiam, (*a*) Neroniani principatùs diſpendijs, cùm *diuitiarum expectatio publicæ paupertatis inter cauſas* fertur *fuiſſe*. Hanc igitur non ſuarum minùs vtilitatum, externæ quàm opis, contemptricem fiduciam vt, quibus ea innaſci potiſſimùm ſolet, primarijs defendam ingenijs: reique ſimul literariæ proſpiciam, quæ, veluti hoc ab hominum genere præcipua ſibi ornamenta iure optimo expectat; ſic nuſquam alibi triſtiorem facere poteſt ſuę ſpei ac dignitatis iacturam; (*b*) Socraticum illud apud Xenophontem Effatum demonſtrandum mihi hodie ſuſcepi, Excellentiſſima nimirum ingenia diſciplinæ præſidio quàm maximè egere. Non ſum equidem neſcius, quàm negotioſam, & ancipitem prouinciam aggrediar, qui cum ingenioſiſſimis quibuſque Mortalium, adeo ipſe ab ingenio imparatus, mihi lites depoſcam: dum omnimodam præſumentes immunitatem tam audacter in ordinem cogo, & magiſtrorum inſtitutioni, nedum vnà cum cæteris, plùs cæteris etiam, ſubijcio. Sed, tuendæ præter cauſæ æquitatem, exiguarum grande virium ſupplementum & columen, illud etiam bono eſſe mè animo iubet, argumenti quòd in medio propoſiti ſuffragatores tot habeam ac teſtes; quot hoc ipſo in conuentu emeritos ſtudiorum intueor ſapientiſſimos viros: (*c*)

a Tac. 16. An. c. 3.
b Lib. 4. de Fact. & Dictis Socr.
c Cic. ad Brut. Epiſt. 15.

qui, Meſſalæ Tulliani ad exemplum, cùm ingenio in pauciſſimis forent; tantùm tamen euigilarunt in ſtudio; vt huicne, an illi, ſingularem doctrinæ ſuæ laudem plùs debeant, haud perinde pronum ſit definire: illud certè affirmari meritiſſimò poſſit, neque illorum induſtriam ingenio, neque induſtriæ doctrinam concedere.

Age igitur, prodeant in medium magnifici iſti virium ſuarum æſtimatores, venditentque ſatis ſibi a naturà facultatis ſuppetere, ad eos in literis faciendos Progreſſus, quò Aliorum plerique, poſt meliorem æui partem miſerè in gymnaſijs protritam, vix tandem perueniunt. Patior has hominum glorias. Non refello, non improbo, ne ad rationis quidem libellam ſcrupuloſiùs examino. Quantumcunque id eſt Decoris, quod certè perquàm maximum eſt, me vltro concedente, ſibi habeant, exoſculentur, deprædicent. Quid porro? Num etiam iactauerint, præclarum hoc naturæ inſtrumentum vſque adeo contigiſſe ſibi integrum, omnibuſque ſuis numeris vndecunque abſolutum; vt nihil nouarum ei virium, nihil, ad vlteriùs promouendum, auxilij ex quocunque addi poſſit alienæ inſtitutionis conſortio? Cauebunt, opinor, niſi prorſus deſipiunt (a) Quotus enim quiſque, cum Fabio, non videt, ſumma etiam ingenia, per certos incrementorum ordinatim ſuccedentium quaſi gradus, ad plenum maturitatis ſuæ modum procedere: nec vllam conſummationis tam feſtinæ indolem naſci; quæ, vel prima inter ſtudiorum experimenta, & crudos pueritiæ Conatus, nuſquam ſiue a rectà regione tantillùm deflectat; ſiue in ramoſis errorum ambagibus, & difficultatum ſalebris hæreat: liquidiſſimo ſed con-

---

a Quintil. l. 1. c. 1. *Sed eſt ſua etiã ſtudijs infantia: &c.*

confeſtim intuitu recta ab obliquis, ab inanibus ſolida, a fucatis ſincera dignoſcat: &, Phæacum ceu naues, perfectâ ab Homero ſcopulorum, viarum, (*a*) litorumque omnium ſcientiâ donatæ, citra vllius gubernatoris auſpicium, inoffenſo ac celerrimo itinere ſupremam eruditæ nauigationis ad metam decurrat ? Atqui, ſi diuinam eiuſmodi ſortem vindicare ſibi minimè audent: (*b*) ſed, tum certiſſimo Tullij teſtimonio, tum manifeſtæ veritatis euidentiâ reuicti, liberalium diſciplinarum tyronibus, quicunque demum ij ſint, neceſſariam omnino, cum ad celeriores ampliores ſque proceſſus, tum ad expeditiorem ab erroribus curſum, alienæ decoctioris prudentiæ gubernationem fatentur; iam & illud planiſſimà conſecutione fateantur, neceſſe eſt, nullos ex omnibus hoc magis adiumento indigere, quàm, qui cæteris omnibus ingenij prærogatiuâ antecellunt. Cùm nullos, quàm huiuſmodi homines, (quemadmodum demonſtrare iam ſtatim aggredior) aut, ſi idoneum nanciſcantur doctorem; locupletiores ſcientiæ prouentus referre; aut, ſi eo deſtituantur; faciliùs offendere, grauiùſque prolabi contingat.

Cuius argumenti pars prior, per ſe quàmuis minimè obſcura, vt vulgari in exemplo perſpectior adhuc omnibus fiat; proponite vobis ob oculos diuerſa tria genera aruorum. Primum emaciatum, exuccum, ieiunum, cuiuſmodi illud, in quo malos mores ferendos, ſi qua ratione interfici poſſent, (*c*) Comicus non illepidè aiebat: vtpote quod, felici quantùmlibet anno, tribus tantis redderet minus, quàm ſerente ab agri-

a Odyſ. l. 8.

b Lib. 7. Ep. Famil. Ep. 19. *Cogitare debebis, nullam artem literis, ſine interprete, percipi poſſe, &c.*

c Plaut. in Trinum.

colà acceperat: alterum mediæ cuiuſdam naturæ, non illud pœnitendum colono, ſed neque idem plùs nimio iactandum, cuius plurima paſſim exempla: tertium poſtremò admirandæ cuiuſdam inexhauſtæque opulentiæ, (*a*) quales Leontinum in Siciliâ, Bæticumque in Hiſpaniâ, centeſimo frumenti reditu nobiles agros, & fœcũdiorem vtroque Bizacium in Africâ campum Plinius commemorat: vnde videlicet, præter ordinarium ſeſquicenteni fructùs vectigal, quadringentarum paucis minus ſtipularum, ex eodem ſe grano fundentium, numeroſiſſimam ſyluam ſuus Cæſari Auguſto procurator tranſmiſit. Quemnam, rogo, ex hiſce tam diſparibus campis egentiſſimum curæ arbitramini? Enim vero res ipſa per ſe loqui videtur, extremoque poſitum loco indigentiorem tantò reliquis ſtodere; quantò & impenſam ſibi operam quæſtuoſiùs rependit; & neglectus iacturæ plus facit. Nam, ad primum quod attinet; nil ex eo, præter famem atque inopiam, meſſueris: malignè adeo reſpondet. Alter verò, & ſi cum fœnore aliquo ſementem reſtituit; quàm minori tamen mercede exercetur; tam leuiori cum ſuo, & publicæ rei damno negligitur.

Si ergo fertilitatis natiuæ decempedâ culturę neceſſitatem in aruis metimur; quidni ex ingeniorum etiam felicitate, quanta iiſdem ſit doctoris indigentia, æſtimemus? An non, quemadmodum cultu Noualibus, ne vllâ ſine fruge otientur; ſic diſciplinâ eſt Iuuenum animis opus, quò ad plenam maturamque ſapientiam perueniant? An non, ceu feracior ibi tellus opimiorem ad prouentum coloni diligentiâ perducitur; ſic natura hic viuidior excolenti magiſtro vberiores do-

a Lib. 18. Hiſt. Nat. c. 10.

doctrinæ manipulos debet? Agedum, propoſitis hactenus terris totidem æquè diſpari animorum ſortitu Adoleſcentes ſuccedant. En primus, pro Plautino illo fundo, quadratis bene humeris, toroſis ceruicibus, fronte deiectâ, rigido obtutu, ſemihiantibus labris, auribuſque in immenſum productis, contemplandum ſe obijcit Margites Homericus, *veruecum in Patriâ, craſſoque ſub aere natus*, (a) piſtillo quouis obtuſior, totus pulmo, ambulans fungus, bipes teſtudo, viua ſtuporis effigies, nudumque hominis nomen, & ſimulacrum inane, vitalis quod tedæ fumo potiùs, quàm calore, Prometheus afflauerit. Quiſnam, dicite amabo, Lyſippus aut Phidias Mercurij vel rudimentum ex ficulno iſtiuſmodi caudice effinxerit? (b) En Laertij poſt illum Xenocrates, non ineptæ prorſus ad literas, ſed neque item feliciſſimæ indolis. Sexcentos, ſi libet, ei Platones adiungite. Stimulare quidem tarditatem hominis poterunt; volare certè nunquam docebunt. En tertius poſtremò, quod felix fauſtumque, Mirandulanus aliquis Picus, cœleſtium typis mentium excuſus, ingeniorum Phœnix, & naturæ prodigium. Quid omnis diſciplinæ capacius? Quid ad ſumma eruditionis faſtigia occupanda æquè factum? Quantò hic tradita ſibi Præcepta, totumque adeo præceptorem celeriùs comprehendet, ac pleniùs? Quantò plura ex auditis ſuomet mox Apolline eruet, inque Vſum depromet? Quantò, ſi rectum ipſi iter aperiatur, primæque explanentur veluti ſalebræ, in vlteriora ſe ſpatia velociùs effundet? Quantò copioſiora doctrinarum multigenerum lucra cumulabit eo tempore,

a Iuu. Sat. 10.
b Laert. in Vita Xenocr. & Plut. de Audit.

re, quo in rectâ diſcendi ratione perueſtigandâ inueniendâque, ſibi tantùm relictus, hæſiſſet? Et dubitabimus, quin, ceu Bizacio illi Solo, tantò ipſi quoque neceſſaria ſit magis alienæ induſtriæ expolitio; quantò eà vel adiutus plùs proficit, vel orbatus detrimenti plus capit? Hic, hic enimuero, ſi rectè calculum ponit; magiſtro informandum perficiendumque ſe penitùs tradat. Huic viciſſim excolendo ſe totum magiſter impendat. Nuſquam alibi fructuoſiùs labor ſuſcipitur: maiori nuſquam cum damno ceſſatur. Rectè Ariſtippus, cùm, inter naufragij diſcrimen trepidanti, (*a*) neſcio quis e vulgo nautarum pauorem philoſopho indignum, ſecurus ipſe immotuſque, exprobraſſet; nil mirum, reſpondit, ſi non eodem vterque animi habitu forent, quando non pares vrgerent vtrumque ſolicitudinis cauſæ. Illi quippe non niſi nebulonis ignauiſſimi iacturam timendam, cuius perinde vita, & mors eſſet: ſe verò Ariſtippi pro ſalute animâque metuere. Eodem & ingenia iudicio æſtimanda. Facilis viliorum iactura. Tam in ijs deperit parum; quàm vulgare ſeruatis eſt pretium. Exaggerata & ſublimia parem magnitudini ſuæ curam efflagitant. (*b*) Primis non multum ſeſe exhibiturum negotij Tullianus ille Antonius aiebat, qualemcunque demum operam ſtudijs nauarent, immo & proletarijs quibuſdam authorem præterea futurum, infelici vt labore deſiſterent: altera eo ducebat in numero; vt, quò enixè contenderent, non hortatibus ſolummodo agendum; ſed vel obſecrationes adhibendas putaret.

Quæ meum ego apud animum reputans, non poſ-

a Gel. lib. 19. c. 1.
b In lib. 2. de Orat. c. 8.

poſſum, quin vehementer commouear, dum Adoleſcentum complures in ſummam literarij profectûs ſpem genitos, & quantęlibet ſapientiæ capaces, alienis quòd excoli dedignentur Præceptis, ſua inter rudimenta, debitæ abſolutionis gloriâ fraudatos, nilque dignum ſe præſtantes, conſeneſcere intueor. Eſto, ampliſſimis naturæ diuitijs ſuos longè vltra Æquales circumfluant. Quis tamen fortunarum, vel regalium, eſt fructus, niſi locuples dominus ad poſſidendi felicitatem vtendi quoque artem adiungat? An non, ſplendidâ quadam, ſed vel ideo plùs miſerâ, egregias inter opes inopiâ laborans, id & ipſe meritiſsimò audiet, quod neſcio cui, magnificam quidem, ſed vſui minimè aptã domum habenti, vel miſerans, vel irridens inclamauit poeta, *Quàm bene non habitas?* (a) Eſto, aurea, & communi perquàm luto nobilior animorum ijs temperies contigerit.(b) *Abdita quid prodeſt generoſi vena metalli, ſi cultore caret?* Nonne, quanta in medium prolatæ excoctæque vtilitas foret; tantum eſt ſic deſertæ, natiuaſque inter vmbras conſepultæ diſpendiû? Eſto, vel nullis ſcholarum auditionibus tincti, exerente ſe vltro innatæ alacritatis vigore, permulta tum ſollerter inueniant, tum ſplendidè edifferant, tum acutè concludant: nec, ſiue rimanda in diſputantium hemicyclis veritas ſit; ſiue declamanda in Academijs controuerſia; ſeu pangendum in muſarum vmbraculis carmen; intelligentiæ ſubtilitatem, verborum nitorem, ſententiarum lumina, orationis copiam deſiderent. Omnia iſthæc natiuæ argumenta virtutis quid referunt, niſi ea *magni, neglectique ingenÿ*

a Mart. l. 12. Ep. 50.
b Lucan. vel Ouid. ad Piſon.

veſtigia, (*a*) ex quibus inter Scauri declamationes idemtidem obuijs colligere, iuxta Senecam, audienti fas erat, *non quantum ille oratorem præſtaret, ſed quantum deſereret*; aut niſi eum lignorum faſciculum, ex cuius concinnà geometricàque ordinatione ſumma quæque aſſecuturam, (*b*) ſi digno expoliretur cultu, Protagoræ adoleſcentis ſollertiam cognouiſſe Democritus fertur? Quid, inquam, exiſtimari aliud poſſunt, niſi manifeſta quædam indicia tantò vlteriorum progreſſuum, quibus, cùm idonei per natiuam habitudinem ſint; nuntium tamen per inertiam remittunt? Solatia hæc iacturæ quis vocat? Irritamenta ſunt potiùs doloris. Non damnum rependunt, ſed euidentiùs declarant: nec culpam excuſant, ſed impenſiùs exaggerant. (*c*) Certè in Athenienſi Republicà, quò ciuium præſtantior quis erat; eò traditur inuiſior fuiſſe, ſi ſuam detineret otioſam virtutem: vtpote illius criminis reus. (*d*) quod cuidam opum ſuarum ſordido potiùs veſpilloni, quàm liberali nutricio, Dionyſius exprobrauit tyrannus, vtiliſſimæ videlicet rei per ignauam defoſſionem inutilis factæ. O indolis ſuæ proditores, florentiſſimo naturæ patrimonio tam perditè adminiſtrando, commeritos, vt, tanquam furioſis Nepotibus, (*e*) *interdicto omne adimat ius prætor, & ad ſanos abeat tutela Propinquos!* O pulcherrimo cœli munere indignos, quod inſolenti adeo negligentià corrumpunt! Erraui, Auditores, erraui, dum huiuſmodi homines ex immodicà natiuarum dixi opum fiducià deſipere.

a Lib. 5. Controu. in Præf.
b Gel. l. 5. c. 3.
c Xenoph. de Rep. Athen.
d Plut. in Apophth.
e Hor. Sat. 3. L. 2.

re. Non illi ſua Bona ſuperbo admirantur iudicio, ſed indecoro faſtidiunt contemptu : nec maiora ſuis viribus de ſe ſibi promittunt, ſed, quod aſſequi reuerà poſſent, minùs intelligunt, dum nullà propemodum curà dignantur, minimæque in loco iacturæ, ſi amiſerint, ponunt: nimiùm ſanè quantùm diuerſi a ſapientiſsimo imperatore Metello Numidico: (*a*) qui, rebus inter belli Iugurthini principia proſperè & laudabiliter geſtis, vſque adeo neutiquam ignauior eſt factus; vt, teſte illius expeditionis ſcriptore, tantò enixiori ſolicitudine, quæ ſupererant, omnia curaret; quantò prima feliciùs ceciderant: gnarus pro acquiſitę magnitudine gloriæ damnum itidem fore, quodcunque dein ſibi ex minori ſedulitate ac prouidentià eueniſſet.

Quid igitur ? Impunè ſocordiam hanc ferent? Non vtique magis, ac in vetere olim Quiritium Republicà qui *agrum ſuum ſordeſcere* per negligentiam *paſſi fuiſſent, ſiue arborem vineamque derelictui habuiſſent.* (*b*) Quemadmodum enim ijs par imponi ſolebat a cenſoribus Multa; ſic hiſce etiam melioris fundi ſui deſertoribus eam Sapientia Notam inurit, qua ſuperbis nulla ingenijs vel conuenientior accidere poſsit, vel grauior: vt, quibus nimirum naturæ dignitate antecellunt, eoſdem doctrinæ cēſu atque glorià ſibi videant præferri. Numquid enim non permultos habemus præ oculis, mediocria illos quidem ſortitos ingenia, qui tamen, iuxta Homericum illud de Marte, & Vulcano, (*c*) *celerem aſſequitur tardus*, audiendi patientià, conſulendi aſsiduitate, pertinacià addiſcendi, & ſoli-

a Salluſt de Bello Iugurth.
b Gel. l. 4. c. 12.
c Odyſ. l. 8.

lidiora ſcientiæ fundamenta ponunt, & perfectiores animi partus in lucem emittunt, & celebriorem ad eruditionis famam perueniũt; quàm Alij non pauci, quorum e contrario capaciſſimas indoles minor cura expoliuit › Impeditioris linguæ hominibus ſimiles, quos hac ipsà de causà, (*a*) cùm intériori fine ſpiritu proloqui nequeant, altiorem cęteris vocem emittere Ariſtoteles tradit: certiſſimamque ſuo etiam exemplo aſtruentes Demoſtheni fidem, (*b*) qui ſolenne viſitatumque id humanis eſſe in rebus confirmat, negligentium vt opes ad ſtrenuos & laborioſos deueniant.

Multum eſt in naturà, non abnuo, quoſuis artium ad Vſus momenti: ſed & illud viciſsim contendo, eruditi laboris conatu naturam perſæpe ſuperari atque corrigi: ſubſcriptorem mei Dicti habiturus Græcorum prudentiſsimum Neſtorem, (*c*) qui, curule ad certamen Antilochum filium erudiens, licet minimè ab equis paratum, deſperare tamen vetuit victoriam: vt quæ non natiuis perinde Iugalium viribus, ac Regentis compararetur ſollertià: immo nullius non relaturus ſuffragium, qui ſeipſum tantummodo, & ſuam paulò attentiùs conditionem inſpexerit. Vt enim nulla aliunde ſe offerant teſtatiſsimæ rei monumenta: (*d*) vt nihil ad demonſtrandam eam faciant duo illi à Lycurgo propoſiti catuli, quorum diſpar genus cùm eſſet; non pro illius tamen, ſed pro educationis diuerſitate mores fuerunt: vt ſileatur ſeu de Furio Creſino, (*e*) cuius tenuis agellus culturæ bene-

a Probl. 35. Sect. 11.
b In Philip 1.
c Homil Iliad. l. 23.
d Plut. in Apophth. Lacon.
e Plin l 18. Hiſt. Nat c. 6.

beneficio in eam exuberauit frugum opulentiam, quę apud Vicinos non inuidiam admirationemque duntaxat, ſed vel magicæ ſuſpicionē artis moueret; ſiue de Athenienſi Oratore, (*a*) qui, corporis habitu forenſes ad cauſas ineptior, naturæ malignitatem vſque adeo diligentiā emendauit; vt actio vel præcipuum, ſi Æſchini credimus, illius eloquentiæ decus euaderet, & *alterum Demoſthenem mater, alterum enixa* videretur *induſtria:* vt hæc, inquam, & alia huiuſce generis plurima omnino inobſeruata atque indicta relinquantur exempla; ſatis certè perſpicuum, omnibuſque par reliquis vnum eiuſdem argumentum veritatis hominum ſibi quiſque ſuppeditat. Nam quid eo (rationem ſi excipias) in totā cæterarum vniuerſitate Animantium pauperius, quid æquè indotatum ac nudum producitur? (*b*) Declarant enimuero percelebres togati illius Momi querelæ, communem Parentem in inuidiam vòcantis, quòd, cùm brutas & ignobiles pecudes has villis, ſetiſue; illas ſquamis, aut teſtis; pennis alias & plumis; vniuerſas poſtremò conuenientium ſibi rerum notitiā inſtructas præditaſque voluerit; nos vnos ex omnibus, quorum vel maximè opportunitatibus conſultum decuerat, improtectos, inermes, egenos, ignaros, abortiuum quaſi onus, proijciat in lucem veriùs, quàm pariat. At o criminationes multò iniquiſſimas! Planè quaſi Ratio & induſtria, quæ propria hominis ſunt inſtrumenta, quantamcunque mutarum ſupellectilem pecudum non ſatis compenſent, non vſu atque pretio longiſſimè excedant. Nullas a naturā veſtes accepimus. Quid tum? Reliquis Ani-

a Val. Max. l. 8 c. 7. & 10.
b Apud Plin. l. 7. in Procem.

Animantibus vniuerſis commodiùs elegantiùſque amicimur. Inermes creamur. Eſto: validiora tamen natiuis ſeu leonum, ſeu tigrium, cum ad propulſandam, tum ad inferendam vim, arma procudimus. Nullum fortaſſe animal quà noxiorum, quà vtilium imperitius producitur. Sed & nullum certè perfectiùs ad omnem iſtiuſmodi rerum ſcientiam diſciplinæ beneficio informatur. Paucis. Quos omnium egentiſſimos finxit naſcendi conditio, locupletiſſimos omnium ſollers eruditio refingit. (*a*) Tantum eſt (vt cum Antiphone poetâ rem tranſigam) ſolà in arte præſidij: adeoque hac exculti vel ijs facilè ſuperiores euadimus, quos reliquo facultatum munerumque apparatu liberaliùs exornauit Natura.

Pergite igitur, qui vobis plùs æquo de ingenij exuperantià placetis, ſapientiæque ac diſciplinarum omnium imaginem veſtris in mentibus naturæ ſolius manu ita expreſſam iactate; vt in Regis Epirotici (*b*) gemmà citharœdum Apollinem, nouemque ſuis ſingulas cum Inſignibus muſas diſpoſitæ, citra vllius artificis operam, genitiuæ conformauerant maculæ. Concedatur hæc vobis tam eximia & ſingularis felicitas. Num tamen (a veſtro ne diſcedam exemplo) percelebre illud inſolentis picturæ prodigium, memorato quod Pyrrhi in achate, ceu ludicrum quoddam imitatricis ſuæ imitamentum, adumbrauit Natura, par fuiſſe opificij elegantià tot alijs dicetis, ad perfectiſſimam Veri ſpeciem exactis, & tantùm non ſpirantibus ſignis, quæ illuſtrium artificum Polycleti,

ſeu

---

a Apud Ariſt. in quæſt. mech. c. 1. *Arte ſuperamus ea à quibus natura vincimur.*

b Solin. c. 10.

ſeu Mentoris labor eàdem ex gemmâ potuiſſet exculpere? Aſpernamini, vt libet, magiſtrorum qui ductu ad ſapientiam nituntur, &, ſeruilia ceu capita, vulgariſque notæ animas, per ludibrium traducite. Romanus ille iuuenis quoque, proauorum illuſtrium ſæculis plenus, & authore ſui ſanguinis Cecrope inflatus, humilioris loci atque ordinis ciues immani ſupercilio obterebat. Cuius tamen patricium tumorem cenſorius poeta non difficilè exploſit: (*a*) oſtenſo hinc Conſulari, qui, obſcuriſſimis Parentibus natus, vindicandâ ab interitu Patriâ, publici ſibi Parentis, & tantùm non Romuli alterius ſplendidiſſimum comparauerat nomen; hinc plurium Imperatore palmarum; qui, Natalium anguſtias virtute eluctatus, & ignobili ex municipio ſupremas ad armorum præfecturas productus, triumphalem lauream duratis paterno ligone manibus in Capitolini Iouis gremio poſuerat. Cùm ipſe interim, generis ſolius titulis clarus, nullum Sui Vſum præberet Reipublicæ, nullo ſibi excellenti Promerito manſuram oppigneraret apud Poſteros famam, *nil, niſi Cecropides, truncoque ſimillimus Herma.* Quid, ſi alieno ſub nomine de vobis Satiricus luſerit? Quid, ſi ex illis gymnaſiorum vmbraculis, quæ non ſecus, ac plebeij quoddam laboris piſtrinum, deſpicitis, prima doctrinarum lumina, ſapientiæque oracula in publicum Orbis theatrum videatis prodire? Quid, ſi eos, quibus in præſentia tenuiorem ob ingenij Cenſum illuditis, pertinaci aſſiduoque ſcholarum labore omnigenam ad literaturam excultos, conſulant Principes, auditoria mirentur, honeſtiſſimis ciuitates ſtipendijs accerſant, elucubrata volumina

a Iuuen. Sat. 8.

na in omnem poſteritatis memoriam tranſmittant? Vos verò, quibus tantò expeditior ad eiuſmodi honores patuiſſet via, otioſâ atque rudi magnorum progreſſuũ facultate contenti, ſolidæ principatu eruditionis amiſſo, meram altioris ingenij, neque illam ſat plenam, & longùm ſuperſtitem, ſed vobiſcum interituram, laudem feratis? Parumne, quæſo, id dedecoris fuerit, ab ignobilioribus anteiri, minoribus de glorię primatu concedere? Serò Hannibalem quondam pœnituit (a) Cannenſi haud vſum fuiſſe victoria. Videte, ne & vos aliquando pœniteat, in hac nimiùm acquieuiſſe, qua veſtros Æquales ſuperatis naturæ præſtantia. Ni eiuſmodi vrgeatur victoria; quàm vereor, ne, omni corrupto tanti Decoris fructu, quos ingenio nunc vincitis, ab eorum compluribus ſapientiæ mox laude vincamini: & vera ſenſiſſe comprobetis Zenonem, (b) dum celeberrimam Heſiodi ſententiam, primò ponentem loco, qui per ſe ſapiat, ſecundo, qui ſapientiorum Præceptis auſcultet; in contrarium reflectendam putauit, primas docili tribuens, ceu qui ad veritatis intelligentiam operis quoque Effectum adiungat.

Non tamen hæc, quam perſecuti hactenus ſumus, vberioris prouentûs iactura, & fœda poſt inferiores hærendi ignominia ſummum id eſt, quod culturæ inprimis egentes eximias Adoleſcentum indoles faciat. Maiore fortaſſe illis adhuc neceſſitatem iniungit altera a nobis propoſita ratio, quòd, niſi diligentem ac ſtrenuam idoneo præceptori nauauerint operam; nemò te-

a Liu. l 22. *Vincere ſcis, Hannibal, victoria vti neſcis.* & lib. 26. *Adita vox Annibalis & cæt.*

b Laert. in eius vita.

temere alter in errorum Abrupta facilius grauiuſque deuoluitur. A nobis verò, inquam, propoſita ratio? (*a*) Immo a philoſophiæ, vt ſic loquar, genio, & naturæ totius myſtagogo, Ariſtotele, dum maiorum gentium ingenijs *dementiæ miſturam* aſsignare non dubitat: immo & ab Ariſtotelis ipſius, (*b*) ac ſapientiſsimi cuiuſque magiſtro, Platone, cui nulla, huiuſmodi quàm hominum, natio prauitatis, & ſummæ quidem, capacior videtur. Nec immeritò ſanè. Ecquis enim omnium ignorat, ita comparatam a naturà egregiam quamque indolem eſſe; vt, ſiue hanc, ſiue oppoſitam in partem ſe dederit; nihil vſquam vulgare & exiguum promittat? Videmus id paſsim in agris: (*c*) cùm non ſola Græcum apud vatem Ægyptus Malorum fœcunditate Bonorum opulentiam rependat, neque Atticæ tantùm telluris ſit proprium, (*d*) cum optimi mellis prouentu præſentiſſimi copiam veneni coniungere; ſed vnumquodque communiter Solum, quantò locupletiori frugum fœnore colenti reſpondet; maiori tantò vbertate in noxias atque inutiles herbas, neglectum, luxuriet. Videmus in animalium generibus, quorum ceu nullum naturæ præſtantià comparari cum homine poteſt, reliquorum omnium imperatore atque principe; ſic nullum eodem, ſuà quoties innatà vi abutitur, ad omnem a (*e*) ſapientiſſimis viris malitiam immanitatemque cenſetur proiectius. Videmus in populis generoſiora fortitis ingenia, vbi vix vllus me-

a Apud. Senec. de Tranqu. An. c. vlt.
b Lib. 6. de Rep.
c Hom. lib. 4. Odyſ.
d Plut. in Dione.
e Plat. 6. de leg. & Ariſt. l. 7. Ethic. c. 6. & L. 1. Polit. c. 2.

mediocritati relinquitur locus;(*a*) ſed (quemadmodum de Athenienſibus nominatim accepimus) & proborum ſingularis eminet virtus, & peccantium communi modo iniquitas maior. Videmus poſtremò in hominibus, quos inter excellentiſſimi quique, & ad omnem laudem maximè facti, cuiuſmodi Græcum (*b*) Alcibiadem, ac Pœnum (*c*) Hannibalem fuiſse proditū eſt, nobiliora perſæpe in contrarium exempla ediderunt, non minorem adepti criminibus, egregijs quàm operibus, famam. Nimirum quæ cicutæ fertur (*d*) eſſe natura, vt vino temperata ſui malignitatem veneni congeminet; eamdem & in vitijs obſeruare fas eſt, eximiarum a conſortio virtutum maiorem nocendi efficacitatem trahentibus: quatenus, Contrarij ſui bonitate corruptà, illiuſmet armis & viribus improbitatem ſuccingunt: qua rite inſtructà & armatà nihil eſt (vt hoc loci Philoſophus (*e*) notat) immanius, nihil metuendum ac peſtiferum magis. Hæc igitur cùm ita ſe habeant, cùmque alterà ex parte felicitatis plùſquàm humanæ videatur, nunquam ſeu errare, ſeu labi; quid, rogo, conſequitur, niſi luculentiſſima ingenia, ſuo ductu præſertim graſſantia, tantò tum aberratura eſſe cæteris longiùs, tum grauiùs caſura; quātò & celeriori niſu, & altiori tramite per diſciplinarum ſpatia feruntur: eorumque propterea ſingularem naturam perinde maiori, vbi offendat & peccet, detrimento futuram; ac exitij plus Patriæ perinſigni ſuà tū Curio eloquentià, tum fortitudine Scæua attuliſſe traduntur:

a Plut. in Dione.
b Æmil. Prob. in Alcib.
c Liu. lib. 21.
d Plut de Adul. & Amici diſcr.
e Ariſt. loc. ſupra cit.

tur: (*a*) Ille *ingenioſiſſimè nequam, & publicè Malo facundus*; (*b*) Hic *Pronus ad omne nefas, & qui neſciret, in armis quàm magnum virtus crimen ciuilibus eſſet*?

Præterea, quemadmodum naturalis hiſtoriæ monumentis eſt proditum morbi genus olim fuiſſe, (*c*) quod intactam plebem tranſiret, nobilitati duntaxat & viris ſummatibus graue; vtque palàm experientia confirmat, validioris & athletici habitùs corpora certis vitijs patere, quæ imbecillioribus hoc ipſo nomine metuenda ſint minùs; ſic in literis quoque non nulla reperiri ſat conſtat, mediocritatis vltra limites poſita, ſplendida, generoſa, & patricia, vt ſic loquar, delicta, a quibus humiliores, ſegnioreſque naturas ſua facilè conditio tuetur. An non talia quis vocet ſiue in arte dicendi ſtylum ex magnifico turgidum, ambitioſèque accerſitis, & præter modum, atque locum congeſtis vellicantium ſententiarum, vibratorum acuminum, translationum immanium, pugnantium membrorum, cæteriſque de hoc genere ornamentis deprauatum veriùs, quàm comptum; ſiue in altioribus diſciplinis periculoſæ nouitatis licentiam, propoſitionum audaciam, maius ſubtilitatis, quàm roboris, ſtudium, & argutis futilium ſophiſmatum, ac paradoxorum præſtigijs admirabilitatem quæſitam? Quæ ſanè delicta quantùm & ſapientiæ ab officio diſcedant, & Reipublicæ incommodent, luculentiùs, quàm vellem, vos o præclariſſimæ, modò mihi dictæ, Facultates teſtamini: tu nempe, Diuinitatis diſcipula, fideique orthodoxæ grauiſſima inter-

a Paterc. l. 2.
b Lucan. l. 6.
c Plin. l. 26. Hiſt. Nat. c. 1.

pres, Theologia, pluribus iam, heu, profanata inſanarum opinionum portentis, quàm ſyderum Regiam belluis ac monſtris poetæ infamauerint, (a) *quorum carminibus nihil eſt, niſi fabula, cælum*: nec tu minùs, animorum regina Eloquentia, vtinam in literarijs duntaxat palæſtris, ſed, quod magis dolendum, in templorum etiam ſanctiſſimis roſtris, eneruata, corrupta, omni robore exuta, & a vero ineundo cum vitijs certamine, teque dignis reportandis triumphis ad inane laudis aucupium, ad declamatoriam leuitatem, ad oſtentationem, ad ludum, ad pompam, non abſque grauiſſimo tuæ ſimul exiſtimationis, publicæque vtilitatis diſpendio, traducta. Quàm verò ſit factu procliue, viuidioris vt animi iuuenes, ni perito rectori moderandos in ſtudijs ſe dederint; vel falſum inuitantis gloriæ ſplendorem ſecuti, vel honeſto, ſed nimio, efferueſcentis naturæ impetu abrepti, ad eoſdem hoſce ſcopulos curſum impingant; nemo vnus profectò, qui humanis in rebus aliquid videat, non videt. Cùm præſertim & publici plauſus, queis huiuſmodi vitia, ceu virtutibus ipſis maiora, virtutis quia modum tranſgreſſa, imperitum vulgus concelebrat, ad conciliandos eiſdem vel prudentiorum animos, perquàm plurimùm valeant; &, qui ingenio præeminent, tanto plerùmque illius oſtentandi ſtudio efferantur; vt hac mercede vel aduersùs iudicij leges peccare, ſuamque, & publicam cauſam deſerere pro minimo habeant: dicacium quorundam hominum ritu, quibus non Amicum duntaxat offendere; ſed vel ipſam manifeſtum in diſcrimen vitam obijcere tanti eſt, dum arguti ne ſcommatis, venturæque

illinc

(a) Manil. lib. 2.

illinc vaniſſimæ laudis occaſionem amittant. Vſque adeo (quod Polidamas ille, (a) vnus Troianorum ante & retro oculatus, Hectorem monuit) non omnibus omnia ſunt diuinitus data: nec, quiſquis naturæ muneribus cæteris, idem æquè prudentiâ antecellit: ſed, veluti Phæacenſium modulator Demodocus (b) Bonũ ſimul Malumque a muſis accepiſſe in Alcinoi conuiuio narratur, canendi quidem inſtructus ſcientiâ, ſed oculorum tamen vſu atque lumine orbatus; ſic acutiſſimi etiam Mortalium, allucinari quamplurimùm, inque enormiora, quàm vel reliquum vulgus, Errata conſueuerunt impingere: balænarum ad inſtar, (c) quibus, magnitudine eximijs, ſed imbecillioribus viſu, piſciculum quemdam Hegemonem nomine, ſuorum quaſi ducem itinerum, adiunxit natura, in ſirtes cæteroqui & litorum vada, illius ni ſollertia proſpiceret, ancipiti errore potiùs, quàm curſu, offenſuris. Vt propterea huiuſcemodi homines, ceu Romanus Senecam Rhetor, (d) *ſuo ingenio* vti velis, *alieno iudicio*: &, dum præſtantiſſimum quemque corruptelis maioribus intueris obnoxium; nihilo aptè minùs de ingenijs concludendum exiſtimes; quàm Plinius de vinis, (e) eorum generoſiora frequentiùs adulterari videns, concluſerit, *ergo, mirum dictu, innocentius iam eſt, quodcunque ignobilius.*

Quid porro de nimiâ Sui confidentiâ dicemus? Quę nemini certè, quàm præcipuis ingenijs, familiariùs conſueuit obrepere: tantâ commu-

a Homer. Iliad. 13. & 18.
b Idem lib. 8. Odyſ.
c Plut de ſol Anim.
d Quintil. lib. 10. c. 1.
e Lib. 23 Hiſt. Nat. c. 1.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

muniter ſuarum opinione rerum inflatis; vt quidquid meditantibus primum occurrerit, quod acuminis & admirabilitatis præ ſe aliquid ferat, nefas putent accuratiùs perpendere, ſed, vel nullo, vel tumultuario approbatum examine, tamquam certiſſimum ſapientiæ non vulgaris oraculum venditent: accedente huc præſertim non diſſimili alio, & periculoſiori forſitan vitio, quòd ſua illa nimirum Commenta, quàm temere initio amplexi ſunt; tam deinde pugnaciter retinent: quaſi minùs ad purarum ſimilitudinem mentium intelligendi velocitate acceſſuros ſe rati; niſi & indeflexam earumdem in arreptà olim ſententià firmitatem expreſſerint. Quid, inquam, animorum hoc habitu temerarium & improuidum magis? Quid errori fraudibuſque opportunius? Nonne quiſquis eiuſmodi eſt, ceu, victoris exemplo Agamemnonis, (*a*) ſupra omnem terrorum, & diſcriminum aleam gloriatur ſe poſitum; ſic reddito eidem à Troianà vate reſponſo idipſum eſt iubendus *timere, quòd non timet?* Tantò nempe offenſionum in abrupta procliuior; quantò illa, inſolenti excæcatus fiduciâ, obſeruat & circumſpicit minùs. Cùm iuxta grauiſſimum, & oraculo dignum Comici Effatum, (*b*) ***Qui cauet, ne decipiatur, vix caueat, cùm etiam cauet:*** nedum tutus à noxà eſſe poſſit, qui nihil ſibi noxæ arbitratur cauendum. Ita planè Thucidides ſenſit, ciuilium vſu rerum limatiſsimus ſcriptor, (*c*) plùs tantò in arrogantià diſcriminis, quàm in mentis acumine præſidij conſtituens; vt Reſpublicas meliùs plerûmque tardioris ab ingenij gu-

a Senec. in Agam. Act. 4 *Victor timere quid poteſt?* C. *Quòd non timet.*
b Plaut. in Captiu. Act. 2.
c Lib. 3. in Concione Cleonis.

gubernatoribus adminiſtrari prodiderit. Ita Demoſthenes, (*a*) oratorum nulli grauitate dicendi & ſapientiâ ſecundus: qui, aggreſſus inquirere, cur calamitoſi, quàm fortunati homines, meliùs ſibi ſoleant ſuiſque rebus proſpicere; non aliam afferri poſſe cauſam exiſtimat; quàm quòd Illos Aduerſa cautiores in futurum efficiant; Hi verò, præſentis opulentiæ fiduciâ temerariam ad ſecuritatem elati, nil infortuniorũ prauideant, nulla ſibi diſcrimina, nullos metus impendere opinentur. Ita demũ arbitratus eſt Socrates ille, oraculi voce ſapientiſſimus ſui tẽporis dictus: (*b*) qui, veluti per ſuæ inſcitiæ notitiam ad ſcientiæ acquiſitionem præparari homines docet; ſic nullis eoſdẽ erroribus, citra vanam ſciendi perſuaſionem, irretiri planiſſimè oſtendit. Vbi iam igitur ingeniorum ij apices ſunt, qui nullis indigere ſe ducibus crepant, ceu maximè certum in ſeipſis præceptorem habentes, ſatiſque a naturâ, ne vſpiam ſiue offendant, ſeu deuij ferantur, inſtructos? Itane totâ illâ, quam adeo deprædicant, Lyncææ mentis perſpicacitate non vident, ſuam ſecum orationem pugnare, nec vllo æquè argumento, ac magniloquâ iſtâ egeſtatis inficiatione, præcipuam communique maiorem eorum indigentiam probari? Gratiam ſanè hominibus habeo, quòd, licet ignari, meas vltro ſic partes ſuſcipiant, nihilque ſupereſſe negotij iam ſinant, quò minùs inſtitutam aduersùs ipſos ratiocinationem ad exitum rite perducam, & ſupremâ ceu coronide abſoluam. Eſto quippe, argumenti pars prior ſat perſpicuè videretur probata; adhuc tamen laboris non minimum in alterâ euincendâ eſſe poterat, ſi paulò ij modeſtiùs ſentire, & neceſ-

ſaria

a In Exord. 49.
b Plato in Alcib. 1.

ſaria vel ſibi ad inoffenſos in curriculo literario Progreſſus externi ductoris auſpicia voluiſſent fateri. Nunc verò, cùm & neminem faciliùs in fraudem impelli Sapientum teſtimonia perſuadeant, quàm, qui nullis ſe decipi fraudibus poſſe per immodicam Sui æſtimationem confidit; & hanc ipſi tam arrogantem fiduciam ſuperbiſſimo illo alienæ cuiuſque opis neglectu ineſſe ſibi palàm demonſtrent; næ mirâ quadam nouâque pręuaricandi ratione meam ijdem propoſitionem, oppugnare dum videntur, confirmant: id nempe aſſecuti, vt, quantò confidentiùs ab omni errorum lapſuumque diſcrimine per ſolam ſuę mentis naturalem præſtantiam remotos ſe iactitant; tantò manifeſtiùs, pręcauendos ad errores per eam ipſam minimè idonei, labendique propterea periculis ante alios expoſiti, & apprimè opportuni noſcantur.

Quod ſi cuilibet, in rebus ęſtimandis non plumbeo, iam probè confectum, apertiſſimèque demonſtratum videtur; quidnam, quęſo, eſſe reliqui poteſt, cur iuuenum quiſquam, ſapientię cęteroqui ſtudioſus & diligens, ſcholarum auxilia detrectet? Num, quòd ea ſibi ſuperuacua ob ingenij amplitudinem putat? Atqui hanc ipſam ob cauſam tantò ſe ijs indigentiorem perſpexit; quantò, ſi careat, & largioribus doctrinæ compendijs fraudatur, & in grauiora atque plura offenſionum patet diſcrimina. An quia, tametſi neceſſaria minimè ignoret; ſuam hanc egeſtatem erubeſcit fateri? At quid huiuſmodi inconſultius pudore? Quaſi verò omnis demum Egeſtas ex ignobilitate originem ducat: nec pluries (vt veriſſimè Gellius (*a*) obſeruat) eminentioris naturę, fortunæque ſit co-

a Lib. 9. c. 8. Vide, & Ariſtl. l. 10. Ethic. c. 8.

comes: cùm & Animantium in cœtu tot nullus adiumentis & copijs, quot homo, qui omnium præcipuus, indigeat; & in hominum genere plura nemo miniſteria & auxilia, quàm Princeps, deſideret. Qui ambo, ſi, præpoſtero quodam ſuæ illius indigentiæ pudore deterriti, neceſſarijs quibuſque ſeu felicitatis humanæ, dignitatis ſeu regiæ inſtrumentis remitterent nuntium; an non vltra omnia ſtultitiæ communis exempla inſanirent? Enimuero, quàmuis ea vrgeret inopia, quæ dignitati exiſtimationique non parum detraheret; vel iuſtiſſimo tamen deuorato pudore, corroganda quātouis conatu illius ſubſidia arbitrarer, Atticoque Sapienti auſcultandum, (*a*) qui, Lachetem, & Niciam, natu iam grandes, ad quærendum non filijs tantummodo, ſed & ſibi, præceptorem hortatus, irriſuris tam feram diſcendi ſedulitatem (*b*) Homericum illud reponere iubet, *Haud inopi verecundiam conducere*. Quantò idem cauſatiùs iuſtiùſque nunc cenſeam de illius indigentiæ remedijs, quæ adeo natiuæ ingeniorum nobilitati nil derogat; vt ex eà potiùs tum originem ducat, tum menſuram accipiat?

Fuerit hæc igitur Euthydemi Sophiſtæ, quem lepidiſſimus Socrates (*c*) facetè adeo apud Xenophontem traducit, inſania, nihil ſolicitiùs cauere, quàm ne quidquam alieno videretur magiſterio aſſecutus. Fuerit Romanæ olim iuuentutis Plinij tempeſtate vecors ambitio, (*d*) ut *ſtatim ſaperet, ſtatim omnia ſciret*, neminem obſeruandum, aut ſequendum cenſeret, *ipſa ſibi exemplum*, magiſtra, dux *foret*: &, illius

a Plat. in Lach.
b Ex l. 10 Odyſ.
c Lib. 4 de Fact. & Dict. Socr.
d Plin. l. 8. Epiſt. 23.

Tagis inſtar, (a) quem vix natum haruſpicinæ ferunt myſteria Popularibus ſuis tradidiſſe, a primo penè ortu ſapientiæ balbutiret oracula. Vos certè iſtiuſmodi a temeritate remotiſſimos video, & nunquam non futuros confido, Adoleſcentes lectiſſimi, ex Italiâ vniuersâ, quin & maximè diſſitis ab Europæ limitibus, ad naturæ pulcherrimas dotes Gregoriani huius Athenæi diſciplinâ excolendas, in magiſtram Orbis vrbem coacti: (b) *quorum* (de Iunio vt Auito idem ſubijcit Plinius) *hæc præcipua prudentia, quòd alios prudentiores arbitramini, hæc præcipua eruditio, quòd vultis addiſcere*, rite à Tullio perdocti, (c) quàmuis multum ad literas in naturâ ſit opis; certiora eſſe tamen artis auſpicia. Pergite itaque ſupremam huius manum illius rudimentis adiungere, felicemque generoſæ iſtius indolis fundum ad plenam ſeque dignam literarij ubertatem prouentùs conuenienti culturâ perducere. Neque illorum moueamini exemplo, aliena qui præſidia reſpuere pro argumento habent ſublimioris naturæ: & omnem omnino periturum ſibi honorem atque fructum ingenij opinantur, ſi ad ingenium diſciplinam adiunxerint. Ne ſtultus hic, inquam, leuiſſimorum vos capitum error ſolicitet. Nam, non longi poſt temporis ſpatium, quid inerti arrogantiæ operoſa ſedulitas præſtet, certiſſimus demonſtrator atque index, euentus aperiet: prodentibuſque ſe palàm, & aduerſâ fronte compoſitis, hinc illorum inſcitiâ atque erroribus; veſtræ hinc eruditionis ſoliditate atque copiâ; quod allatis huc uſque argu-

a Cic. lib. 2. de Diuin.

b Loc. cit.

c Lib. 4. de Fin. *Ars tamen eſt Dux certior, quàm natura.*

argumentis pro virili ego parte ſum conatus oſtendere, diſſimillimâ Vtrique, ſed in unum conſpiratâ, exemplorum ratione, Vos, quia vt verum amplexi; Illi, quia pro falſo aſpernati, manifeſtiùs probabitis, Excellentiſſima ingenia quàm maximè omnium diſciplinæ præſidio atque cultu indigere.

Sapientia ideo alacriùs quærenda, quia nullus acquirendæ finis oſtenditur.

ORATIO II.

In ſolenni ſtudiorum inſtauratione.

ETſi plurima ſunt, E. P., quæ ſapientiæ nauigationem ingreſſos remorari a Propoſito ſolent difficultatum terrorumque offendicula; nullum tamen ex omnibus ad infringendam animorum alacritatem videatur fortaſſe validius, quàm maris decurrendi amplitudo; quæ, nullis circumſcripta litoribus, ſed alia ex aliis ſubinde, ubi portus iam præſumebatur, ſpatia recludens, vlteriùs ſemper vlteriùſque irrequieta nauigantium vota producit. Si enim Sataſpes ille apud Herodotum, (*a*) capitis a Xerſe damnatus, mox patibuli loco iuſſus nauim conſcendere, qua uniuerſam ab Herculis freto ad Arabicum uſque ſinum Africam circumluſtraret, cùm, poſt plures longiſſimâ in expeditione menſes conſumptos, nullum tot viarum proſpiceret finem; fluctuantis illius æternique patibuli tædio, ad eam ipſam, unde

---

a Lib. 4.

ſoluerat, crucem, qualicunque demum in portu quieturus, feſtinauit reuerti; quidni Adoleſcentum etiam complures exiſtimemus futuros, qui, effuſiſſimum hunc nullique permeabilem doctrinarum Oceanum ingreſſi, ubi latiorem in dies ſibi campum aperiri, itinera itineribus ſeri, quotidie ſe incipere, plus ſemper ante oculos maris, nuſquam portum, immenſa, & interminata undique omnia conſpexerint; deſperato inconſumpti, & nil certum promittentis curriculi exitu, non ad crucis illi quidem ærumnoſos Amplexus, ſed ad quietis otiique molliſſimos ſinus retro vela circumagant? Itane verò (audire mihi videor dicentes) noua ſemper, emenſis prioribus, nos itinera excipient? Propiores ſemper relicto, quàm petito, litori erimus? Nec vel medium exegerimus curſum, quando ſerum videretur ad ultimas quoque illius metas conſiſtere? O irritos ſtudiorum Conatus, nimiùmque temerariæ perſuaſioni nos credulos, infinitæ qui rei comprehenſionem audaciori, quàm cælum Titanes, conſilio affectandam duxerimus! Sibi, ſibi Deus vni, certiſſimum iuxta Socratis Dictum, ſapientiam ſepoſuit. (a) Si humanum hoc eſſe Bonum voluerat; vel anguſtiori illam orbe clauſiſſet; vel noſtrarum ſaltem mentium anguſtias illius immenſitati exæquaſſet. Nunc verò ecquem vnum exuperantis adeo ingenij Mortalem reperias, cui Diſcipulum citiùs, quàm Hominem, contingat exuere: quem ſuorum, vtcunque ij ſint felices, progreſſuum, tot reliqua undique verſum ſpatia intuentem, non pigeat: quique, poſt ætatem inter ſtudia contritam, non queri cum Theophraſto moriturus coga-

a Plat. in Apol. Socr.

cogatur (*a*) viuendi tunc finem ſe facere, cùm bonarum in artium, ac quærendæ veritatis conatu vix proſpicere demum aliquid cœperit? Nec Siſiphium hoc ſaxum reuoluere, nec Ixionis hac in rotà verſari aliquando definimus? Valeat, age, valeat is labor, vbi nil perfecti extremique ſperandum: cui votorum ſucceſſus ad vlteriora vſque vota ſunt gradus: quique ritu (*b*) hederæ, *tot habentis initia radicum, quot brachia*, quò ſe cunque porrexerit; ibi ſemper videtur incipere. Præſtat philoſophorum grauiſſimo (*c*) credere, quæ altiora ſint nobis, ad nos nihil pertinere, affirmanti; quàm veſanum imitari Caligulam, nihil *in extructionibus concupiſcentem* auidiùs, ac *quod negaretur effici poſſe*. (*d*) Nullus eſt ſapiens, niſi fine propoſito, motus: nec aggredi patitur Ratio, quod Natura vetuit abſoluere.

Quid agam hoc loci, Auditores? Aut quam, ignauis huiuſcemodi ſapientiæ deſertoribus ab indigniſſimo reuocandis transfugio, rationem inſiſtam? Nullis circumſcribi doctrinas limitibus negem? Iubeam, Virgiliano cum Æneà, (*e*) ſuſcepti finem curſùs ſperare? Eſſe aliquam in literis abſolutionem contendam, quæ nullum relinquat incrementis amplioribus locum? Præterquamquòd mendacij me prudens obſtringam; nec timidioribus, qui alia prorſus omnia experiuntur, rem approbauerim; & generoſiores, infinitate qui diſcendi mirificè delectantur, offenderim. Bene eſt. Habeo, qui,

 ſalua

a Cic. lib. 3. Tuſcul. Quæſt.
b Plin. lib. 16. Hiſt. Nat. c. 34.
c Socrates apud Lact. lib. 3. c. 20. *Quæ ſupra nos, nihil ad nos.*
d Suet. in Calig. cap. 37.
e Lib. 1. Æn.

ſaluà veritate, nec horum reſtinguam alacritatem, & illorum ſocordiam extimulem. Animoſum Iulij Cæſaris (*a*) habeo, fortiſſimi, prudentiſſimique juxta ducis, exemplum: qui milites, *hoſtilium famâ copiarum perterritos, non minuendo, ſed amplificando* earum numero, ad bellicam excitare virtutem conſueuerat. Simili & ipſe iam vtar conſilio. Argumentis timoris in timorem pugnabo: ex perficiendi deſperatione aggrediendi incitamenta deſumam. Ne multis: hodiernâ oratione conabor euincere, adeo non deficiendum animis propter inexhauſtam Sepientiæ amplitudinem; vt vel ideo ſit alacriùs quærenda; quia nullus acquirendæ finis oſtenditur.

Et verò cur diſcendi contentionem imminuat magis, quàm excitet, doctrinarum immenſitas, cùm earum profeſſio ſuam hinc præcipuè tum nobilitatem, tum iucunditatem deriuet? Fac, age, ſeptennij, decennij, vel alterius certi temporis ſtudio tota poſſit ſapientia comprehendi, nihil vt amplius quantouis iam conatu adiungendum ſuperſit. Num eamdem huiuſcemodi tunc ſpatijs coercita, quam nullis nunc arctata limitibus, authoritatem famamque obtineret? Quinimmo, vt minutam, vt anguſtam, vt inopem, prudentiſſimus quiſque rerum iudex contemneret. Contemneret Quintilianus: quemadmodum & Rhetoricen (*b*) non permagni ſanè pretij pronuntiauit futuram, ſi certis ac definitis quibuſdam, quantacunque demum eſt, clauderetur Præceptis. Contemneret Ariſtoteles, (*c*) qui ſiue in naturæ, ſiue in artis

a Suet. in Iul c.66.
b Lib. 2. c. 13.
c Lib. 3. de Gener. Anim. c. 6.

artis operibus ea eſſe ignobiliora conſtituit, quæ citiùs ad perfectionis ſuæ finem atque Summam perueniant. Contemneret Flaccus, (a) quo teſte, *Exilis domus eſt, vbi non & multa ſuperſunt, & Dominum fallunt.* Ideo præclarum, egregium, cæleſte ac diuinum ſapientia præ ſe aliquid fert: ideo excellentiſſimorum quorumuis ingeniorum præconia, admirationes atque ſtudia promeruit; quòd nullum ampliandæ magnitudinis ſuæ terminum habet: quòd Mortalium a nemine conſummari penitùs poteſt: quòd, quibuslibet ditior nobilium metallorum fodinis, nullas vberes adeo curioſæ inquirentium auiditati exhibet copias; vberiores quin alias & plures laxiſſimo in opulentiæ ſuæ ſinu, perpetuùm exhibendas, contineat: quòd denique multò veriùs, ac de vnà ipſius vniuerſæ parte, eloquentià, Romanus deprædicat Rhetor, (b) *latè fuſum opus eſt, & multiplex, & prope quotidie nouum, & de quo nunquam dicta erunt omnia.*

Quid igitur? Non hinc ſtatim conſequitur, in re tam exaggeratà atque immensà multò eſſe nobilius ducendum perfectionis vel partem nanciſci; quàm in arctiori finitàque alià ſupremum atque Totum tenere? Conſequitur prorſus. Niſi verò vllus quiſquam non malit in Romano illo vetere tot Regum, quot Patrum, Senatu ſecundus, tertiuſque cenſeri; *quàm Fidenarum, Gabiorumque eſſe Poteſtas*, (c) & in obſcuro plebeioque id genus oppidulo ſupremà cum authoritate ius dicere: aut niſi iuſtam minùs gloriandi habet cauſam de ſuà Virgilius

a Lib. 1. Epiſt. 6.
b Quintil. l. 2. c. 13.
c Iuuen. Sat 10.

Æneide, quam, longiſſimo elucubratam labore, exactioris adhuc tamen politurae capacem, nec omnibus artificij poetici lineamentis & numeris vſquequaque terminatam reliquit; ac ignobilis iactare ſe figulus poſſit de triobolari cratere vel vrceo, cui ſupremae abſolutionis faſtigium vno alteroue currentis rotae circumactu impoſuerit. Quid finem attendimus potiùs, quàm operis amplitudinem ac praeſtantiam metimur? Nil habet, quò vltra enitatur, qui ſummum Auentini noſtri cacumen iam attigit: num tamen ſe ideo ſyderibus propiùs admouit; ac qui dimidium Olympi, ſiue Atlantis caeliferi iugum, vel tunc nubium inquilinus, conſcenderit? Suſpexerit olim Anniceridem Graecia, (*a*) exiguum quòd orbem, rotis pluries ac pluries per priora circumductis veſtigia, relegeret. Malim ego, cum Phaethonte ſolis vicarius, immortalem quadrigam radiantia per caeli Cõuexa, quamquam nec vnius dieculae gyrum expleturus, moliri. Neque vereor, ne doctiſſimus Plato, quemadmodum Cyrenenſem illum aurigam occupatae in perexili materiâ diligentiae reprehendendum putauit; ſic audaciae mihi Notam inurat, ceu mortali maiora, & humanas poſita ſupra vires conanti. Quin potiùs tam ab ipſo, quàm ab ipſius non inferior diſcipulo, & poſteritatis totius magiſtro, Ariſtotele, pleniſſimam relaturum me approbatione n... confido. Cùm Alter (*b*) permulta de animarum ab interitu conditione, diuinando comminiſcendoque magis, quàm certi quidpiam ſtatuendo, executus; *honeſtum eſſe* tandem *periculum* ſubdat, de occultiſſimis, ijſdemque nobiliſſimis rebus

a Ælian. l. 2. c. 27.
b Plato in Phaedone.

rebus, ſi explorati nil aſſequi liceat, quæ a veris proximè abſint, quaſi tentabundum coniectantemque opinari: Alter (*a*) verò adeo non præclarius vulgaria conſummare; quàm in magnis deficere, exiſtimet; vt cœleſtium æternorumque imperfectam utcunque notitiam citimorum, & ante pedes iacentium vel comprehenſioni prætulerit. O igitur cæcam, o rationis expertem, o & Sapientum oraculis, & vitę manifeſtis exemplis reuictam eorum formidinem, quos eadem, quæ allicere debuiſſet, literarum immenſitas fugat! Nempe ad vltimum progredi, & vniuerſam omnimodis abſoluiſſe non licet. Non liceat. Ipſamet tam eximiæ profeſſionis initia ſupremis aliarum faſtigijs præeminent. Plùs vel Sui parte Infinitas illa, quàm ſe toto minor cenſus ditauerit.

Non tamen hoc ſatis, immetabilem ſcientiam profeſſos Mercurialium plus opum ex illius, ut ut minimè exhauſtis, fodinis colligere; quàm, ſi pauperiores, & certum fœcunditatis intra modum cohibitas vſquequaque egeſsiſſent. Vlteriùs adhuc & latiùs eorum ſe felicitas porrigit: dum reliquas pariter, quæ ampliſſimo ex fundo citra vllam terminationem èruendæ ſuperſunt, inæſtimabiles copias pro ſuis quodammodo habere, & in domeſtico ingenij gloriæque ſuæ patrimonio recenſere iure optimo poſſunt: locupletiſsimi quidem iam partis, ſed alijs, quas in omnem deinceps ætatem vſque nouas comparare fas eſt, multò etiam locupletiores diuitijs. Cùm e contrario, qui circa breuiorem morantur ſciendi materiam, præterquàm minus lucri, tametſi eà in totum expletà, aſſequuntur; illo etiam extre-

a Ariſt. de part. Anim. lib. 1. c. 5.

mæ infelicitatis atque inopiæ deueniant, nil vt noui prouentùs vel optandum, nedum acquirendum, iam habeant.

Quæ vtraque rationis hic propoſitæ pars quò a ſenſuum iudicio ad mentis æſtimationem manifeſtior deueniat, permittite mihi, Auditores, e duplici, altero conſummatæ, altero progredientis etiamnum artis exemplo nonnihil ei lucis accerſere. Octogonam trabeatus ille hiſtrio (Neronem agnoſcitis) elaborari ſibi ſcenam curauerat, (*a*) opus ſanè admirandum, eâque tum magnificentiâ, tum arte perfectum; vt huicne iuſtiùs, an illi, deferenda videretur certaminis nobiliſsimi palma, nutantibus in Medio ſuffragijs, neutiquam oculi poſſent ſtatuere: illud certè, tamquam veriſsimo verius, iurarent, vtriuſque vno in eo monumento ingenium atque vires conſumptas. Nil attinet hic populi plauſus atque ſtudia referre: vt ad rei tantæ ſpectaculum agminatim conflueret: ut, ſublatis immotiſque ſupercilijs defixus, ſatiari contemplando neſciret: vt Romano dignum imperio prodigium admirabundus clamaret: vt, in adulationes demum effuſus, ſuam Principi gratularetur felicitatem, in cuius obſequium vel ſeipſam ars ſuperaſſet; vel Deos ipſos habuiſſet opifices. Senecam magis libeat audire: qui, vulgi iudicia certiorem ad philoſophiæ normam caſtigans, ſuoque illo ingenij limatiſsimi acumine rem interiùs peruadens, Ignoſce, inquit, o Cæſar, ſi publicà in omnium gratulatione liberam meo dolori vocem permiſero. Tam miro, tam felici potentiæ conatu inopem te hodie probaſti. Meliùs etiamnum neſciremus, quoad tuæ amplitudo fortunæ pertingat

a Plut. de Irà cohibendà.

tingat. Quæ immenſa pridem videbatur, dum illius fines latebant; modum reperit tandem, quo tota æſtimetur. Par tibi iam aliquid nouit orbis terrarum:iam aliquid homines vident, quod vltra vel Neroni aſpirare ſit vetitum. Non, quid poſſes ſolummodo, quid etiam non poſſes, hac in ſcenâ intuendum dediſti. Hæc Zeno Romanus de abſolutiſſimo opere. Qui, ſi fortè in hac etiam ſplendidiſsimâ ornatiſsimàque panegyri rediuiuus adeſſet; an non eadem verbatim de hominum quorumuis ſcientiâ ſuæ vltimum magnitudinis finem iam nactâ affirmaret? An non illos quoque tunc inprimis, cùm ſummum opulentiæ arbitrarentur tenere ſe gradum; egenos pronuntiaret atque inopes: quibus ſcilicet nullus ad progrediendum iam ſuppeteret locus: quorum omnis facultas conſumpta: qui, vel ſpei theſauro, quo nullum infinitiorem homines habent, ad aſſem decocto, nihil de ſe ipſis in poſterum maius ſeu auderent ſibi promittere; ſeu ſperandum poſſent alijs relinquere?

Agite iam, &, quandoquidem circumſcriptæ paupertatem ſcientiæ Neronianâ illâ in ſcenâ tam exactè repræſentatam vidiſtis; vt oppoſitas quoque ingeniorum, in vaſtiori & nuſquam metatâ diſcendi materiâ verſantium æſtimare diuitias poſsitis; ad Apellis excellentiſsimam vnam, & peculiari antiquitatis plauſu celeberrimam tabulam animi contemplationem traducite. At quam verò illam tandem? Num nobilem eam, qua vinci ſe faſſus eſt Protogenes, lineam, (*a*) tantò magis viſendam, quantò præ admirabili ſubtilitate videri poterat minùs? Num Ceraunophoron Alexandrum, (*b*) meri-

a Plin. lib.35 Hiſt. Nat. c. 10.
b Plut. de Fort. ſeu virt. Alex. or. 2.

tum, vt *duos* iam *eſſe* diceretur *Alexandros*, *alterum Philippi inſuperabilem*, *Apellis inimitabilem alterum*? Num tonitrui ſpirantem, & tantùm non fremebundam imaginem, (*a*) qua victrix naturæ ars vel ipſos audire oculos docuit? Num alias demum ex ijs, quas ſummo induſtriæ conatu expolitas, omniumque numerorum ac partium pleniſsimâ coagmentatione perfectas, tamquam immortalitatis ſuæ obſides, ſecuturæ poſteritati reliquit? Immo nullam huiuſmodi, ſed Coam illam Venerem potiùs, quam ex artificis manibus, priùs quàm ad extremum terminationis ſuæ culmen perduceretur, abortiuum quaſi fœtum, vel ſic tamen immortalem futurum, inuidioſa mors rapuit. Hanc ſiquidem inchoati ſolùm operis partem plus admirationis retuliſſe, quàm vel exactiſsimas alias imagines, curioſus antiquitatis naturæque indagator Plinius teſtatur. (*b*) Qui abrupta & mutila effigies commendationis tantum habuerit, cauſam requiritis? Eodem a ſcriptore conſignatam accipite. Pretioſior magiſque admiranda eò potiſsimùm fuit; quòd abſoluta non eſſet: quòd, infinitam quamdam vlterioris perfectionis capacitatem oſtendens, quidquid eſſe poterat, quidquid fortè nunquam fuiſſet, primis illis, nil certi vltimique exhibentibus, lineamentis ſe futuram videretur promittere: quòd in alijs demum operibus Apellis tantummodo manus; hic etiam cogitationes intueri liceret: alia, quò progreſſus artifex fuerat, contemplandum præberent; hoc, quò progredi etiam potuiſset, coniectandum relin-

---

a Plin l. 35. Hiſt. Nat. c. 10.

b Lib. 35. cap. 11. *Quippe in eà lineamenta reliqua, ipſaque artificis cogitationes ſpectantur.*

relinqueret. Vſque adeo, iuxta veriſsimum Stagiræi oraculi Effatum, (*a*) quorum finis non cernitur; ea pro infinitis quodammodo accipi ſolent: nec quod aſſecuti duntaxat eruditarum mercium ſumus; ſed quod alijs inſuper alijsque nuſquam determinatis progreſsionibus aſſequi poſſumus, tamquam hæreditas a naturà nobis oblata, ſi magnanimo eam auſu conemur capeſſere; noſtro in cenſu reponitur.

En igitur, quantò plus laudis nullo incluſa pomœrio, quàm certis comprehenſa decempedis, ſapientia conciliet. En, quantò ſplendidiùs opportuniùſque ſuis homines rationibus conſulant, ſi eam ſibi ſectandam eruditionem proponant, vbi, nouis nouiſque accedentibus quotidie incrementis, finis tamen ſemper eſt deſperandus; quàm ſi ad eam malint incumbere, in qua, omnibus aliquando propter materiæ paupertatem abſumptis, nihil tandem vlterioris proceſsùs ſperandum obijcitur. Non vberiorem ſolùm vel in medio ibi curſu, quàm extrèmo hìc in limite, aſſequuntur ſcientiam; ſed & illud præterea, quod in reliquis effuſiùs vſquequaque procurrentibus ſpatijs occupandum ſe præbet, interminatum immenſumque peculium iam in anteceſſum gloriæ ſuæ cumulo adiungunt: iam illo quoque, ceu ſibi parato atque debito, felices putantur: iam & illud tum ſuà ſpe, tum aliorum æſtimatione præcipiunt.

Addite iam hactenus dictis, quod generoſiſſimum quemlibet excitare vel plurimùm queat, primaria & Notæ melioris ingenia non niſi per incomprehenſibilis ſcientiæ amplitudinem a mediocribus & gregarijs dignoſci. Cùm breuior virtutis materia (ceu de pace ille ſcri- pſit)

a Ariſt. Probl. 25. Sect. 5.

pſit) (a) *induſtrios, ac ignauos in æquo teneat,* nec magnarum ſinat mentium præſtantiam intelligi, quarum capacitati non latiorem vulgari modo campum recludit. Demus quippe, intra certos, & cuiuis propemodum emetiendos fines Mortalium eruditionem conſiſtere. Quid tandem habebit, quod, ceu proprium, tunc iactet generoſior natura? Quos dignos excellenti ſuà indole fructus percipiet? Qua inſignis prærogatiuà doctrinæ ſupra vulgi mediocritatem aſſurget? Certè literaria quoque Reſpublica illius inter diſpares æqualitatis laborabit vitio, qua nihil eſſe ciuilibus in conſilijs inæquale magis queritur (b) Plinius: &, quemadmodum olim Darius, dum Ciliciæ in anguſtijs committeret aciem; non capiente ſui exercitùs multitudinem loco, *ad paucitatem eſt redactus,* (c) *quam in hoſte contempſerat;* ſic & maxima ingenia, ſuę imparē nacta explicandę promendęque amplitudini locum, a minorū nil mentium tenuitate diſtabunt. At nunc, infinità diſcendarū vndique rerum copià occurrente, nihil eſt, nihil cauſæ, cur quiſquam ex omnibus illam ſibi cogatur metuere minùs dignæ paritatis iniuriam. Nullæ capacioribus obſtant anguſtiæ: nullis coarctantur ingenia limitibus. Exhauriri penitùs neſcia, & quantęuis capax induſtriæ, quantiſcunque ſuffectura progreſſibus ſpatiorum immenſitas patet. Certet quiſque pro viribus: tantùm ſemper loco anteſtabit; quantùm mentis facultate præeminet: eò plus ſemper obtinebit ſcientiæ; quò plus capacitatis attulerit. Suus ſingulis ordo, ſua Decorum atque graduū conſta-

a Tac. l. 12. An. c. 12.
b Epiſt. 12 l. 2.
c Curt. l. 3.

ſtabunt diſcrimina: &, veluti nullos Spartæ eſſe fines dictitabat Antalcidas, (*a*) niſi haſtarum quò pertingerent cuſpides; ſic cuiuſque doctrina non alios agnoſcet, niſi mentis quos acumen & virtus ſibi duxerit, terminos, huius tantùm pro modo ſeu breuiùs contracta, ſeu latiùs effuſa. Vt proinde, qui humanę orbem ſcientiæ certis vellet, nec vllius comprehenſione maioribus ſpatijs finiri; alterutrum euitare dedecus nequeat: quin aut humilioris videatur ſpiritùs, ſi exiguâ in diſcendi materiâ coæquari ſibi vulgum non renuit; aut certè tardioris ingenij, ſi in peramplâ & magnorum profectuum capaci ſe vulgo præſtaturum diffidit.

At, puto, dignitatis gloriæque ſplendorem ſolummodo habet ille ſemper vlterior in doctrinis Progreſſus; voluptatis gaudijque fructum non habet. Immo hac vel potiſſimùm dote antecellit: adeo vt, nullâ quàmuis emineret nobilitatis prærogatiuâ; vnius tamen ſuauitatis illecebrâ commendatus ſat poſſet videri. Ecquid enim, rogo, iucundius; quàm eâ in rerum affluentiâ verſari, vbi nullo vnquam tempore nouus deſit atque integer optatiſſimorum fructuum prouentus: vnde procul indigentiæ moleſtia, procul ſatietatis faſtidium: vbi, dum extinguitur prior; altera ſimul bibitur ſitis, ſemperque tum cupiditatem iucunditas excitat; tum iucunditati lenocinatur cupiditas? Plurima, fateor, ex eâ infinitate ſupercrunt, quæ humani omnem Captum ingenij fruſtrentur. Sed num, quæſo, delectabiliorem feſtiuæque hilaritati accommodum magis eum cœnæ Ornatum dixerimus, qui, frugali naturalium deſideriorum modo

---

a Plut. in Apophth.

do finitus, nihil ſupra neceſſarium Dimenſum, deſperantibus prorſus reliquias, quin & ſolicitis de ipsâmet expletione, conuiuis exhibeat; an alterum contra, vbi, omnibus ad regalis magnificentiæ genium exactis, ſecura, nedum ſatietatis, etiam redundantiæ, fames accumbit? Nunquam plenè adeo ſatiabitur mentis cupiditas; quin alijs, atque alijs perpetim ſuccreſcentibus copijs repleri adhuc largiùs efflagitet. Veriſſimè dictum. Sed num Philoxenus ille, (*a*) qui gruis ſibi collum fertur optaſſe, edendi vt ſuauitatem diutiùs perciperet, num is, inquam, aut alius huiuſmodi ciborum inexplebilis gurges, ad conuiuium omni vbertate & lautitiâ circumfluens, Luculleum puta, ſeu Vitellianum adhibitus, primo ſtatim in opſonio auiditatem ſibi velit concidere, nec diutiſſimè potiùs tam opimo apparatui eam gaudeat ſufficere, languentemque adeo excitare, & integram ad ſuprema vſque bellaria omni arte conetur perducere? Eſt quędam, eſt, Auditores, & ſapidiſſima illa quidem voluptas, plura ad manum habere; quàm, quæ vtendo quis valeat conſumere. Eſt periucundum & optabile inprimis, nunquam deſideria finiri, vbi nunquam non affluens, ijs replendis, obijcitur copia: tantùmque a naturæ abeſt genio, delectabilium appetitionem vt rerum vllâ homines ſatietate in ſe velint extingui; vt ipſimet vltro *quaſdam* earum, (*b*) ceu Ariſtoteles loquitur, *ſibi præparent ſites*: nec vllam, ex peruulgato eruditiſſimorum ganeonum ſenatusconſulto, lautam ſatis & pollucibilem exiſtiment cœnam, (*c*) *niſi, cùm li-*

a Ariſt. l. 3. Eth. c. 10. & Athen. l. 1.
b Ethic. l. 7. c. 14.
c Gel. l. 15. c. 8.

libentiſſimè edis; tum auferatur, & alia conſe-ſtim *ſuccenturietur eſca melior, atque amplior.* Quantà igitur incircumſcriptę ſapientiæ conuiuam perfundi voluptate arbitramur, dum tam multiplicis Veri, quod aliud ex alio continenter deguſtandum proponitur, incredibilem opulentiam, immenſamque varietatem reſpiciens, vadem in eà certiſſimum habet, vel ſi totum vixerit Neſtorem; nunquã poſſe ſibi deeſſe, quod recenti ſemper fame percipiat, vlterioris doctrinæ, illibatę nimirum dulcedinis pabulum? Quidquamne ſimilis gaudij ex contractiori duceretur ſcientià: vbi nihil non intra numerum foret: vbi animus paratu ſuo maior, & quotidie decreſcens oblectationis materia, &, omnibus ad extremum conſumptis, ſola iam ſuperſtes nouitatis deſperatio, priorisque fructùs ſatietas?

Ex ſuo cuique domeſtico ſenſu comperti ſſimum arbitror, quæ Mortales hic appetimus, Bona non perinde, dum poſſidentur; ac dum primò acquiruntur, ſuauia contingere. Siue quòd fruendi aſſuetudo quoddam veluti callum animo obducit; ſiue quòd cupiditate indigentiàque viuidiorem ad ſenſum excitari ſolet voluptas: quibus aculeis per Boni concupiti præſentiam, & prioris obliuionem defectùs paulatim retuſis, par etiam voluptatis hebetatio conſequitur; ſeu tandem, quia, vt aliorum quorumlibet motuum, ſic etiam delectationis, vbi diutiùs eadem continuetur, ſua eſt laſſitudo. Hinc ille, cuius Plato meminit, (*a*) Callicles mortalis dulcedinem vitę non in votorum plenitudine, ſed aſſiduà in expletione conſtituit. Hinc Attali philoſophi vox, (*b*) *iucundius eſſe Amicum facere;*

a In Gorgia.
b Apud Senec. epiſt. 9.

cere; quàm habere, affirmantis: quemadmodum & Parrhaſium, ac Zeuxin plùs *pingere; quàm pinxiſſe*, delectet. Neque verò non eòdem ſeu Polycratis Samiorum tyranni, ſeu poetę Agathonis teſtimonia reſpiciunt: quorum Hic, (*a*) cum Amico Pauſaniâ ſæpiuſcule diſſidens, eà id ſe facere gratiâ percontanti Archelao regi reſpondit; quòd amplius oblectamenti ex iterum ineundâ, quàm incolumi producendâ, amicitiâ percipi ſciret; Ille autem, (*b*) prædatorijs nauigijs vel ſocios & Familiares diſpolians, ſeruire ſe hoc pacto eorumdem voluptati iactabat, vtpote qui recuperatis poſt iacturam facultatibus, quàm ſaluis perpetuò manentibus, gauiſuri plùs forent. Nam de illo apud Xenophōtem (*c*) Iſchomachi patre quid loquar? Quem adeo colendis, quàm cultis agris impenſiùs accepimus delectatum fuiſſe; vt & negligentiùs à dominis habitos cupidiſſimè emeret; & eoſdem ſuà operà mox ad frugem perductos libentiſſimè cum ſqualidioribus alijs, parem ex his quoque ab informi ſitu vindicandis oblectationem hauſturus, mutaret. Aut quìd de Cyro commemorem Perſici conditore nobiliſſimo imperij? Quem, cùm a puero inter Æquales exerceretur, ſolitum fuiſſe idem Xenophon (*d*) refert non ad ea, quę meliùs calleret, ſed in quibus ſe imperitiorem animaduerteret, colluſores ſuos prouocare, nouas nempe ſibi artes acquirere; quàm acquiſitas vſurpare, multò optatius ducentem. Enimuero haud dubia res eſt. Experientiæ luce detegitur, rationum vi confirmatur, exemplorum authoritate ſancitur. Lucrando,

---

a Ælian. l. 2. c. 21.
b Herod. l. 3.
c In Oeconom.
d Lib. 1. de Inſtit. Cyri.

do, quàm habendo, plùs fruimur: nihilque ſic adeptos, vt adipiſcentes, delectat. Quæ recentiſſima, iucundiſſima eſt eadem poſſeſſio; & voluptas, ceu flamma, ni aliud indeſinenter atque aliud ſuffeceris pabulum; tacito quodam ſenio marceſcit. Illam demum experrectam, atque alacrem, & integri ſemper cernas vigoris, quæ nunquam deficienti fomite alitur, quæ nouis quotidie incrementis ad perpetuam quaſi iuuentutem ſe reparat.

Atqui, ſi hæc ita ſe habent; iam vel ipſis iudicandum Aduerſarijs relinquo, vternam pleniorem in promptu habeat inſtaurandæ reficiendæque voluptati materiam: illene, qui vaſtiſſimam, & termino quouis vlteriorem ſcientiam, addiſcendi nunquam finem facturus, perſequitur; an, qui, perbreuem aliam, & certis obuallatam vndecunque limitibus petens, totam poſtremò, quanta eſt, intra temporis non longiſſimi ſpatium tenuerit. Minùs talpis profectò ſit cenſendus videre, qui tam apertum tamque patens vtriuſque partis diſcrimen haud videt. Nam quid tandem huic alteri, anguſtioris ſui voti Summam adepto, ſperandum iam deinceps ſuperſit? Quibus ille nouis emolumentis & fructibus ſe ſatietate ſe vindicet? Qua vlteriore intactâque gaudij materiâ defeſſam aui ditatem redintegret? An non, eadem omnino, quæ literario in curriculo iam emenſus eſt, ſpatia per reliquam omnem dein vitam aſſiduè remetiri coactus, laſsitudinem ac moleſtiam percipiet, illi prorſus ſimillimam, quam anguſto in conclaui, per eadem vltro citroque deambulantes veſtigia, experimur? An non, quod de piſcibus, intra exiguam diu aquam coercitis, Philoſophus (*a*) tradit, præfocari & elidi ſe quod-

a De Hiſt. Anim. lib. 8. c. 2. & de iuuent. ac Senect.

quodammodo ſentiet? Cùm, veluti pauxillus ibi humor, niſi tempeſtiuè mutetur, natiuo Animantium calori refrigerando par minimè eſt; ſic neque determinata hic, & nouitatis expers ſcientia inſitam animo, ipsàque ſe expletione inſtaurantem, diſcendi cupidinem temperare ac lenire ſat poſſit? At quàm ille diuerſis immetatæ vltraque finem procurrentis literaturę profeſſor? Vt in ſummà rerum vbertate faſtidij & ſatietatis ignarus? Vt recentibus vſque lucris, aſſiduis quotidie profectibus lætus? Vt priores ſemper quæſtus diuitijs amplioribus cumulat? Vt ex alijs in alias Veri notiones continenter progreditur? Vt operis ſtudijque ſui voluptatem nunquam non integram, nunquam non viuidam perpetuà nouitate ſuſtentat?

Hæreant vtique, hæreant intra ſibi metatos à ſocordià ſuà terminos, quorum inertiſſimas mentes nihil hæc tam profuſa ſuccedentium perpetuo ſibi nexu gaudiorum immenſitas mouet. Circumiectis definitæ alicuius perque anguſtæ diſciplinæ repagulis ſuas, vt libet, curas atque vota compeſcant, non æquius ferre aliud iubendi, quàm quod ipſi per ignauiam delegerunt, ſupplicium: vt, languido, & ſibimet oneroſo eiuſdem perpetuò reguſtandæ ſcientię faſtidio confecti, liberalem, & nunquam non plenam, qua generoſiores animi perfruuntur, iucunditatem ignorent. Vos verò, præſtantiſſimi Iuuenes, altioris quos naturæ nobilitas maximorum quorumlibet Decorum iuxta auidos, & capaces, effinxit; nuſquam totam, nuſquam eamdem pertinentis ſemper longiùs ſapientiæ amplitudinem conſectandam vobis potiùs proponite: tantò inde pleniorem hauſturi ſinceriſſimæ dulcedinis fructum; quantò liber campo-

rum

rum per aperta diſcurſus domeſticâ deambulatione hilaritatis plus affert, liquidoque patentis cæli hauſtu, quàm incluſo perangustis parietibus ſpiritu, ſuauiùs præcordia irrigantur.

Neque verò vos quidquam ignauorum illa hominum argumenta deterreant, laboris perpetuitate, ac deſperatione quietis totam hanc inexhauſtæ iucunditatem doctrinæ præponderari,& corrumpi affirmantium. O blaterationes prorſus e triuio, vixque dignas, quæ vel refutandæ in Sapientum videantur conſeſſu! Itane veritatis, cui quærendæ facta mens eſt, cuiuſque ad Amplexum, ſuarum videlicet optatiſſimum quemdam finem curarum, innato ſibi pondere ac niſu continenter impellitur,itane huius, inquam, tam eximij, tamque ipsâ commendati a naturâ Boni inquiſitio mihi labor vocetur? Si perperam adeo fas loqui, ſi germanas rerum Notas ſic licet inuertere;age iam, & flammas laborare, dum ad cæli Conuexa nituntur, iam & lapides fatigari dicamus, dum Vniuerſitatis ad Medium prono & naturali impetu ruunt.Sed ſuperuacuum altercari de nomine. Eſto, attentum & ſollers veritatis aucupium iure poſſit labor vocari. Quid hoc tamen dulcius, quidue magis expetendum labore? Nolo Democritos, Anaxagoras, Archimedes, Eudoxos, alioſque liberalium diſciplinarum nobiliſſimos proceres ad rem comprobandam excire. Nolo vel alienigenas eque vulgo homines, ſuo eamdem ſuffragio afferturos, producere: a quibus laborioſiſſima per ſyluas monteſque Ferarum venatio in remiſſionibus potiùs, quàm moleſtijs, haberi conſueuit. Ipſamet argumentum longè validiſſimum prabent Aduerſariorum iudicia: qui, ſi certum aliquem in contractiori perſequendâ

ſcién-

ſcientiâ laborem adeo illius tum cupiditate, tum adeptione condiri; vt amandus etiam ſit, confitentur; quidni ſuperadditam quoque diuturnioris acceſſionem laboris ſperato adeptoque vberioris ſcientiæ ſapidiſſimo fructu æquè iri conditum exiſtiment? Nam ad quietem, quod pertinet; nemo ſanè illam quantâcunque in doctrinarum infinitate negauerit, niſi, qui ſapientiam aut ita prorſus indiuiduam ſibimet fingat; vt nihil illius, qui totam non retulerit, teneat; aut eiuſmodi compoſitam partibus, quarum nulla, ſi demas poſtremam, per ſe amari atque expeti poſsit. Quibus nihil Commentis, ceu quiuis apertiſsimè videat, abſurdius, nihil, nedum a ratione, a rationis vel ſpecie remotius. Eſto quippe, de nonnullis operibus, ad publicos vſus extimamque ſpeciem compoſitis, iure ſcripſerit Plinius, (*a*) *pro non inchoato ibi eſſe, quidquid peractum non eſt*; de literarijs progreſsionibus tamen illud veriùs dicendum, quod contrarıam in partem de ſceleribus protulit Seneca, (*b*) ſuum in ſe ſingulas fructum, habere, & *ſtatim* oblectare, *cùm facta ſunt, immo dum fiunt*. Alia longè inſtitorum agaſonumque, alia eorum quos ingenua exteri Orbis cognoſcendi cupiditas rapit, in peregrinationibus obeundis eſt ratio. Illis, ceu non niſi peracto ex itinere lucrum, quo vnicè impelluntur, contingit; ſic non niſi ſupremo in itineris termino votorum quietem nanciſci fas eſt: His, nouum quoties, ac viſendum quidpiam occurrit; noua toties, medio vel in curſu, ſe præbet gratiſsimæ quietis occaſio. Tali igitur ſenſu atque voto in-

a Lib. 5 Epiſt 8.
b Epiſt. 87 *Maximum ſcelerum ſupplicium in ipſis eſt. Statim puniuntur, cùm facta ſunt, immo dum fiunt.*

infinita diſciplinarum cùm ſpatia earum ſtudioſi percurrant; cur, nouam quoties veritatem inueniunt; non in eà iucundiſsimè toties quieſcant? Quòd ſi non perpetuum ibi figunt voluptatis otijque ſui domicilium,ſed, apum ritu innumeros flores libantium, aliò curas quamprimùm atque ſtudia conuertunt; præterquam quòd e naturâ id maximè eſt, quæ, iuxta interpretis ſui doctiſsimi (*a*) Monitum, quietem operationis gratiâ eſſe voluit; adeo etiam voluptatem non minuit;vt potiùs exaggeret.Cùm ipſamet quies, vbi longiùs producitur, moleſtiam & laſsitudinem pariat: nec aliâ ratione iucundiùs, quàm mutatis identidem ſedibus, mortalis hoc in vitæ curriculo animus conquieſcat: repetitâ nimirum huiuſmodi mutatione illud aſſequens Commodi, vt, citra moroſæ aſsiduitatis faſtidium, recenti ſemper integrâque perfruatur delectatione & quiete.

Quidnam igitur,omnibus iam e Medio ſublatis terriculis atque obicibus, ſupereſt; niſi, vt, eruditionis in immenſum effuſæ tum luculentiſſimâ gloriâ, tum inexhauſtâ dulcedine illecti, ad infinitam eiuſmodi a naturâ nobis poſſeſsionem propoſitam inexplebile ſtudium, indefeſſos Conatus, nec vllo quieturam in limite votorum auiditatem paremus? Apage hinc Neoptolemi illa Enniani ſententia, (*b*) paucis, non omnino philoſophandum cenſentis. Apage Macedonici exercitùs indecora ſegnities, (*c*) medio victoriarum e curſu ducem ſuum reuocantis, dum *prædâ* gloriâque *mauult frui partâ; quàm fatigari quærendâ.* Athenienſem nos potiùs

---

a Ariſt. l. 10. Ethic. c. 6.
b Cic. 2. Tuſcul. Qu. & l. 1. de Fin.
c Curt. l 9.

tiùs Solonem, & Maximinū nobis Cæſarem audiendos putemus: quorum Hic (*a*) obiurganti non nemini, quòd amplum in militiâ ſibi locum adeptus, etiamtum, tamquam tyro, aſſiduis exerceretur laboribus; Ego verò, quò vlteriùs dignitate progrediar; eò ſemper plus laboris ſuſcipiam, reſpondit: Ille verò (*b*) iam grandior ætate gloriari ſolebat, *ſe multa quotidie addiſcentem ſeneſcere.* Pudeat Seriphi intra ſcopulos, Gyaræque alicuius litoribus mentem includere, non ipsâ minorem Mundi amplitudine. Pudeat, Camelorum inſtar, (*c*) aſſuetum certumque vltra ſpatium non progredi, & quærendi facere ibi modum, vbi nullus eſt acquirendi. Deſidioſas contractaſque huiuſcemodi indoles Sapientia aſpernatur. Capaciores & immenſitati ſuæ pares animos expetit. Cæſarem aliquem flagitat, (*d*) qui, *nil actum credens, dum quid ſupereſſet agendum*, expeditionibus expeditiones, proceſſibus proceſſus continuet. Alexandrum quempiam deſiderat, qui (*e*) per Leucippi intermundia, & vaſtiſſimum Democriti Inane capaciores Orbe vno curas exporrigat. Platonicam illam denique in Phœdro animam poſcit, quæ, nulli certo corpori affixa, geminis alis, Veri nempe, ac Boni cupidine, vniuerſam, quàm longè latèque protenditur, naturæ vaſtitatem percurrat. Non alijs exemplis, non minori contentione immenſiſſimam facultatem nos aggredi decet. Quid tum, ſi vniuerſam omnino funditusque exhaurire nullo vnquam tempore, nullo virium conatu fas erit? Anne

quid-

a . Capitol. in Maximino.
b Plut. in Solon & Cic. de Seneƈt
c Plin. l. 8. Hiſt. Nat. c. 18 & Solin. c. 50.
d Luc. Lib. 3.
e Iuuen. Sat 10. & Ælian l. 4. c. 29.

quidquam plùs foret timendum, quidquam deprecandum magis; quàm, ne præſtantiſſimæ, iucundiſſimæque occupationis materiâ inter manus aliquando deficeret: quàm, ne ingenio infinitorum capaci recens vnquam copia deeſſet? O factum bene! O Naturæ prouidentiam ſingularem: dum, quod maximum erat hominis Bonum, inexhauſtum eſſe itidem voluit: tantamque illius nobis opulentiam obiecit; quantam nulla ſatis animorum auiditas caperet! Iuuat, iuuat profectò tam ſplendidæ ſortis ſupremas nunquam poſſe metas attingere. Hæc deſperatio perpetuam nouarum acceſſionum ſpem fouet. Nihil vltra ſupereſſet ſperandum, niſi ſic deſperaremus. Indignum plùs nimio ſuâ felicitate ſe prodit, illius qui affluentiâ terretur: &, quia totam omni ex parte non licet complecti; ne id quidem ex eâ obtinere contendit, quod licet. Fuerit olim Sapientum nonnullorum querela, (a) Hominem, tot artium atque rerum capacem, breuiora, quàm earum pro conſummatione, viuendi ſpatia accepiſſe. Agrigentinorum nos imitari alacritatem, vel emendare potiùs conemur: &, quemadmodum illos ita ædificare, quaſi nunquam morituros, aiebat Empedocles; ſic & ipſi cumulandis, quoad eius fieri poteſt, doctrinarum theſauris, tãquam æternùm pulcherrimo negotio vacaturi, incumbamus. Sola mors limitem ponat adhuc vlteriora meditantibus, adhuc plura adepturis. Pendentem illum, quem laudatiſſimi artifices operibus ſuis ſolebant adiungere, noſtra quoque omnis literaria exercitatio præ-

---

a Apud Sen. de Breu. Vit. c. 1. & Cic. 3. Tuſcul. Qu.

b Laert. in Emped.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ferat titulum; *Faciebat.* Hoc vno interminatæ profeſſionem Sapientiæ concludi par termino eſt: hoc & imperfectam eiuſdem a me inſtitutam commendationem finiri. Dicebam.

Nulla ex liberalibus Diſciplinis ſine reliquarum omnium conſortio perfecta.

ORATIO III.

In ſolenni ſtudiorum inſtauratione.

NVnquam enimuero in eâ opinione fui, E.P., literarum vt ſtudia profeſſis per omnes, quæcunque humanitatem excolunt, artes, nullo vnius præ alia delectu, nullo præterquam vniuerſitatis voto, effundenda penitùs ingenij vela arbitrarer. Non quia conſummatæ ac perfectum in orbem circumcurrentis eruditionis numeroſiſſimam gloriam non ſemper admiratus ſim, maximèque expetendam crediderim: ſed quia & Plinianum illud altè mihi in animo hærebat,(*b*) tum ad publicam artium, tum ad propriam artificum gloriam *ſatius eſſe, vnum aliquid inſigniter, quam plurima mediocriter facere;* & ab acutiſſimo philoſophorum (*c*) didiceram, imbecilliores eſſe hominis vires; quàm vt multis egregiè perpetrandis ſufficiant: quin ip-

a Plin. in Præf. Hiſt. Nat.
b Lib. 9. Epiſt. 29.
c Ariſt. lib. 2. Polit c. 9. & lib. 2. magn. moral. c. 19.

ipſam (*a*) naturam, quò ſuorum perfectioni operum conſulat, nunquam vno genere cauſę, velut Delphico artifices gladio, ad plura efficienda vti, ſingularum ſed rerum effectui certa ſemper & propria adhibere inſtrumenta. Neque parum in eâdem confirmabar ſententiâ tum Ægyptiorum exemplo, (*b*) apud quos plurimùm ideo conſummatæ fuiſſe artes feruntur; quòd nemini pluſquàm vnam exercere ac profiteri licebat; tum Hippocratis teſtimonio, (*c*) ſeu veriùs oraculo, quem in ipſo ſtatim celeberrimi ſui operis limine de artis hinc longitudine, vitæ hinc breuitate, conquerentem audimus. Si enim vel vnius medicæ facultatis abſoluta cognitio, ingenioſiſſimo cæteroquin expertiſſimoque illius profeſſori, quantamcunque noſtri æui prolixitatem viſa eſt ſuperare; quid de vniuersâ ego encyclopædiâ, tot, tamque varijs & multiformibus diſciplinis confertâ, ſentirem? Num humanæ ipſi ætatis atque mentis ſuffecturas anguſtias? An potiùs in re tantâ diſtractis id omnino euenturum, quod in peregrinatione vitam agentibus contingere Seneca (*d*) obſeruat; vt *multa quidem haberent hoſpitia, nullas amicitias*: &, fluminis ritu per aperta camporum effuſi, latiori, quàm profundo, eruditionis alueo ferrentur? Certè nullæ (*e*) ſeu Cizici turres, ſiue Olympicæ porticus eamdem toties vocem congeminant; quoties Sapientum

a Lib. 1. Polit. c. 1. *Nihil natura tale facit, quale ſtatuarij Delphicum gladium ob inopiam, ſed vnum ad vnum. Sic enim optimè inſtrumenta proficient, ſi ſingula non multis, ſed vni deſeruiant.*
b Diod. Sic. lib 2.
c In APhoriſm ſect. 1.
d Epiſt. 2.
e Pliu. lib. 36. Hiſt. Nat. c. 15.

in paginis celeberrimum illud *Ne quid* (*a*) *nimis* repetitur: & multos ſerò tandem pœnituit, quòd Heſiodo non credidiſſent, monenti, (*b*) *Dimidium aliquando maius eſſe, quam Totum*. Cùm non modò, qui plurimum comedunt, minimum ijdem alimenti ſoleant conficere: nec ſolius inconſultæ emacitatis ille exitus ſit, quem Caſtori neſcio cui auguratus eſt Poeta, (*c*) dum caneret, *Omnia Caſtor emit; ſic fiet, vt omnia vendat*; ſed quouis in genere, vbi rerum magnitudo atque copia ſuum modum exceſſit; ipſamet ſibi obeſſe cernatur. Vt proinde non agricolis magis, quàm cuique literarum cultori, Mantuanus Vates (*d*) videatur præcipere, *Laudato ingentia rura: exiguum colito*: nec tam Martialis, quàm ipſius veritatis, exiſtimanda vox ſit, (*e*) qua *ille* affirmatur ex omnibus *ſapere*, *quiſquis plùs iuſto non ſapit*.

Sed profectò, quàmuis nimia eiuſcemodi nullas non artes doctrinaſque aſſequendi contentio impedimenti perquàm plurimum afferat, ne ſolidam laudem obtineamus in ſingulis; fatendum tamen eſt, ad plenam cuiuslibet diſciplinæ aſſecutionem nihilo minùs obſtare anguſta plùs nimis aliorum vota, ſegnemque in vnà Sapientiæ parte deſidiam: & æquè ad nullius facultatis Summam eum poſſe proficere, qui omnes, præter vnam quamdam, neglexerit; ac qui in omnibus, tamquam in vnà aliquà, princeps eſſe voluerit: nihilque propterea certioris ſupereſſe conſilij; quàm, quod, inter vitio-

ſam

a In Adag. Manut p.408.
b Apud Plat. l. 3. de Leg.
c Mart. l. 7. Epigr. 97.
d Lib. 2. Georg.
e Lib. 14. Epigr. 210. *Quiſquis plùs iuſto non ſapit; ille ſapit.*

ſam Aliorum hinc temeritatem, Aliorum inde ignauiam medium, architectis nominatim Vitruuius (*a*) præſcribit: vt nimirum & peculiarem vnam ex tanto artium numero ſibi quiſque ſeponat, in qua omnes ætatis, naturæ, induſtriæque ſuæ neruos contendat; & cæteras tamen ex toto dereli*ct*ui ne habeat: ſed, quantùm ex principalis illius vſu ſit, curet cognoſcere, eidemque velut adminiſtras ac pediſequas conetur adiungere: multò perſuaſiſſimum habens, non gratias magis, quàm liberales muſas, mutuò ſibi manus porrigere: neque Phidiam illum (*b*) artificiosè adeo Mineruæ ſimulacro inſeruiſſe ſui oris effigiem, qua reuulsà operis totius colligatio ſolueretur; quin fideliore adhuc nexu quælibet ſapientiæ pars cæteris hæreat, vnàque ideo ſublatà, reliquarum ſimul integritatem corrumpi ac deficere oporteat. Ne quis igitur, dum vaſtiſſimum illud infinitæ eruditionis Profundum euitat; in breuia atque ſirtes nimis curtæ ſapientiæ proram illidat; hoc mihi, quantùm per temporis ingenijque mei anguſtias licebit, demonſtrandum in præſentia ſuſcepi, Nullius ingenuæ artis perfectam comprehenſionem obtineri ab eo poſſe, qui cæterarum omnium non aliquam ſibi facultatem parauerit.

Celeberrima eſt, neque a Socraticis diſputationibus (*c*) magis, quàm ipſius a naturæ fontibus ducta, nobilium diſciplinarum duas in partes diuiſio: quarum altera, quid in rerum naturà veri eſſet, ſecreto contemplatu indagaret; altera, quod ſollerter indagatum fuiſſet,

a Lib. 1. c. 1.
b Val. Max. l. 8. c. 15.
c Cic. lib. 3. de Orat. c. 7.

diſerto vberique ſermone depromeret. Cùm enim duo in Homine potiſſima ſint, quæ illum a brutis Animantibus ſegregant, intelligendi nempe vis, & loquendi facultas; liberalium ſimiliter artium, quibus ad perfectam humanitatem erudimur, totidem eſſe genera oportuit: & alias in eo quidem verſari, vt cognitionem iuuarent; alias id cumprimis ſpectare, vt locutionem excolerent. Cuius vtriuſque generis vim & naturam quiſquis probè introſpexerit; cognoſcet haud dubiè, non plùs linguam indigere mentis regimine, nec menti neceſſariam magis linguæ operam eſſe; quàm mutuis officiorum vtrinque fœderibus, ſuum ad finem cumulatè aſſequendum, contemplationis, eloquentiæque artes indigeant.

Vt ab eà parte probationis initium petamus, vnde primam in ſcholis doctrinæ inſtitutionem haurimus; nemini Veſtrum eſſe ignotum opinor, quàm immenſam in amplitudinem Rhetoricæ ditio & materia explicetur. Nempe hanc nobiliſſimi duo illius præceptores, (*a*) cuiuſmodi Ariſtotelem nemo, atque Tullium negauerit, facultatem eſſe conſtituunt, quæ, nullis, aliarum vt pleræque, vel ſpatijs excluſa, vel incluſa limitibus, de propoſito quouis diſſerendi argumento copioſè, ornatè, ac perſuaſibiliter eloqui poſſit: adeò vt illam profeſſis vel de omnibus, quæ in diſceptationem veniunt, artificioſè dicendum; vel oratoris eloquentiæque abdicandum ſit nomen. Quod & grauiſſimo tam inſignium conſenſu Doctorum ſat cuiuis probari; & perappoſito ſimili quæ Dialecticæ (*b*) exēplo

a Ariſt lib. 1. Rhet. c. 1. & 2. Cic. cap 1. lib. 1. & 2. de Orat.

b Vide Ariſt. loc. cit. & Quint. l. 2. c. 21.

plo demonſtrari adhuc planiùs videtur. Si enim huic omnes concedimus, vt nullius tractationem rei a ſuo officio ſeiunctam, ſibique alienam exiſtimet, ſed quibuſuis in ſermonum generibus enucleatè, diſtinctè, ac ſubtiliter verba nouerit facere; cur Rhetoricam, quæſo, arctioribus terminatam ſpatijs velimus, quæ non alio, iuxta celebre Zenonis Effatum, (a) à Dialecticà ſeparatur diſcrimine; niſi quòd Altera, pugno conſimilis, anguſtiùs preſſiùſque rem gerit; Altera, explicatæ inſtar palmæ, fuſiorem & prolixam magis dicendi rationem ſectatur?

Hoc itaque, vt in primis receptiſſimiſque fieri ſolet artium principijs, extra diſceptationem ſepoſito, & probandæ quaſi rei fundamento præiacto; expecto iam, vt putidus quiſpiam ſe offerat ex aridiſſimà Hermagoræ, aut Apollodori diſciplinà Scholaſticus: qui, ad agendas nullius non generis cauſas, & qualibet in controuerſià copioſè, perſuaſibiliterque dicendum, ſat inſtructum, vel non prouiſis aliarum doctrinarum ſubſidijs, oratorem contendat: dummodo catholica illa Præcepta finitioneſque accuratè didicerit, quæ, ad inchoatam potiùs adumbrationem, quàm perfectam Rhetoricæ conformationem, in ſcholis traduntur. Meriſſimæ nugæ, leuiumque ſophiſtarum Commenta. Quaſi verò vniuerſum eloquentiæ, tam diuinæ facultatis, negotium perangustà regularum illiuſmodi formulà comprehenſum vſquequaque habeatur: nec, oratorem fieri, nobiliſſimum nempe in ipſos hominum animos Dominatum, acquirere, maiori conſtet impendio; quàm quo dogmaticus aliquis de dicendi generibus, de argumentorum locis, deque copià & ornatu ſermo-

a Cic. in Orat ad Brutum. c.12.

nis libellus paratur. Non ita profectò ſapientiſſimus Socrates (*a*) ſenſit: dum Phœdro Mirrhinuſio, nobili eloquentiæ Cādidato, aſſeueranter confirmat, niſi ſe in philoſophiam penitùs dederit; nunquam eum ad egregij oratoris laudem famamque euaſurum. Non ita Craſſus ille, diſertorum forique in temporibus ætatis ſuæ facilè princeps: (*b*) qui, non modò, cùm Priuatus ſuum apud Tuſculanum de oratorum officio diſſereret; eorum in numero & quaſi ſenatu quemquam vetuit haberi, niſi *omnibus ijs artibus, quæ homine libero digna ſunt, perpolitum*; ſed & legitimus Romæ cenſor cùm eſſet; minutos (*c*) quoſdam doctores, ſine vllà Grecarū doctrinarum & tranſmarinæ eruditionis tincturà dicendi artem tradere aggreſſos denuntiato ſilentio in ordinem redegit; quòd, vt ipſemet prodidit, meditationem illam orandi, ab interioris literaturæ quaſi ſpiritu vacuam, loquacitatis impudentieque potiùs, quàm eloquentie, ludum interpretaretur. Non ita poſtremò clariſſima duo Atticæ, Romanæque facundiæ lumina, Demoſthenes nimirum, ac Tullius: quorum Alter, (*d*) quàm ſtudioſus Platonis auditor fuerit, licet non ſuis ipſe declaraſſet epiſtolis; ex ſenſuum tamen ac verborum granditate, totoque ſcriptionis illius genere palàm perſpici poſſet; Alter verò, (*e*) rhetoricà Molonis Rhodij diſciplinà nequaquam contentus, Philoni Academico, & Diodoro Stoico altioribus recoquendum in ſtudijs ſe tradidit: nec vllis, vnde ingenium ali poſſet, philoſophiæ do-

a Apud Plat. in Phœdro.
b Cic. de Orat. l. 1. c. 3.
c Ib. l. 3. c. 7.
d Cic. in Oratore ad Brut. c. 2. & in Bruto c. 5.
e Id in Bruto cap. vlt.

doctrinæque præteritis fontibus, eam inde pulcherrimarum notionum copiam, iudicij maturitatem, ſolidæque eloquentiæ vim hauſit: tantum ſibi ad agendas rite cauſas, ad flectendos, quà res poſceret, concionis animos, & ad omnes fori Vſus acceſſiſſe facultatis cognouit; vt, ſeſe *oratorem, ſi modò eſſet, aut quicunque etiam eſſet, non ex rhetorum officinis, ſed ex Academiæ ſpatijs extitiſſe*, conſignatum poſteritati reliquerit. (*a*)

Et iure optimo quidem. Quam enim ex omnibus controuerſijs vnam ſecretiorum literarum indocilis rhetor, & ſolis Technicorũ Præceptis ſuccinctus, pro Merito & dignitate tractabit? Age: oranda in foro ſit fortunarum vel capitis cauſa. Num ſine iuris ciuilis intelligentià vel hiſcere poterit? Expromenda in ſenatu apud Patres, ſiue e roſtris ad populum de grauiſſimis Reipublicæ Conſultis ſententia. Diſertum fore arbitrabimur, qui totam adminiſtrandarum ciuitatum rationem ex Politicorum inſtitutione non hauſerit? Ponenda ſub oculos vitiorum hinc turpitudo, hinc virtutum præſtantia & nobilitas. Quàm inconcinna, quàm rudis, quàm monochromatea erit effigies, ni moralis ſcientia ſuam graphidem, ſuos colores præbuerit? Pro ſincerà catholicæ fidei veritate in Sectarios & Nouatores pugnandum. Vndenam, niſi ex Theologiæ armamentario, tela ſumentur? Inuenire, diſponere, confirmare, refellere, ſeparare, colligere num ignarus Dialecticæ poterit? Nam, aſtronomia, geometria, Phyſica, cæteræque, quarum profeſſa tractatio ab oratorijs actionibus remotior videtur, doctrinæ quàm vberem in quacunque ſermonis

a lb. c. 2.

materiâ rationum, ſimilium, deſcriptionumque Apparatum ſufficiant, nemo prudens æſtimator non videt. Enimuero, niſi varium, copioſum, ac multiplex ex optimarum cuiuſquemodi artium conſuetudine ſibi orator inſtrumentum parauerit; nimiùm quàm longè ſua illi puerilium iſagogarum theoremata erunt. Vel in pleriſque argumentis cum ignominiâ obmuteſcet; vel, ad ſumma cauſarum genera, ceu ad publicum quoddam doctrinæ tenuioris aſylum, confugiens, &, quod in nonneminem de hoc numero rabulam Iulianus rhetor (*a*) appoſitiſſimè luſit, *ſine controuerſiâ diſertus*, inſcientiam ſuam citiùs dicendo palàm faciet; quàm probabit facundiam: contra prorſus, ac de Pericle accepimus: (*b*) cuius admirabilis illa in concionando efficacitas inde fertur fluxiſſe; quòd eum non vmbraticus aliquis declamator ad circulatoriam garrulitatem inſtruxerat, ſed Anaxagoras Phyſicorum grauiſſimus, ideoque cognomento *Mens* dictus, in naturæ atque Veri ſacraria deduxerat: vnde mox, altùm ſpirans, & loci genio plenus, ad fulgurandum, tonandum, Græciamque concutiendam prodiret.

Quid porrò? Parumne ad perſuaſionem Auditorum valere eſt dicenda ſuadentis authoritas? Immo, ni Ariſtoteles (*c*) falſus, vel plurimùm. Iamuero ſuum quiſque apud animum reputet, vtriuſnam Dictis grauius authoritatis pondus conſtabit: vtrumnam perorantem auditoria maiori cum attentione aurium, & propenſione voluntatum excipient: Illumne, qui, veteris cuiuſdam fungi, Latinis, vt (*d*) fertur, li-

a Apud Gel lib. 9. c. 15.
b Plato in Phædro, & Cic. lib. 3. de Orat. c. 9.
c Lib 1 Rhet c. 2.
d Xiphil. in Traiano.

literulis exarati, ſimillimus, non niſi obſoleta quædam in ſuperficiem ſibi agglutinarit communium pręceptorum, locorumque elementa; an Illum, qui, opulentiſſimà, vbicunque res poſcat, rationum, ſententiarum, exemplorum copià circumfluens, non inanem rhapſodiam e tumultuarijs ſcholaſticarum auditionum quaſi pluuijs collectam, ſed cordatam, actuoſam, ſucci atque ponderis plenam, eque viuis doctrinarum multigenerum ſcatebris promanantem facundiam in forum attulerit. Nonne, vel apud ignaros auditores, vel in vulgatiſſimis quibuſque argumentis, Huius oratio germanam parentis altriciſque ſapientiæ imaginem referet, & arcano quodam, ſed nemini dubio, eruditæ mentis colore atque ſpiritu informata apparebit? Illius verò languida, eneruis, ieiuna, nec vllis intra pectus radicibus nixa, reconditioris literaturæ imperitiam ſono ipſo aſpectuque, vel nolens, fatebitur? Habet enim hoc proprium, ceu veriſſimè Sapientes (a) notarunt, multarum artium atque rerum cognitio, vt diſſimulari non poſsit, ſed *& aliud agentes nos ornet, atque, vbi minimè credas, emineat*: quemadmodum in ſaltatorio diu ludo verſatus gymnaſticæ illius artis peritiam & Vſum, quamquam minimè id ſtudeat, eleganti numeroſàque in promiſcuis etiam motibus concinnitate atque eurythmià demonſtrat: vt pilà ludentem, aut in foro ſpatiantem cùm videris; palæſtræ operam dediſſe, tametſi aliunde neſcias, ex compoſito tamen inceſſu, atque corporis habitu facilè intelligas.

De Rhetoricà vt libet, reſpondentem hic audire

a Quintil. in Dial. de Orat. c. 32. & Cic. lib. 1. de Orat. c. 3.

dire nonneminem videor. Eſto, perſuadendi ars, cui quauis in controuerſiâ neceſſariò eſt docendus, ſuamque tum authoritatis pondere, tum argumentorum vi pertrahendus in ſententiam auditor; nullius non doctrinæ facultates & copias, ad ſuſceptum ſibi munus perfectè obeundum, requirat. Num igitur de Poeſi quoque idem dicemus? Idem omnino, ſi artis tam egregiæ præſtantiam, pro eo ac par eſt, exploratam, intimèque habeamus perſpectam. Nam quem mihi tu Poetam appellas, aut animo fingis? Aucupemne numerorum aliquem, vocularum decempedatorem, ſyllabarum libripendem: qui enodibus verſuum iuncturis, otioſorum affectuum delicijs, amœnis deſcriptiunculis, puerilibus fabulis, idque genus tantummodo verborum feſtiuitatibus circùm aures inaniter ludat: & abunde ſuo muneri paria ſe arbitretur feciſſe, modò argutulos ſenſus, iucundaſque rerum imagines ſonantibus metris incluſerit, troporumque, ac figurarum pigmentis, & reliquo dictionis poeticæ Mūdo ſpecioſè exornauerit? An potiùs vatem ſacrum, qui, omnem animo peruagatus naturam, & arcana Idearum in concilia receptus, pulchetrimis ſplendidiſſimiſque Veri formis mentem imbuerit: qui vulgare nil ſapiat, nil, reliqui ceu Mortales, loquatur: ſed, illuſtrium iam laudes heroum, iam ſapientiæ myſteria, iam viuendi Præcepta e congeſti pectoris adyto effundens, ſublimibuſque adeo argumentis parem ſtyli magnificentiam coniungens, Verſus deuoluat, quà rerum dignitate, quà expreſsionis vi atque pondere, vltra humanum ſonantes, nec ſine religioſo quodam circumſtantis theatri, penè dixerim, horrore audiendos? Profectò haud permagni res pretij ducenda eſt Poeſis: nec quidquam pla-

planè habet vel ijs laudibus dignum, quibus largè adeo a profeſſoribus ſuis cumulatur, penitiora ſe cæli commercia, & vberiorem diuinæ mentis hauſtum ſortitos iactantibus; vel honoribus ijs, quos in omni memoriâ atque gente a ſummis iuxta, infimiſque Mortalium perquam maximos & ampliſsimos retulit; ſi nihil demum ſit aliud, quàm meriſsima quædam, vt Quintiliani (*a*) verbo vtar, *mataeotechnia*, artificioſa nimirum inſania, ludicrum otioſorum negotium, deſidioſa ſcalpurigo aurium, & vaniſsimum canoræ voluptatis aucupium. Idque adeo ſi naturâ comparatum ſic eſt, nec vllam, quemadmodum Eratoſtheni placuit, (*b*) altiorem ad metam poetarum vota collimant; ſupremùm per me quidem valere muſis omnibus licet. Suas ſibi ſteriles vmbras, ſuos ſibi habeant inanes cantus & choros, ſolis dignæ imberbibus pueris relinqui, vel virorum ijs etiam, quos puerili ab ætate non mentis maturitas, ſed menti fruticatio ſecernit: qui nimirum in nugis laborare ſano & graui homine indignum non cenſeant, nec, Pliniano cum Attilio, (*c*) intellexerint, quantò *ſatius ſit otioſum eſſe; quàm nihil agere.*

Procul o tamen ſiue a meo, ſiue a recti æſtimatoris cuiuslibet ſenſu tam iniquæ perſuaſionis calumnia. Contra quippe ſapientiſſimi docuerunt me viri, excellentioris multò indolis facultatem hanc eſſe; quàm, vt in fabellis iociſque, ad concinnam numerorum dimenſionem emodulandis, ſuum omne artificium, ſuam omnem diligentiam conſumat. Audiui Poetas a Platone (*d*) iam Deorum interpretes, iam vir-

a Lib. 2 c. 20.
b Strab. l. 1.
c Plin. l. 1. Ep. 9.
d In Io, in Conu. in Lyſ.

virtutum genitores, iam præuios ad ſapientiam duces vocari. Legi apud Maximum Tyrium,(*a*) eorum monumenta nihil prorſus eſſe aliud, quàm philoſophiam, metris aſtrictam, allegoriæ velo inumbratam. Teſtem habeo Strabonem, (*b*) quàm certa eruditæ antiquitatis conſenſio *primæ* nomen *philoſophiæ* Poeſi detulerit. Scio celeberrimos quoſque maiorum gentium vates ſublimia cumprimis, eque intimo doctrinarum ſacrario deprompta carminibus ſuis argumenta adoptaſſe, Muſæum Linumque theologica, Lucretium & Parmenidem phyſica, Manilium atque Aratum cæleſtia, Homerum porrò Virgiliumque omnē adeo encyclopædiam ſuis inſeruiſſe præclaris operibus; vt in Primo *nullius non artis aut perfecta, aut certè non dubia reperiri veſtigia* Quintilianus (*c*) affirmet; Alter verò & *Poetarum Plato* cognominari a prudentiſſimo imperatore Alexandro (*d*) Seuero; & apud Macrobium ipſimet rerum naturæ atque vniuerſitati ob infinitam omnis generis eruditionem coæquari meruerit. (*e*) Adde his Euripidem, cuius, quot Verſus, totidem ſibi teſtimonia videri Cicero (*f*) aiebat. Adde Tyrtæum, qui Lacedæmoniorum animos ad quælibet inuadenda belli diſcrimina poeticis numeris, Martiali ceu Claſſico, exacuit. (*g*) Adde Orpheum poſtremò, qui, quòd ſylueſtre antiquiſſimorum hominum genus a ferino victu cultuque manſuetiorem ad viuendi rationem traxiſſet; fero-

ciſ-

a *Diſſ.* 29.
b Lib. 1.
c Lib. 12. c 11.
d Lamprid in Alex.
e Lib 5. Saturn. Vide & l 1. 2. 3.
f Lib. 16 Ep. Famil. Ep. 8.
g Iuſtin l 3. c [illegible] Poet

ciſſimarum immanitatem belluarum lenire, quin & ipſas cantu ſyluas rapere eſt dictus. Quæ omnia perſpicuè, vt opinor, declarant; puerilene & ludicrum quidpiam muſarum ars ſit: an eiuſmodi potiùs; vt omnes complectatur doctrinas, omnibuſque proinde ad perfectam ſuæ laudis conſummationem indigeat.

Sed quorſum tot exempla atque teſtes? Ipſummet profeſſionis, qua de loquimur, finem magis libeat inſpicere. Multò ille manifeſtius ac certius rei eiuſdem argumentum præbuerit. Siue enim ad ſolam aurium delectationem, ſiue ad animorum etiam vtilitatem referatur Poeſis; quid horum tandem vnum egregiè magnificèque ineruditus verſificator præſtabit? Num docendo ac monendo ſe vtilem Reipublicæ finget? Ita, credo: abſtruſiſſima veritatis oracula ex intimis Academiæ penetralibus proferet: quam ne a limine quidem aſpexit. Ructabitur ſapientiæ Præcepta: quam primoribus vix labris guſtauit. Priùs equidem Adonijs in hortulis Ægypti Libyæque meſſes flaueſcere; quàm inani a Logodædalo frugiferum ſolidumque carmen depromi videritis. Pulcherrimarum inſolens artium, cùm ad magna & ſublimia canenda neceſſarias deeſſe ſibi opes agnoſcat; leuiſſimis in argumentis nugiſque vniuerſos poeticæ facultatis Apparatus indigniſſimè decoquet, Pyreici illius pictoris exemplo, (a) quem ab eiuſmodi materiæ vilitate *Rhiparographon* Græcia cognominauit: aut etiam (quod paucioribus vtinam experimentis conſtaret) ad amatorias iiſdem illecebras, & blanda vitiorum lenocinia, non minori muſarum cum probro, quàm ciuitatum cum pernicie, abutetur. At, leporum ſal-

a Plin l. 35. Hiſt. Nat. c. 10.

ſaltem & facetiarum diſertus, iucundè auditores morabitur. Pueros, ſanè haud negauerim, idque genus literarum profanos. Sed neque popularis adeo eſt muſarum Reſpublica; vt quoſcunque, vel ex proletarijs & capite cenſis, homunculos legitimorum in ordinem iudicum dignetur recipere: cùm grauiſſimus literaturæ totius Conſul Tullius (*a*) celebri iampridem Senatuſconſulto vulgauerit, quemadmodum Orator venditare ſe populo ſtudeat; ſic Poetam paucorum lectiſſimorumque approbationem ſectari; neque rurſus dubitari poſſe a quoquam videtur, aptiorne ſit futurus patricio Eruditorum palato, maiorique illorum in animos manſuræ ſolidæque voluptatis cum ſenſu illapſurus, qui argutæ numerorum dulcedini Ethicæ Placita, Phyſicæ Arcana, theologiæ myſteria ſcitiſſimè innectat, & ea rurſus omnia pulcherrimis imaginibus exemplisque, ab omni tum naturæ, tum artium vſu depromptis, illuſtret ac variet; an qui verſiculos, bellè quidem cadentes, vinulos, venuſtulos, muſſeos, ſed nullo lectioris Veri ſucco refertos, nullo ſententiarum pondere innixos, ceu quædam Parnaſi melimela, fatuaſque mariſcas, apponat. Certè vel Homeri (*b*) ſirenes, quibus cæteroqui nil blandius, nil ad aures permulcendas ſuauius, dum canoras prætemauiganti ſua litora Vlyſſi moliuntur inſidias; non Feſcenninos iocos, aut Mileſias obtrudunt fabellas, ſed rerum præſtantium nouarumque auditionem promittunt. Neque enim ſperandum videbatur (quod optimè animaduertit cordatus illius cantici (*b*) interpres) ſapientiſſimo Græcorum

a In Bruto cap. 9.
b Odyſ. l. 12.
c Cic. l. 5 de Finibus.

rum heroi iucundum poſſe carmen accidere, quod cognitionis doctrinæque miſturà,& quaſi fermento temperatum non eſſet.

Quiſnam igitur, manifeſtam adeò tam in Poeſi, quàm in Oratorià,perſpiciens Venuſini illius oraculi (a) fidem, *Scribendi rectè ſapere eſt & principium, & fons*; dubitare vltra poterit, eloquentiæ num artes, ceu primo demonſtrandum ego ſumpſeram loco, perfectam atque integram ſuæ laudis abſolutionem nanciſci, altioribus ſine literis, nequeant? Nemo ſanè, vt opinor, cui, Scepticorum a delirijs intacto, vel lucere in meridie ſit certum: nihilque propterea mihi moræ ac negotij ſupererit, quin, hac propoſitionis meæ parte iam ſatis defunctus, gradum vltro promoueam: &, quàm mutila pariter manſuetioribus abſque muſis altioris literaturæ dignitas ſit, palàm facere aggrediar. Quod vt omnibus liquidò pateat;duo priùs, ex quibus admiſſis ipſum quoque neceſſariò conſequitur, aſtruenda & rite comprobanda hic exiſtimo: primum nempe, indagatrices Veri doctrinas ſuum omnino aſſequi finem haud poſſe, ni communes in Vſus ſe prōferant; alterum verò, nunquam hoc ab ijſdem ſatis præſtitum iri, ni eloquentiæ ſibi copias adjungant.

Et certè honeſtiſſimum illud cum publicis opportunitatibus Fœdus, quod veluti primum confirmationis propoſitæ cardinem ſtatui,nihilò ad contemplatiuas minùs, quàm ad cæteras omnes diſciplinas, neceſſarium ceu quoddam priuati earum finis complementum, ſpectare, prudens quiuis rerum æſtimator facillimè agno-

a Hor. de Arte Poet.

agnoſcet. Quo enim pacto conſtare vnquam poſſet præclariſſimis ijs laudibus fides, oratorum quas maximus pleno in Philoſophiam ore congeſſit, dum, ſubito quodam quaſi œſtro incitatus, nec ſedatam intra diſputationem cohibere admirantis impetum animi valens, ſic eam in Tuſculanis (a) alloquitur: *O vitæ Philoſophia dux, o virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum, quid non modò nos, ſed omnino vita hominum ſine te eſſe potuiſſet? Tu vrbes peperiſti: tu diſſipatos homines in ſocietatem vitæ conuocaſti: tu eos inter ſe primò domicilijs, deinde coniugijs, tum literarum & vocum communione iunxiſti. Tu inuentrix legum, tu magiſtra morum & diſciplinæ fuiſti*: quo, inquam, pacto vera credi poſſent, quæ veriſſima vtique ſunt, id genus præconia; interiores ſi literæ vnam modò ſectarentur rerum notitiam, partæ verò communicationem ſcientiæ, ceu prorſus a ſuo fine atque officio ſeiunctam, negligerent? Nonne hinc manifeſtò colligitur, grauiſſimos illos, qui primi Philoſophiam & inſtituerunt, & inſtitutam reliquerunt Poſteris, viros ita Veri perſpicientiam ſuis propoſitam habuiſſe vigilijs & ſtudijs; vt eam tamen non vnum atque integrum exhauſtorum ſibi fructum laborum cenſerent, ſed ad cognati quoque generis Bonum, tamquam ad ſupremum optimarum cuiuſmodicunque artium finem, dirigerent? Quid, quòd nec affecti eſſe aliter poterant? Cùm vel ipſa ſic ſentiat, & ſentire vnumquemque compellat natura: quæ, ad homines inuicem ſocialis vitæ nexu aſtringendos, tum nullius interioris poſſeſſionem Boni, ſine partiario & conſorte, ſat iucundam nobis voluit accidere; tum noſtræ

a Lib. 5. Tuſcul.

noſtræ præſertim impertiendæ alijs doctrinæ, vſque adeo nos cupidos finxit, adeoque, vbi noui quidpiam reperimus, in occultà atque tacità illius contemplatione non ſinit quieſcere; vt, ſi libera alicui cæleſtes in orbes ſcandendi, ſyderumque pulchritudinem, & omnia ſuperioris illius Mundi Arcana vſquequaque rimandi annueretur facultas, hac ſolummodo lege, ne in terras deinde, hominumque ad commercia, enarrandis, quæ ibi didiciſſet, reuerti liceret; nemo ſanè vnus videatur futurus, quin eam ipſam tam eximiæ, tam raræ, tam diuinæ propemodum conditionem ſcientiæ vel cum Tulliano illo Sapiente (a) inſuauem putaret; vel omnino etiam reſpueret. Quo ex communi hominum ſenſu certiſſimum fas cuique argumentum deſumere, num Sapientiæ ibi ſinis conſiſtat; vbi nulla Sapientis ſit animo quies, quòque ille cùm tandem peruenerit; ſuis nihil par votis adimplendis reperiat, ſed ipſiuſmet inſtinctu naturæ vlteriùs ſe cogatur extendere.

Neque verò philoſophorum hic aliqui promiſcuam, qua de loquimur, Suimet communicationem extrarium ſolummodo altiorum literarum eſſe finem contendant, & ſine quo nihilo illis minùs tota poſſit conſtare perfectionis atque laudis domeſticæ Summa. Mentiar quippe, Auditores, ſi vlla vnquam contumelioſior aduersùs Philoſophiam prolatà vox eſt, quæque magis exoſam & inteſtabilem humano illam generi faceret; quàm, ſi tota illius vis & natura in operatione ad publicam felicitatem nihil per ſe promouente poſita eſſe dicatur. Ita ne, cùm cæterarum artium nulla perfectum opus abſoluere, & propoſitum ſibi finem aſſequi

a Apud Cic. de Amic.

qui valeat, quin eo ipſo Rempublicam iuuet; ſola Veri indagatio natiuam propriamque perfectionem a communi fructu ſeiunget? Sola, extrinſecus tantùm & ex accidenti vtilis in Publicum erit? Et ſuccenſebimus Domitiano, ſuccenſebimus Claudio, Vitellioque Auguſtis, (*a*) quòd ex eà vrbe, in qua laniſtis, hiſtrionibus, coquis ſuus locus atque dignitas erat; philoſophos Ille, Hi autem mathematicos omnes horrendi carminis lege depulerint? Si vera ſunt, quę præclari illi diſputatores aduerſùm me contendebant; rationis haud expers ea videtur proſcriptio fuiſſe. Qui enim facultates, ſeipſis contentas, nec ad publicos Vſus ex proprio naturæ ſuæ fine atque officio inſtitutas, vllo poſſent Bonorum in numero ducere, cùm quidlibet eo ipſo, quo Bonum eſt, impertire ſe alijs, latèque profundi, & exundare quodammodo geſtiat? Aut cur retinere in ciuitate ſuà homines vellent, quos vel ipſi eorum patroni ſuperuacuos per ſe ſe ciuitatibus prædicant, ſuà quàmuis in profeſſione conſummatiſſimi ſint? Meritò igitur inconſultos huiuſmodi, præuaricatores ne dicam, an patronos, Sapientia aſpernatur: & Epicteto potiùs, viuendi ſentiendique authori grauiſſimo, (*b*) de ſuà credere naturà nos iubet: qui propriam & intercutaneam contemplatricium diſciplinarum perfectionem cum publicis vitæ rationibus vſque adeo permiſtam, intimèque concorporatam putauit; vt philoſophorum eos, qui, ſolitarià Veri peruestigatione contenti, ſuam intra ſe defodiſſent ſcientiam, ſpecie tantùm ac no-

a Suet. in Domit. c. 10. & Tac. 12. An. c. 52. & Hiſt. l. 2. c. 62.

b Apud Tarqu. Gal. Or 2. de ſtud. co gnit.

nomine tenus ſapientiæ amatores, reuerà idiotas, & profanis annumerandos cenſuerit.

Malignis, quantùm licet conijcere, auribus diſputantem me talia indiſerti quidam Sapientes excipiunt. Quid igitur? Contemptim atque ingratijs admiſſo, mutam Veri contemplationem perfectam appellari Sapientiam non poſſe; negant præfractè, quod alterum ego poſueram, vt opportuna ciuitatibus interiorum literarum ſint ſtudia, ſuoque pro Merito,& diſcentium pro vſu explicentur; vllis ea rhetorum adminiculis opibuſque indigere. Scilicet, vbi rerum perſpicientia quæritur; ſuperuacuè ineptèque de verborum laborari delectu. Aliam prorſus in roſtris linguam, in Academijs aliam vigere. Illic, tamquam in haſtiludio, ad pompam omnia adque ſpeciem referri: hìc, vt ſerio in certamine, non pictis, ſed fortibus ſolidiſque armis rem geri: quantòque ſimplicius, incomptius, & vulgare magis dicendi ſit genus; tantò plus illud ſiue ad probandum efficacitatis, ſiue ad explicandum perſpicuitatis afferre. O homines, non eloquentiæ magis, cujus vtilitatem iniuſtiſſimè eleuant, quàm ſuæmet profeſſioni, cui tantum ab amicà facultate ſubſidij, per ſummam imprudentiam, detractum eunt, aduerſarios atque inuidos! Meritò equidem Seneca (a) de peruerſis conqueritur nonnullorum iudicijs, *qui nuſquam eſſe ſubtilitatem putarent, niſi, vbi nihil eſſet, preter ſubtilitatem*. An minùs, vel diſſimili in genere hos cenſeret deſipere, qui nil ſatis ſolidum verumque eſſe iactitant, niſi, vbi merum robur, vbi nuda veritas ſit?

Sed quinam hi ſunt, aut qua profecti ex familià

a Controu. lib. 1.

milià ſcholâque tam egregij doctores ? Platonici ? Non poſſunt ij ſanè eloquentiam, veluti philoſophiæ contrariam, damnare, eodem ni nomine damnatam quoque velint ſui magiſtri & Parentis doctrinam. Tanta ſiquidem Platonis dictionem commendat elegantia & maieſtas, tamque pulchro ibi nexu non oratoriæ ſolùm, ſed vel poeticæ amœnitates gratiæque illigantur; vt parum ſit eum a Panætio (*a*) *Philoſophorum Homerum* vocari: cùm neque Iouem, ſi Græcè loqui velit, alio, quàm ipſius, ore locuturum, Antiqui (*b*) iactauerint. At fortaſſe Ariſtotelici erunt. Ne hos quidem ſermonis de cultu ſentire tam perperam ſinit *incredibilis dicendi cum copia, tum etiam ſuauitas*, Ariſtotelis in monumentis a Tullio (*c*) obſeruata: quem idem præterea & *aureum orationis flumen* profundere; (*d*) & Adoleſcentes ſuæ alumnos diſciplinæ *in theſibus, non philoſophorum ad morem tenuiter diſſerendi, ſed ad rhetorum copiam, exercuiſſe* teſtatur: (*e*) adeo vt nemo inde, ſi Strabonem (*f*) audimus, niſi eloquens linguâque rite excultus, prodierit. Quodnam ergo philoſophorum ſunt genus ? Non, diutiùs vos tenebo, Auditores. Ipſiſſimi Epicurei! Vt enim palam omnibus ſit, quàm præclarum ſequantur ducem, qui eloquentiam a rerum intellectione conantur ſeiungere; Epicurus, (*g*) inter veteris philoſophiæ coryphæos, pene dixerim, vnicus, ſiue, quòd laborem

rem

a Cic. 1. Tuſcul.
b Id. in Bruto c. 5.
c In Præf. Topic.
d Lib. 4. Acad. Quæſt.
e Id. in Orat. c. 7.
f Lib. 13.
g Vide Cicer. l. 1. de fin. & 2. Tuſcul.

rem omnem cane peius & angue exoſum haberet; ſiue quòd, veluti vnius rationem corporis in vitâ ducendam; ita & in oratione materiam ſolummodo, formâ prorſus neglectâ, curandam putaret; quoduis ſtyli artificium ſuâ funditus a doctrinâ voluit excluſum. Hominum certè dignitas non eiuſmodi eſt; vt, nedum ante Ariſtotelem, Platonemque videantur ponendi; ſed & magis mouere nos debeant, quàm vel Democritus, cuius philoſophiam poema numeris ſolutum Peritiores (*a*) appellant; vel Theophraſtus, qui ab orationis quadam veluti diuinitate nomen inuenit; vel Xenophon, cuius *voce muſas ferunt locutas*; vel tot alij præterea grauiorum diſciplinarum antiſtites, quorum in doctiſſimis libris ea ſermonis eſſloreſcit Venuſtas; vt, quamuis ſapientes inficiari quis vellet; fateri tamen eloquentes cogatur.

Quandoquidem igitur infacundæ hi ſcientiæ aſſertores minori authoritate nituntur, quàm quæ argumentorùm vicem implere, perfectamque ad perſuaſionem vna poſſit ſufficere; rationis ſaltem aliquid promant, quo & ſuæ fidem faciant ſententiæ; & nos iamdiu miſerè deuios, perque principum philoſophorum aberrantes veſtigia in viam demum reducant. At quam ij non dicam rationem, ſed vel vmbram rationis protulerint? Num, naturæ per opera, ſingulaſque per artes eundo, coaceruatis vnde vnde exemplis, nihil eſſe ſat ſolidum, nil ad hominum Vſus rite aptum conficient, quod cum ornatu ſit aliquo elegantiàque coniunctum? Ita, credo, ſuos obſtare ſyderibus radios, quò inferiora minùs corpora adiuuent: hebe-

a Cic in Orat. c. 7.

hebetari nitore gladios, qui, rubigine obſiti, validiùs ferirent: marmoreas columnas, & cedrina lacunaria, quantum Tectis ſpeciei addant; tantum contra firmitatis oſtendent atque Vsùs detrahere. Quid abſurdum & ridiculum magis? Pergant, age, pergant vlteriùs, ſi nondum exemplorum eſt ſatis. Næ contrariam, Quintiliani, & Ciceronis (*a*) ſententiam pleniſſimà inductione confirmatam vbique reperient: & ſuiſmet demum ſenſibus, *veram ſpeciem ab vtilitate nunquam diuidi*, credent: cùm, *nec vlla res ſine arte ſatis valeat; & artis ſemper comes ſit decor.*

Video tamen, quò, hac excluſi ratione, confugiant. Diuinam eſſe adeo veritatis pulchritudinem iactant; vt adiuncto quouis ornatu tegi poſſit, commendari illuſtrarique non poſſit: eodem prorſus pacto, quo Attalica veſtis Apelleæ illi Veneri non additamentum foret, ſed iniuria Decoris: quoque miram in æreo Alexandro (*b*) Lyſippi artem inductum a Nerone aurum corrupit. Præterea, ceu grauiſſimam antiqui moris matronam accerſita fuco Venuſtas, purpuræque & gemmarum licentior dedeceat Ornatus; ſic orationis pigmenta & cincinnos nimiùm quantùm a philoſophiæ ſanctimonià abhorrere. Quid, quòd, cùm infinitam Sapiens abſtruſiſſimarum quæſtionum copiam præ manibus habeat, vixque, vel compendia ſectando, earum explicationi ſufficiat; quotam demum inde partem attinget, ſi latiori, qualem rhetores amant, vtatur ſermonis circuitu? Aut quis in tantà ſui operis vaſti-

---

a Cic. l. 3. de Orat. c. 11. & Quintil. l. 8. c. 3, & l. 9. c. 4. Vide & lib. de Oratoribus c. 20.

b Plin. L. 34. Hiſt. Nat. c. 8.

vaſtitate otioſè adeo euagantem prudentioris dicet rem hominis facere; quàm, ſi negotiatorum quiſpiam, longiſſimum iter ad conuehendas peregrini Orbis merces ingreſſus, recto tramite omiſſo, per viarum Mæandros ac flexus nauigationis tempus produceret? Ita illi ſanè, falſis vera inuoluentes, pro eorum more, qui vel ipſi allucinantur; aliorum vel oculis glaucomam nituntur obijcere.

Nam, vt proximè allata primò inſtituam diſſuere; itane aut nullam, niſi Aſiaticam & redundantem, eloquentiam agnoſcunt; aut, quiſquis eſt breuiſſimus ſermo, eum ſemper fuſiori anteferendum exiſtimant? Atqui & multa in rhetorum libris de ſtylo preſſiori, ſuccincto, atque emphatico vtiliſſima inuenient Præcepta; & eam ſolùm, ſi prodeſſe auditoribus volent, dicendi breuitatem ſequentur, quæ otioſa præcidat, non verò, quæ neceſſaria & rerum intellectionem adiuuantia relinquat, ſtudioque plura citiùs explicandi, nil commodè explicet. Cùm præ nimia feſtinatio in omni vitæ actu ſibi ſoleat obeſſe: multòque, iuxta veriſſimam Platonis (a) ſententiam, præſtet pauca exactè concludere; quàm multa indigeſtè ruditerque proponere. Certè, ne a propoſito itineris exemplo abſcedamus; nemo quiſquam eſt compendij tam amans, cui vel ſumma properatio ſuadeat recto potiùs ſe tramite de feneſtris præcipitem mittere; quàm ſcalarum per flexus deſcendere: ſapienterque, vt multa alia, magnus ille Cyrus (b) aiebat, quæ commodiſsima ſit, breuiſsimã eſſe agmini viam. Vel itaque rhetorum ſtylum, quantocunque iudicij caſtigatum

D exa-

a In Theæteto.
b Xenoph. l. 2. de Inſtit. Cyri.

examine, nulli prorſus eſſe vſui, ad res quà luculentiùs exprimendas, quà penitiùs in animis conſignandas, demonſtrent; vel, ſi id nequeunt oſtendere; deſinant a ſuis eum diſputationibus, literarij ceu moram profectùs, temporiſque ac ſcientiæ diſpendium, explodere: celeberrimis alioquin duobus philoſophiæ Græcæ (a) Principibus ludibrio futuri, qui ridiculum eſſe atque ineptum pronuntiant, breuitatem in dicendo ſectari: quaſi verò aut non optimum potiùs orationis quærendum ſit genus; aut id optimum ſit, quod paucisſimis verbis, non quod maximè idoneis & appoſitis conſtet.

Perge iam, quid de reliquis eorum argumentis dicemus, a Philoſophię grauitate, quam rhetorum luxus dedeceat, ingenuàque veritatis pulchritudine, quæ ſermonis artificio inumbretur, deſumptis? Minùſne fallax ibi quoque colligendi ratio? Minorne vocum ac rerum confuſio? Nempe, quia inanis oſtentationem luxuriæ, genarumque picturam, & puellaria crepundia, cum calamiſtris, idque genus formæ adiumentis, grauiſsima dedignatur facultas; omnem illi matronalem quoque Mundum par erit auferre, & ſeminudam, pannoſam, illuuie pædoreque obſitam, ceu mendiculam aliquam, vel opificis abiectiſsimi vxorem relinquere? Quænam iſthæc, Malum, iudicandi peruerſitas eſt, nihil graue atque ſanctum, niſi quod ſordidum incultumque, cenſere? Enimuero, ſi res ita ſe habet; detrahamus ſua regibus aureorum diadematum, & ditium trabearum Inſignia. Quid perſonis tam grauibus aſcititio cum ſplẽdore atque pompà? Inornati incomptique ſuam ſinceriùs maieſtatem cuſtodient. Inijciamus

---

a Plat l 4. de Leg. Ariſt. l 3. Rhet. c 16.

mus quoque Sacris manus, & ſuo aras argento, ſuis nudemus periſtromatis templa. Quid ſanctiſsimis locis cum profanæ opulentiæ apparatu? Plus multò venerationis obtinebunt nuda, ſqualida, informia, extremæque paupertatis inter ſordes relicta. Sin autem nemo hæc ſentire, niſi omnino amentiſsimus, poteſt: faterique adeo compellimur, nihil eſſe tam auguſtum & ſanctum, quod aliquis Cultus non deceat; cur Philoſophiam tandem vnam eo in totum ſpoliatam velimus? Idque noſtris præſertim temporibus, quibus, cùm Sapientes rerum potiantur; non in dolijs iam vltra & gurguſtijs Sapientia obſordeſcit: ſed, in laureata quoque limina, & Principum aulas hoſpitali fœdere admiſſa, plus aliquid præ ſe ferre vrbanitatis debet, mundioremque paulò Habitum, & conſentaneum ijs, quos inter verſatur, nitorem aſſumere.

Atenim hinc Veritas læditur, cui tantus à naturâ ineſt decor; vt eum, qui artis mangonio intendere moliatur, corrumpat. Ineptiſsimè dictum. Perinde quaſi, dum compoſito, eleganti, ſplendidoque ſermone Veritatem eloquentia proponit; natiuam illius pulchritudinem conetur augere: nec potiùs omne huiuſmodi artificium mangoniumque ad eam e tenebris eruendam, & in bono quaſi lumine collocandam reſpiciat: vt nimirum, quæ humanæ mentis vitio non niſi à paucißimis liquidò perſpici, ſuumque æſtimari iuxta Meritum poterat; adiunctæ mox artis beneficio in oculos palàm incurrat, & vel hebetiſsimo cuique aſpectandam ſe præbeat. Quod, vtrum ſit Veritatem corrumpere; an ſinceritati ſuæ reddere: & vtrum, quæ id præſtat, eloquentia cæleſtis huiuſce Veneris formam ſuo dicendi artificio,

importuno ceu quodam velamine obtegat; an potiùs Apelleis quaſi coloribus Auditorum in mente depingat; neminem, non dicam ſanum, ſed vel ſano ſimilem, fallit. Pudeat ſanè philoſophos, & rerum intelligentiam profeſſos tam friuolis cauillationibus decipi. Pudeat manifeſtis in rebus adeo luſcitioſos ſe prodere: videantque, ne ipſimet potiùs lutulenti ſordibus ſtyli Veritatis dignitatem obſcurent ac minuāt: cuius myſteria (vt cum Quintiliano (a) rem colligam) *quantò pulchriora viderentur, ſi illa ij docerent, qui eloqui etiam præſtantiſſimè poſſent:* ſique, vt Magnus olim Alexander (b) *Edicto vetuit, ne quis ſe, præter Apellem, pingeret, aut alius Lyſippo* in ære procuderet; ita & ſublimiorum quæuis diſciplinarum non niſi ab diſertiſſimis, maximèque ad repræſentandum idoneis pateretur docendo ſe exprimi?

Et hactenus quidem non inopportunam philoſophicis eloquentiam doctrinis vidiſtis. Vultiſne, ceu propoſui, perutilem quoque, immo & neceſſariam, ad eas vulgò luculentiùs tradendas perſpicere? Laboris moræque nil erit, dummodo ipſius Philoſophiæ conditio æſtimetur: quæ, quantò difficultatis obſcuritatiſque plus habet; tantò hanc, qua de agimus, neceſſitatem faciliùs demonſtrat & clariùs. Quid enim? Futurum, credo, quiſquam ſperabit, vt rudis, & contrarijs ſæpe opinionibus præoccupatus auditor ſubtiliſſimarum quæſtionibus rerum aures libenter commodet, dictorum vim penitùs introſpiciat, peregrinam veritatem ſine vllâ hæſitatione amplectatur; niſi efficaciſſimâ quadam orationis compoſitæ vi & excitetur, vt attentè au-

a Lib 12. c. 11.
b Horat. Epiſt 1. l. 2.

audiat; & adiuuetur, vt commodè intelligat; & inducatur, vt firmiter credat? Næ, qui ita opinantur, parum intelligunt, quàm ſpiſſum operoſumque negotium ſit, rerum naturam, ſuis euolutam e latebris, diſcentium non modò animis proponere; ſed oculis penè ipſis ad citiorem, plenioremque intelligentiam ſubijcere. *Danda eſt*, quod de ſuo naturalis hiſtoriæ opere profitetur Plinius, (a) *vetuſtis nouitas, nouis authoritas, obſoletis nitor, obſcuris lux, faſtiditis gratia, dubijs fides, omnibus verò natura, & naturæ ſuæ omnia.* Quantum iſta, rogo, quàm exquiſitum & ſingulare dicendi artificium deſiderant? Quanto hìc opus erit tum in ſingulis vocibus, tum in dictione vniuersà delectu, nitore, atque cultu? Niſi fortè, aut, iconicam ad rerum expreſſionem, nihil verbis communibus propria, inertibus actuoſa, futilibus energiæ ac ſignificationis plena cenſemus preſtare; aut ſplendidus, lenis, concinnus, hilaris, varius, puroque amni ſimilis ſermo nihilo plus, quàm horridus, incompoſitus, rudis, plebeius, fœdàque paſſim ſtribiligine ſcatens, attentionis meriturus videtur. Quid illa de rebus aptè ordinandis eloquentiæ Præcepta, ne aliæ cum alijs confundantur partes: vt prima cum ſequentibus Nexus faciles habeant: ſemel dicta ne iterum otioſè inculcentur: fuſiùs tractata epilogo breui, vel arguto epiphonemate colligantur: ex argumentis, quæ lucem afferre cæteris poſſunt, prima collocentur; quæ minus per ſe roboris habent, reijciantur in turbam; firmiſſima quæque ad extremum ſeruentur? Quid & reliqua facultatis oratoriæ inſtrumenta, vt concitatis, pugnantibus, viuidis ſententiarum

a *In Præfat.*

figuris opportunè animetur oratio: & diſputans iam ſuo quaſi iure ſibi aliquid ſumat; iam ſecum deliberet, quid e plurimis potiſſimum ſeligat; iam, re ſatis propoſitâ, ſententiam Auditorum exquirat: ipſe ſe interroget, ipſe ſibi reſpondeat: quæ nocere nil poſſunt, quaſi per liberalitatem concedat; quæ adiuuant minus, negligere ac præterire in meliorum copiâ ſe iactet: oppoſitæ leuitatem ſententiæ Socraticâ nunc ironiâ, liberali nunc ioco feſtiuè traducat: ſua in Aduerſarium tela, non vulgari apertâque ratione, ſed amentato, vt altiùs peruadant, ſubitoque, vt caueri minùs poſſint, iactu remittat: efferueſcat interdum vehementiùs, exclamet quaſi apertam falſitatem non ferens, miretur quemquam eſſe, qui perſpicuis adeo in rebus dubitare adhuc poſſit: omnes vultus, omnes Motus atque Habitus pro tempore aſſumat: fuſo aliàs & æquabili orationis tractu leniter fluat; certus aliàs victoriæ oratorium illud breuiſſimum, & fulminis in morem rotatum enthymema contorqueat? Quid hæc, inquam, & huiuſmodi plura, ex rhetorum ſcholis deprompta, parumne adiumenti conferre dicemus rationibus ſubtiliter ingenioſèque excogitatis, quò & paratiores diſcentium aures inueniant, & ad animos altiùs peruadant, & in pectore fideliùs ſedeant, & aſſenſum certiorem extorqueant?

Profectò vel rhetorum ars perſuadendæ veritati aliquid confert; vel, non philoſophicis modò, ſed & oratorijs diſſertationibus omnino ſuperuacua exiſtimetur, neceſſe eſt. Neque enim, ſi philoſophus vera afferre ſe prædicat; falſa e contrario ad vulgum venditanda ſibi Orator ſepoſuit: non orator cæteroqui, ſed merus ſophiſta, nec, vt ab omnibus definitur, per,

perſuadendi vniuersè artifex, ſed ſolius perſuadendi artifex mendacij futurus. Cur igitur, ſi, ad faciendam verè pronunatiatis fidem, commodam Huic, adeoque neceſſariam dicendi artem fatemur; non eamdem Illi etiam perutilem ad perſuadenda, quæ verè docet, putemus? Num, eorum quòd ſermo in diſſimili verſetur materiâ? Ire quidem inficias id poſſem; cùm nihil, quod ex omni rerum genere in diſceptationem cadit, ab oratorio eſſe officio ſeiunctum probauerim. Fac tamen, ſit verum. Diſſimilem hinc ſolùm in Vtroque, non verò nullam in Altero eloquentiam requiri conficitur; quinimmo, cùm ſpinoſiora ſint, quæ in Academijs explicantur; vel diligentiorem, molliendæ aſperitatis ſuæ gratiâ, videntur culturam exigere. Num, quia philophicarum quæſtionum ſubtilitas, ipſomet operoſiore ignoti nec vulgaris Veri indagatu, ſat iucundè, vel citra vllum dicendi lenocinium, auditores moretur? Vtinam non potiùs fatiget, ac terreat. Sed neque apud rhetores deſunt paradoxa & problemata, nihilo philoſophicis minùs cum vera atque ſolida, tum noua & ſubtilia, quæ a ſermonis tamen cultu adiumenti gratiæque non minimum trahunt. Num, quòd Alterius cura omnis ad mouendam Voluntatem refertur; Alter ſolo in docendi fine ſubſiſtit? Quid tum? Quaſi verò & philoſopho nihil ad hunc finem aſſequendum conducat, ſi opinionibus ſuis Auditorum beneuolentiam attentionemque conciliet; & quidquam oratori proſit adhibere Voluntati artis machinas, niſi priùs Rationem ſuas in partes adduxerit. Num poſtremò, quia Hic forenſem apud turbam perorat, quæ curſu ſonituque amplioris facundiæ percellitur; Ille verò, ſecretus a populo, in eruditorum circulis diſ-

diſputat, vbi, tamquam in Areopago, ſola rerum momenta expenduntur? Atqui hoc illud ipſiſſimum eſt, quod vobis iamdudum obijcio, quicunque philoſophiam ab eloquentiâ ſeiungitis, in publicas opportunitates delictum: ad pauciſſima nimirum ſubſellia ſapientiæ diſciplinam contrahere, tantumque illud veritatis, quaſi ſolis, lumen, publicum & Mundo debitum Bonum, vnius intra anguſtias gymnaſij concludere: quod, ſi aliquam nauaſſetis Rhetoricæ operam; mutuatis ab ipsâ præſidijs in Medium proferre, ipſique vel idiotarum vulgo impertire poſſetis. En quantò minùs Reipublicæ aptos exotica iſta ſcholaſticè potiùs, quàm humanè loquendi conſuetudo vos finxit. En quantùm veſtrâ ipſorum reſponſione comprobatur, quod ego demonſtrandum ſuſcepi, indiſertam ſcientiam in commune humani generis Bonum haud ſatis proficere. Quamquam neque iſtâ mendacis gloriæ laureolâ ſuperbos abire vos patiar, vt opico agreſtique ſermonis genere doctis ſaltem auribus gratiores putemini. Nam neque aut inerti ſic ſemper cum vulgo eloquentia rem habet; quin multoties in curiâ, multoties in Academiâ lectiſſimorum virorum tum aures capiat, tum animos moueat; aut rudes adoleſcentuli, quos ſuis imbuendos doctrinis philoſophus ſuſcipit, magno ſanè interuallo a promiſcuâ multitudine differunt, oratorias quæ actiones conſueuit excipere. Certè ſuas, quantùm libet, cogitationes Aduerſarij torqueant; nullum probabile mihi ſatis diſcrimen inuenient, cur dicendi facultatem, quam in roſtris & foro vtiliter dominari concedunt; non etiam in Sapientum Lycea, tamquam explanandis cō-modiùs diſciplinis neceſſariam, vltro aduocandam, omnibuſque intromittendam portis exiſtiment.

De-

Denique a nullo poſſe in Dubium vocari videtur, quin rerum cuiuſquemodi vtilitas per iucunditatis admiſtionem incrementi plurimum capiat. Sic enim condita & plures Mortalium, qui eam cæteroquin reſpuiſſent, ad experimentum Sui allicit; & natiuas iuuandi vires eò pleniùs expromit; quò libentiùs excepta, nihil in homine, quod ſibi reluctetur, ſuamque adeo efficacitatem cohibeat, offendit. Hinc percelebre illud Medicorum Effatum, ea in primis nutriendo eſſe, quæ placeant: hinc & nobilis Stagiritæ (*a*) ſententia, perfici delectatione virtutem: nullumque adeo prouidentiſſimis quibuſque animorum inſtitutoribus ſtudium impenſius, quàm efficiendi, cum antiquo Lacone, (*b*) ſuis alumnis ſuauia, quæ natura fecit vtilia. Vt, ſubductâ proinde ratiocinationis totius Summâ, vel negãdum ſit, quidquam ab eloquentiâ poſſe adiungi veritati delectationis & gratiæ; vel, quoniam communis id ſenſus repudiat; fatendum, quantò ea per loquendi artificium ſuauior audientibus fiat; tantò etiam, humanum ad genus iuuandum, ſuumque adeo ad finem cumulatè obtinendum, aptiorem euadere.

Reliquum eſt, vt, quando neque humanioribus literis abſque ſeueriorum conſortio; neque his rurſus ſine illarum præſidio conſtare omnimodam poſſe abſolutionis ſuæ gloriam oſtendi; illud etiam, quod vnum reuocari adhuc poſſe in Dubium videtur, iam tandem conficiam, ipſas quoque nimirum indagatrices Veri artes mutuo alijs alias neceſſitatis fœdere aſtringi: adeo vt neque illarum vlla, cæterarum

D 5 niſi

a Ariſt. lib. 10. Ethic. c.4.
b Plut. in Lib. Poſſe doceri Virt.

niſi omnium auxilijs nitatur; ſuo ſatis muneri facere, integramque nanciſci propoſitæ ſibi laudis plenitudinem queat. An igitur non id ſatis perito cuilibet naturæ inſpectori, (*a*) remque altiùs cum Speuſippo rimanti, perſuadet intima doctrinarum huiuſmodi ſimilitudo, & quaſi germanitas, ex originis vnitate, communibuſque, ad quæ omnes reuocantur, principijs profecta? Nempe, cùm non minùs earum quælibet, quàm ſingula ſeptemplicis Nili oſtia, eodem ex fonte dimanent; quemadmodum nemo vnum illius fluminis alueum poteſt totum aſcẽdendo percurrere, quin ad cæterorũ tandem caput perueniat; ſic, qui totam emetiri ad vltima vſque primordia contemplatiuam facultatem aliquam velit; in reliquas itidem omnes, quamquam minimè id agens, incurrat, neceſſe eſt. Neque verò non idem confirmat tum ampliſſima illa rationum, Parium, ac Similium, quæ ab aliarum cognitione ad aliarum Effata vel declaranda, vel ſtabilienda deducuntur, vbertas; tum ipſamet artium inuentio, quarum primam ſi originem cum poetarum doctiſſimis (*b*) perſcrutari velimus; facilè ſtatuemus, non eas omnes aut ſimul repertas, aut fortuito quopiam caſu incurioſis ſe obtuliſſe Mortalibus: ſed, propter communem omnium inter ſe affinitatem, & ſororiam ſimilitudinem, ab ijs, quas primò vitæ Vſus in lucem protulerat, aliarum, quæ latebant, quoddam quaſi indicium atque exemplar præmonſtratum fuiſſe: quod ingenioſi homines dum diligentiùs obſeruarent; per vnius

a Laert. in Vita Speus. *Primus hic, vt Diodorus ait, quid eſſet commune in diſciplinis veſtigauit, eaſque, quantum fieri poterat, ſibi inuicem iunxit.*

b Manil. l. 1. v. 90. & Lucret. l. 5. v. 1455.

vnius notæ artis veſtigia ad alterius paulatim, alteriuſque tum ſpeciem informandam, tum rationem conſtituendam proceſſerint: ſimili ſanè pacto, ac in metallorum fodinis quæ prima deprehenditur vena cubare ſemper aliam in proximo indicat: vnde etiam viſi Plinio (*a*) ſunt Græci metalla, quaſi alia ex alijs, vocaſſe. Verùm nil æquè neceſſarias ſibi inuicem rationales diſciplinas oſtendit; ac nodoſiſſimi tot paralogiſmorum & ſophiſmatum laquei, qui ex aliarum Pronuntiatis confuſiùs acceptis ad aliarum implicandas ſententias vulgò ſolent contexi. Num enim artem vllam perfectè aſſecutus ſcientiam dicetur, qui prolata contra ipſius theſes argumenta neſciat diſſoluere; aut his diſſoluendis rite idoneus videbitur, qui artium, vnde illa promuntur, rudis penitùs atque inſolens fuerit? Neutrum ſanè, vt opinor: quando neque alia eſt in ſcholis doctrinæ probatio, quàm eruditorum iſtiuſmodi nexuum ſolutio; nec vllius nodi Nexus extricari ab eo poteſt, qui arcanum ipſius caput ignoret. Vnde planum iam omnino cuiuis relinquitur, non magis Vniuerſi huiuſce aſpectabilis partes, *totumque alterno conſenſu viuere Mundum*; (*b*) quàm contemplatricis Sapientiæ vniuerſitas ex amicà ſuarum colligatione partium vitalem ſpiritum ducat: &, quemadmodum nonnullas apud gentes, ſi publicis in conſilijs vel vnius deſit ſenatoris ſuffragium; parum ad rem decernendam momenti habeant quotcunque cæterorum ſententiæ; rationalium ſic in artium Republicà, niſi omnes in vnum facultates conſpirent; nulli ſolidam vim ad plenum ſui muneris Effectum conſtare.

 Cùm

a Lib. 33. Hiſt. Nat. c. 6.
b Manil. l. 3.

Cùm igitur, in quamcunque ex præcipuis literaturæ totius partibus contendamus obtutum; nihil vſquam ſolitarium, nihil vnius factum Sui gratiâ, & per ſeſe ſibi omnino ſufficiens occurrat: ſed omnia videre ſit ex alijs apta, ſociæ opis egentia, tamque intimo neceſſitatis arctiſſimę nexu inter ſe colligata, vt, vnius velut corporis mēbra, citra grauiſſimū quà communis, quà proprię integritatis detrimētū, ſeparari diſiungique inuicē nequeant; quæ tandē vel ignauia, vel amentia eſt, res prouiſu naturæ tam ſalubriter nexas, damnoſiſſimo, quàmuis irritum non eſſet, conſilio, diſſolutum ire: & Bonum illud, quod, niſi plenum, contingere nemini poteſt, mutilum detruncatumque aſſequi malle? Nequidquam imbecillas vires, immenſique operis arduitatem cauſamur. Difficilius multò nobis eſt ingenuarum vllam artium ſolitariam obtinere, quàm cum reliquis miſtam. Vnicuique omnes cæteras iunxit, & plùs quàm Vulcanio illigauit vinculo Deus. Catenam hanc trahere totam poſſumus, ſi fortiter audeamus: particulatim moliri, & vnum toto ex ordine annulum integrum atque illæſum diuellere nullis vnquam conatibus poſſumus. Et tamen quamplurimi id agunt. Certam vt aliquam Sapientiæ ſibi partem abſcindant; diligentiam atque operam ſtrenuiſſimè perdunt: vtilem & neceſſarium vniuerſæ ipſius afferendæ laborem, inertes, ſuiſque lucris inimici, defugiunt. O fugam, o contentionem laboris longè iniquiſſimam! Vbi congenitus honeſtis mentibus ſciendi ardor? Vbi laudata doctrinarum ambitio? Cum rerum neceſſitate pugnamus, vt nobis eſſe indoctioribus liceat. Conuicijs & querelis naturam inceſſimus, vberiores quòd ſcientiæ theſauros adipiſci nos cogat. Si optimæ Parentis

in-

indulgentiam expugnare humana improbitas poſſet; promeriti certè tam ingratis conatibus ſumus, vt tolleretur e Medio amabilis illa totius acquirendæ literaturæ neceſſitas: vt nobis in vnâ tantùm aliquâ ipſius parte fas eſſet conſiſtere. Sed, quando maior eſt cæli benignitas; quàm ineptis vt quibuslibet votis nocituro fauore ſubſcribat; felicitatem hanc noſtram, quam effugere minimè poſſumus, vel coacti ſaltem amemus:&,quæ vnica nobis in tanta doctrinarum omnium conſenſione deliberatio ſupereſt, nullàne, an totâ potiri libeat Sapientiâ, eligamus.

Prin-

Princeps Aliјs, non ſibi.

ORATIO IV.

In anniuerſario Gregorij XIII. Pontif. Opt. Max. funere.

FAceſſere iam e Medio poteſt, E.P., vaniſſima illa ſiue inuidorum calumnia, ſiue imperitorum querela, Romanam Eccleſiam, vbi ferreo antiquorum iugo Cæſarum premi deſierit; foueri ſimul aureo deſiſſe primorum imperio Pontificum: eque ſubterraneis,quibus olim condebatur, latibulis ad regale Vaticani ſolium euectam, recentis quantùm loci eminentiâ ſurrexerit; de veteris tantùm deſcendiſſe faſtigio virtutis. Externorum nempe hoſtium ſublatis terroribus,domeſticos,eoque timendos magis, quia non timerentur, ſucceſſiſſe hoſtes, Diuitias, Securitatem, Licentiam. Turpem hinc Sacrorum Neglectum, laxata cupiditatibus fræna,antiquiores priuatæ potentiæ, quàm religionis publicæ, curas, & pollutam, dum profanis artibus quæritur, Apoſtolici maieſtatem imperij, & quidquid Malorum inimicus neſciuit Maxentius, barbarus nec optauerat Nero.

Ecce de ſummo rerum humanarum culmine, quo, ſupra populis adoratos diadematum apices,Deo proximus ſedit, auguſtus, venerabilis, ſacer, nec dignitate priùs, quàm Merito, maximus,Gregorius Decimus Tertius ſacrilegam iniquiſſimorum cenſorum audaciam ſingulari ſuâ laude, immortalibus ſuis exemplis refutat, fateri coactam, dum ſanctiorem, quia maiori ſubni-

ſubnixum potentiâ, intuetur Pontificem; ſacrorum virtutem præſidum inter fortunæ blandientis obſequia non corrumpi, ſed perfici: quantòque in Aduerſis pauciora vitiorum reperiat fomenta; tantò plura in Secundis heroicorum habere inſtrumenta & præſidia facinorum. Sic diuinus ille animus, vindicandis non minùs inſontibus, corrigendis quàm peccantibus, natus; poſt emendatos temporum ſine lege labentium errores, temporum pariter ad vota fluentium conditionem abſoluit: quique omnibus ordinem ſæculis feliciſſimè attulerat; non paſſus eſt imputari ſæculo ſuo, tamquam probrum, felicitatem.

Et meritò id ſanè. Opum ſiquidem parcitas, priuatum, vbi ciuibus contigit, Bonum, in commune degenerat apud Principes Malum. Deſcendat e ſolio, qui benemerendi copiam, ceu peccandi, perhorreſcit, materiam. Populorum Parentibus liberales Cenſus deberi vel ipſa teſtatur natura, quæ puerperas prole ditat ſimul, & lacte. Eſto, *ardua*, quod ait ille, (*a*) *res ſit, opibus non tradere mores*, & Numæ perſonam agere in Crœſi fortunâ; num tamen, ex ſolo huiuſce difficultatis ac periculi metu, opulentia, communium tot utilitatum Parens, pacis ſplendor, belli præſidium, ſoliorum baſis, potentiæ anima, benignitatis materies, a Regijs proſcribi merebitur? Nec in quoslibet potiùs tam ignaui authores ſententiæ illud iure conueniet Alexandri de Bucephalo Dictum, (*b*) Proh *qualem iſti equum perdunt, dum eo per imprudentiam vti neſciunt!* Penè tanti non eſſet, caro certè nimis conſtaret, Regnantum modeſtia,

a Matt. l. 11. Epigr. 6.
b Plut. in Alex.

ſtia, ſi nullo emi poſſet, niſi publicæ felicitatis diſpendio, inde ſolùm tutior, vnde commoda & vtilis minùs.

Hoc itaque Pontificis noſtri ſplendidiſſimum decus, hæc princeps commendatio, & ſumma ſummarum ſit gloria, familiaribus proſperitatem corruptelis purgaſſe: moderationem ſuam non ab inopiâ accepiſſe, ſed opulentiæ dediſſe: quoque nihil glorioſius, nihil ſalubrius, cum florentiſſimâ præſentis ſacri imperij fortunâ vernaculam antiquæ paupertatis innocentiam, probitatem, ſanctimoniam iunxiſſe: primæuis deceſſoribus ſuis, integerrimis viris morum diſciplinâ non imparem, Factorum excellentiâ tantò maiorem, quantò copijs viribuſque præſtiterit: fortunatiſſimâ inde populi ſorte, cuius ad gaudia cumulatiùs implenda principatus ſimul, & Princeps congruerent: cùm neque in illo iuſtæ quidpiam opulentiæ ac ſplendoris; neque in hoc rurſus exactiſſimæ quidquam deſideraretur virtutis. Quæ, dictu præclara, & ad nominis exaggerationem ampliſſima, non magnificentiùs a me hodie uſurpari, quàm veriùs, cuius rem rite expendenti conſtabit, ubi palàm oſtendero, principalis ex fortunæ amplitudine ſolas ſibi Gregorium ſepoſuiſſe moleſtias, ſolicitudines, curas; fructum omnem atque gratiam imperij alienas in vtilitates & Commoda incredibili benignitate egeſſiſſe.

Poſtquam igitur, conſpirantibus cæli terræque ſuffragiis laboranti tunc maximè Mundo par caput imponere, Hugo Boncompagnus in Tertium Decimum Gregorium tranſiuit; capaciſſimam illam mentem, & iam ſeipsâ maiorem, digna Pontifice, digna Numine cogitatio, impleuit ſtatim orbis terrarum. Tot populorum repentè pater, & aſſumptis in humeros

gene-

generis humani curis ſublimior, e Vaticano ſo-lio, non ſecus ac cæleſti quadam e ſpeculà, di-ſpoſitas quaquauerſum regiones, prouincias, nationes, imperia, terrarum, mariumque vni-uerſitatem ſub oculis habuit. Quid ubique corrupti, quid integri: ubi ſanitas, vbi medi-cas manus poſcentia vulnera: quæ partes con-uulſæ, quæ ſolidæ: quantum apud ſingulas vel timoris, vel ſpei, momento penè temporis re-cognouit, æſtimauit, perpendit.

Et vero ſpecies ea rerum fuit, quæ nullius non animi vel capacitatem obrueret; vel ſecu-ritatem terreret. Tam fœdas morum labes, tam multiplices religionis corruptelas, tam imma-nes regnorum ruinas, tot externa bella, ciuiles diſcordias, hæreſum contagia, cæli iras, Orci peſtes, terrarum exitia: adeo, penè dixerim, omnia vel miſerrimo caſu prolapſa, vel in perniciem acclinata, & lapſuris ſimilia depre-hendit.

Sed enimuero inter rerum confragoſa atque abrupta par ſibi ſolium Magnanimitas ſtatuit: certaminum & periculorum decempedà ſuam metiri amplitudinem gaudet: quæ maximè for-tia, pro tutiſſimis habet: difficultatibus, ceu triumphis, arridet: nec alià ſecuritate lætatur, niſi quam ipſamet ſibi fecit, contraria vincen-do. Ventorum ceu ſpiritus ab oppoſitu con-geminat vires, diffuſoque latè igni quantacun-que ad conficiendum obiecta materies non laſ-ſitudo eſt, ſed natiui alimentum vigoris; ſic he-rois noſtri animus ad coaceruatorum illam diſcriminum, & in ſe recurrentium immenſo quodam ambitu negotiorum vaſtiſſimam mo-lem, ceu admonitus magnitudinis ſuæ, alacrior exiluit: impoſitumque ſibi orbem terrarum, non oneris, ſed ornamenti loco, Cibeleam ve-

luti

luti quamdam ex vrbibus coronam, ſuſcipiens, En, inquit, quantus eſſe poſthac, Gregori, debeas. Humanis maiorem viribus habes, quæque ideo tuam intra mortalitatem, & natiuum hominis modum haud conſiſtere te ſinat, prouinciam. Quidquid populorum luſtrat ſol, mare ambit, cælum tegit, tuis eſt regendum, conſilijs, ſeruandum excubijs, inſtaurandum, laboribus. Diuiſit tecum quodammodo ſupremus Regnator imperij ſui curas: beandos ſibi vni Cœlites reſeruauit; cuſtodiendos tibi ſecum homines tradidit. Tuus eſſe iam vltra non potes. Totum ſibi Pontificem Superi, totum, homines vindicant. Sub principatùs nomine publicam profeſſus es ſeruitutem. Terris ſalutem, terras cœlo debes. Aſpice hæc ſydera, indefeſſos ſupra caput Rotatus voluentia: aſpice perpetuis circumactas conuerſionibus temporum vices. Nulla publicis Mundi miniſterijs eſt quies: quidquid in Commune laborat, ſtare neſcit. Cùm pacaueris regna, errores ſuſtuleris, communem felicitatem fundaueris; tunc forſan licebit, de otio tuo aliquid cogites. Quamdiu iſta in lubrico & ancipiti nutant; publicus es humani totius generis reus, ſi potes quieſcere. Procul querelæ corporis, valetudinis excuſationes, deſideria naturæ. Nihil iam tibi cum prioribus elementis, nihil infirmis cum ſenſibus, & concretione terrenâ. Nouam cæleſtemque induiſti perſonam. Haud bene vices Numinis gerit, quiſquis munere in tanto mortalem ſe eſſe, addo etiam vel fuiſſe, adhuc meminit.

Hæc prima, Auditores, fuerunt Pontificis noui conſilia: has gerendi principatùs ſanctiſſimas ſibi condidit leges: his cogitationibus præparatus, & rite ſuccinctus, ad flectendum,

tantæ

tantæ clauum Reipublicæ, moderandaſque humanarum rerum habenas acceſſit. Quid deinde præſtiterit, qua contentione generoſum Propoſitum vrſerit, vos in primis teſtari æquum eſt, hoc rectore felices, Pontificiæ ditionis populi & vrbes. Vidiſtis nempe Gregorium, quamquam omnibus terris ac gentibus beneficentiſſimas impenderet curas; adeo tamen totum, adeo indiſtrictum veſtræ incolumitati vacare; vt ſi non proxima tantùm, ſed & vnica effetis cura communis Parentis. Deſæuiret vulgatis circumquaque funeribus peſtilens annus; propinquas Aliorum ſtrages ſpectaſtis ſolummodo, tuti vigilantiâ Gregorij. Domeſticis, externiſue imminentium armorum tumultibus trepidaret reliqua Italia; immotâ vos pace florentes, belli, nedum nulla contagia, neque metum ſenſiſtis. Infeſtæ piratarum naues Thyrreni maris oram percurrerent; triremibus, militumque præſidijs opportuna per loca diſpoſitis, oſtentui fuere, non terrori. Vicino e Geneuæ limite irrupturam minaretur ſe Hæreſis; ludibrio vobis erat, Alcidem habentibus, qui trucem illam Hydram vel in ſuâ Lernâ contunderet. Quid referam æquatas paſſim, & pontibus iunctas peregrinantium ad Commodum vias, feracis glebæ valles poſt diuturnam deſidiam ſeruire agricolis iuſſas, ornata perpetuis ſalientium aquarum opportunitatibus fora, impendioſa vini, & farinæ vectigalia ſublata, commerciorum celebritatem auctam, erecta quà muſis gymnaſia; quà Cælitibus templa, literarum cultores tum præmijs excitatos, tum præſidijs adiutos, Paſtores ſuis veritos ab Eccleſijs abeſse, compreſsam vitiorum licentiam, morum corruptelas abolitas, optimam Iuuentuti educationem prouiſam, idoneos de-

lectos

lectos obeundis magiſtratibus publiciſque muneribus viros, certos demum conſtitutos quothebdomadis dies, quibus liber cuique ad Principis aures & colloquium pateret acceſsus? Profectò, ſi quæ vnquam fuit, qualem, Saturno regnante, priſci olim Mortales innocui beatique duxiſse narrantur, aureorum temporum ætas; tunc viſa eſt tanto poſtliminio ad veſtras fortunandas oras rediſse: niſi quòd, annonà frumentariæ rei vbique prouisà, famoſæ illæ Saturnij ſæculi glandes ciuium a menſis quàm longiſſimè aberant.

Quamquam cur ego Italiæ, nec totius, magnitudine Gregorij prouidentiam includo, quæ alios ignorat, niſi quibus rerum vniuerſitas circumſcribitur, terminos? Dum impreſsa pontificijs in finibus perſequor ſummæ laudis veſtigia; iam illa, tardum longè oratorem relinquens, præter Alpium ſe clauſtra in immenſum effudit: nec Iberum duntaxat, Rhenumque, & ſeptemplicem Nilum, cum tot interiacentibus populis, urbibus, regnis, ſed & ipſum tranſuolauit omnia complectentem Oceanum, per nota, per ignota terrarum, & marium, ad extremos prouecta, longiùſque vel Inferis noſtro ab Orbe ſegregatos, Antipodas. Vt parum iam ſit cum Solis eam luce conferre, nunquam omnibus ſimul terris præſenti: ſed quędam potiùs, qualem tantùm ſomniauerat Plato, (*a*) Mundi anima mereatur vocari, per vniuerſas, & ſingulas vaſtiſſimi corporis partes continuo & ęquali vigore diffuſa.

Huc o veſtras, Geographi, tabulas, huc pictos, age, Mundos proferte. Nunc, nunc intueri iuuat Orbem terrarum, dum parem iam forti-

a In Timæo.

ſortitus eſt animam, dum Gregoriano totus ſpiritu alitur, vegetatur, impletur. Video Britanniam, non aquarum magis vallo a reliquis terris, quàm errorum interpoſitu a cælo diremptam. Video Arctois ſubiectam ſyderibus Sueciam, nouoque, vltra veteres brumas, durioris gelu perfidiæ rigentem. Video Æthiopes, Afros, Arabes, Cophtas, meridianis æſtibus decolores, refundente vmbras vultibus Sole, quas a vertice incumbens corporibus demit. Video Iaponum regna toto a nobis elemento ſepoſita, & vel ipſi propemodum famæ inacceſsa. Quid horum, rogo, intimum Pontifici noſtro, immo quid non proximum fuit? De adiungendà Eccleſiæ Britanniâ ſolicitè adeo laborauit; vt, præter alia ſui huiuſce animi luculentiſſima indicia, quò catholicum in Iacobo Stuarto, id temporis puero, illi regem formaret; vniuerſum Apoſtolicæ ſedis patrimonium ſe vltro exhauſturum ſpoponderit. Legationibus pluries, tamquam cæleſtibus feruidiſſimę charitatis ſuę radijs, in Sueciam tranſmiſſis, mortiferam obſtinationis hæreticę glaciem miſerarum in animis gentium reſoluere, humanæ quoad vires ferebant, impenſiſſimè ſtuduit. Cophtis, Arabibus, Nili, atque Libani accolis ſincerę fidei candorem inducere, non ardentiùs optauit; quàm enixè inſtanterque contendit. Iaponię nedum opportunis ſubſidijs, vigiliquè & aſsiduà iuuandi contentione prçſentiſſimus fuit; ſed & ipſam viciſſim, validiſsimo ſui amoris illicio euocatam, in ſplendidà regiorum iuuenum legatione Romę habuit præſentem, ſuiſque venerabundam aſterni pedibus vidit. Aſsecutum pontificię benignitatis ingenio prouidentiſsimum diceres patrem, quod tyrannicę ſtudio ſæuitię miſanthro-

pus

pus ille Cęſar optauerat, (*a*) vnica vt ceruix non Romani ſolùm populi, ſed & humani totius generis foret: cùm, effuſiſſimis beneuolentiæ ſuæ vlnis hinc ad Orientem, oppoſitum inde ad ſolem protenſis, mediam omnem variarum tot gentium vniuerſitatem, non ſecus atque vnicam ſobolem, eodem alligaret complexu, eumdem intra ſinum conſtringeret.

Regnorum iam reliqua omitto. Qui ad vltima quęque porrigebat iuuandi ſtudioſiſſimas manus; citeriora præterire non potuit. Me tamen tacente, non tacet Græcia ſingularem a communi Parente ſibi pręſtitam opem, quà innumeris orthodoxæ inſtitutionis codicibus, ceu quadam religionis ſemente, ſuas per vrbes diſperſis; quà infelicibus Cypriorum reliquijs partim e Barbarorũ ſeruitio redemptis, partim Romæ ita exceptis; vt non amiſiſſe, ſed mutaſſe tantùm, Patriam ſe crederent; quà demum in Vrbe fundato, & egregiis communito prouentibus nationis ſuæ ſeminario; vt nullo vnquam æuo recentia lectorum ſibi iuuenum pręſidia deeſſent: a quibus, Romanę in ſinu Eccleſiæ educatis, moxque in Patriam reuerſis, ſinceros catholicæ veritatis fontes hauriret. Clamat Germania, in Pontificij pectoris comitio vel præcipuam ſe curarum fuiſſe; octo purpurati Senatûs ab eo Patres delectos, qui Borealium de prouinciarum tum Malis conſultarent, tum Bonis, accommodatiſſima excogitaturi ſiue his prouehendis fomenta, ſiue ijs eliminandis remedia: nullas præterea vtilitatis exploratiſſimæ artes omiſſas, nullas non adhibitas charitatis actuoſiſſimæ machinas, quò ſua optimis artibus imbueretur Iuuentus, ſuæ idoneis a recto-

a Suet. in Calig. cap. 30.

ctoribus gubernarentur Eccleſiæ, ſuorum animi Principum ad catholicæ religionis excitarentur tutelam, ſuæ vbiuis locorum, prout res ac tempus poſcebat, ſeu vindicandæ, ſeu ſtabiliendæ proſpiceretur ſaluti. Commemorat Gallia, quàm ſollerti vigilantiſsimus Paſtor conſilio, quàm indefeſsis conatibus, quàm ardentibus ſtudijs, quàm perpeti ſtrenuoque labore incubuerit, vt ſeſe vel inteſtinis bellorum ciuilium agitatam tumultibus, tranquillà in ſtatione componeret; vel peſtiferis nouarum opinionum infectam contagijs antiquam in fidei ſinceritatem reduceret. Narrat Polonia. Verùm qui finis audiendi erit, ſi prouincijs quibuſque proprius concedatur locus ſua viritim teſtimonia afferendi? Quin ſimpliciùs rem totam breuiùſque metimini: &, quid ſingulis gentibus immenſus Gregorij amor præſtiterit, per communium Malorum argumenta vniuersè ac generatim colligite.

Ciuilibus æſtuabant diſcordijs, mutuam in perniciem armati, quaſi nullus ab Exteris timor, & parùm Thracia ſæuiret, Chriſtianæ Reipublicę populi, ac Principes. Oblita communium Sacrorum eiuſdemque nominis fœdera: fun eſtum Iani limen erupturis latè cladibus peruium: vagantes hac, illac ſulphuratis cum facibus extimulatrices odiorum, ac ſcelerum Furię. Iam attolli vexilla, iam inflari Claſsica, iam ad arma diſcurri. Maturum exitium, belli pluſquàm timor, & tantùm non in oculis cruor, direptiones, fugę, vaſtitates, incendia. Quantum ibat ſanguinis fuſum, quàm tragicos erectis ad ſpectaculum, & plaudentibus Barbaris ludos prębitura erat immanis ſeditio; ni publicus Parens ſuam vigilantiam, ſuam authoritatem filiorum obieciſſet ſęuitię, exulceratoſ-

ratoſque animos ſingulari dexteritate ac prudentiâ permulcens, tandem à furentibus impetraſſet, ne vellent perire. Sedatæ ilico Genuenſium, Neapolitanorum, Melitenſium domeſticæ turbæ: Venetorum cum Hieroſolymitanis equitibus, Hiſpanorum cum Venetis, Vrbinatium ſuo cum Principe ſimultates compoſitæ. Pacatus Mantuano Duci Sabaudus, Ferrarienſis abſtinere vim Lucenſibus iuſſus, Rodulphus Auguſtus a Poloniâ inuadendâ deterritus. Quid multa? Ipſimet Moſcouiæ, ne grauiùs ab infeſtis Bathorei viribus vrgeretur, prouiſum: vtrà neſcias admirabili magis, an clementiâ Pontificis, qui vel perduellium filiorum cauſam tam amanter ſuſceperit; an Regis obſeruantiâ, qui, armatus, & victoriæ ſpe calens, grauiſſimo reconciliatus ſit hoſti, ne amantiſſimo non gratificaretur Parenti. O eximiam planèque diuinam vnius hominis vim, quæ diſcordes tot gentium ac Principum animos in ſuauem adeo amicitiæ concentum redegerit: nobile illud implens Septimij Cæſaris (a) ſomnium, cùm e ſpeculâ quadam ſubiectum orbem terrarum viſus eſt pertentare, modulatiſſimoque confeſtim, tamquam muſicum inſtrumentum, ſibi ſono reſpondentem audire! O pacis triumphos bellicis omnibus longè preferendos adoreis, quorum authori tot ciuicas, Europa, debeas coronas; quot tuos ipſe, non dicam ciues, ſed populos imminenti ab exitio ſeruauit! O tranquillitatis publicæ Iridem, quæ inter tam fœdas, tam horribili circumtonantes tumultu, tot minis, fulminibus, ac cruentis imbribus grauidas nubes ſalutari iubare effulſit: diſcuſſiſque irarum procellis, & ſilere armorum turbi-

a Xiphil. In Seuero.

turbinibus iuſſis, in amorem odia, in amplexus diſſidia, in ſecuritatem timores conuertit!

Hæc Suorum in animis ad concordiam reuocandis felicitas. Quid in excitandis Othomanum contra hoſtem ſollertia? Vllusne catholicorum in Europà Principum fuit, quem non hac de causà per literas, Legatoſue conuenerit: quem obſecrationibus, conſilijs, Promiſſis ad ſociandas in tyrannum ſæuiſſimum vires ſtimulare deſierit? Illa ipſa Moſcho pax exorata nonne hoc in primis ſpectauit, vt nouum ſacro bello robur, nouum Turcæ hoſtem adiungeret? Propoſitine ardorem, an conſtantiam, plùs mirer? Renouato, ſanctiſsimus quod deceſſor, Pius V., inter Venetos, Hiſpanos, ac Pontificem percuſſerat, fœdere, validiſsimàque claſſe, non citra maximas difficultates, & parem in ijs eluctandis firmitudinem animi, ornatà; vbi totum illum armorum bellique Apparatum importunis partium diſſenſionibus in irritum cecidiſſe perſpexit; ſummà quàmuis ſpe victoriæ, iuſtiſsimoque votorum fructu fraudatus, ab Incœpto non deſtitit tamen: ſed, priores Conatus incredibili labore atque ſtudio redintegrans, tantum apud Fœderatos, adhortando, vrgendo, obteſtando, perfecit; vt ſeptuaginta bellatorum millibus trecentas in triremes, aliaſque naues impoſitis, admiratione maria, terrore Orientem compleuerit. Satiſne tandem? Satis enimuero cuilibet, ſed non vni ſatis Gregorio: qui, Iulij Cæſaris more, *nil actum credens, dum quid ſupereſſet agendum*, (*a*) inexplebiles curas vel Perſarum ad regem porrexit: ipſum quoque certos per homines

a Luc. lib. 3.

ad belli conſilia ſolicitare eſt aggreſſus: ipſum quoque authoritatis ſuę pondere in armorum ſocietatem adduxit: dignus profectò, qui ardua & præclara, quàm ſtrenuè moliebatur; tam ex voto perficeret. Quòd ſi egregia ſucceſſu caruerunt conſilia: Noſtrorumque vel deſidia, vel timor, tum Pontificis curas, tum ſuas vires, tum barbara auxilia, tum publicas ſpes medio in conatu deſtituens, indecoram cum hoſte immaniſsimo pacem, quàm illuſtrem maluit victoriam; præſumptam id quidem intercipere Gregorij lætitiam potuit; meritiſſimam laudem delibare non potuit. Cùm, barbarum ipſe prædonem iniquis Chriſtianæ Reipublicæ ſpolijs ſummâ vi adortus exuere, generoſum conſilium non priùs, quàm a Suis dereretur, perſequi omiſerit: tantò maiorem ex re non perfectâ commendationem promeritus; quantò *proni ſtudij certius*, vt ille (a) ait, *indicium eſt, ſupra vires niti; quàm viribus ex facili vti. Alter enim, quod poteſt, præſtat; Alter plus etiam, quàm poteſt.*

Funeſtius adhuc Hæreſis Malum, & ſeculo illo quàm maximè publicum acriorem etiam Aduerſarium Pontificem ſenſit. Dies me deficiat, ſi, quidquid in genere hoc vel molitus eſt, vel perfecit, dicendo exequi inſtituam: quàm multas nimirum vrbes a teterrimâ eiuſmodi contagione expurgauerit: quot perniciosiſſima Nouatorum tentamenta vbique diſiecerit: quot peſtilentium errorum ſemina, priuſquàm radicibus iactis ſe latiùs propagarent, extinxerit. Nefarios in Bohemiâ Huſſitarum Conatus repreſſit. Illuminatorum Sectam in Hiſpaniâ repullulantem a ſtirpe ſuccidit. Periculoſas, quæ

a Val. Max. l. 4. c. 8.

quæ in Louanienſi Academiâ ſerebantur, opiniones tempeſtiuâ & efficaci ſedulitate coercuit: Ioannem Paleologum, ſceleratæ factionis vexillum in Germaniâ attollentem, Romam vinctum adduxit, læſæque fidei victimam dedit: Gebardum, Colonienſi ex antiſtite infamem maritum, Paſtoris ne morbus in gregem manaret, ſeptemuiratu deiecit. Crebra domi agitare conſilia, Chriſtianorum Principum aulas repetitis legationibus terere, ſummâ vi omnes hortari, ſubnatas vt hæreſum peſtes vel imperio exterminarent, vel ferro, opportuna polliceri ſubſidia, commodiſſimas peragendæ rei vias & rationes oſtendere, luculẽtis muneribus beneficijſ; quã propriam regum eloquentiam vetus ſcriptor (*a*) appellat, Fidei cauſam vrgere, lentioribus faces atque ſtimulos ſubdere, bene animatos vehementiùs incendere, ſi qui ſectariorum conniuerent Poſtulatis; minas ijs terroremque intentare, in omnes vſque partes proſpicere, Malorum contagijs vbique ſe opponere, nulli prorſus occaſioni deeſſe, nihil ad religionem quà reſtituendam, quà conſeruandam, ſibi reliquum facere, non induſtriæ, non operæ, non vigilijs & laboribus parcere, ipſam demum Hæreſim cogere, vt palàm Auguſti Saxoniæ ducis ore iactaret, Gregorij vigilantiâ rem catholicam niti, ſique eiuſmodi Roma ſemper habeat Pontifices; terrarum facilè omnium regnatricem ac dominam fore.

O animum nunquam ceſſantem, ſemper in ſpeculis, ſemper intentum, actuoſum, & vigilem! O Principem Numinis vices atque inſtar

a Strab lib. 9. *Verbis ſuadere oratorum eſt; Reges verò, muneribus exhibendis, perſuadent.*

non ſupremâ ſolùm poteſtate, ſed indefeſsâ etiam inferiorum rerum prouidentiâ gerentem! Quid enim? Humanæ hoc imbecillitatis videtur, an diuinæ potiùs virtutis, tantæ onus Reipublicæ ſuccumbentibus nunquam humeris ferre, cum tot, adeoque perplexis rerum difficultatibus aſsiduè inuictum luctari, pro ſalute ſingulorum & omnium excubias tam ſolicitas agere, in tot ſeſe opportunitates populorum diuidere, tam immani, aliorum perpetim ſuper alia incidentium, & totam vindicantium ſibi mentem, negotiorum mole non obrui, omnibus denique adeſſe vnum, vnum omnia complecti? Quaſnam, tanto in curarum ſtrepitu, operumque & rerum procinctu, exiſtimandum eſt Gregorij noctes fuiſſe, quos dies? Vbinam ſic diſtricto, quæ plebeijs quoque opificibus indulgentur, remiſſionum vices? Vbi animi corporiſque oblectamenta? Vbi otium? Vbi ludus? Vbi occupationum induciæ? Vbi vel neceſſariæ locus quieti? Hæccine ſupina illa atque deſes Romani Pontificatus felicitas? Hæccine opum comes luxuria? *Rempublicam ſibi accipere* hoc fuit? An *ſeipſum* potiùs, cum Galbâ, (a) *Reipublicæ dare*? Imperium hoc quiſquam vocat? Ego verò nec libertatem. Vt ſanè, qui tali ratione adminiſtraturus principatum erat, nil vitâ in omni animoſius beneficentiuſque præſtiterit; quàm, oblatum quòd Principis nomen & locum haud renuit ſuſcipere. Gregoriana tempora, ignoſcite. Tot, tamque immanes, conflictata quibus eſtis, ærumnas nec ignoro, nec citra miſerationem iuſtiſſimam memini. Sed, quoties turbulentiſſimâ illâ in rerum caligine Pontificis veſtri prouidentiam, ſoſ-

a Plut. in Galba.

ſoſpitale ceu ſydus, circumquaque effulgurantem intueor; non poſſum, quin exclamem, repenſa hinc ad plenum omnia fuiſſe: & vel duplicato Malorum pretio potuiſſe bene emptum videri tam diuinæ experimentum virtutis.

Iamuero, felicitati qui publicæ ſeipſum, quantus erat, ſuaſque omnes curas ſingulari adeo contentione deuouerat; pronum eſt coniectare, quàm inexplebili benignitate principalis Ærarij facultates & copias in communes Vſus diffuderit. Coniectare, inquam, pronum; ſed explicare nimis quàm arduum, & mortalis eloquentiæ conatibus maius: adeo vt, partem hanc ingreſſurus, poſtulandam iam nunc habeam orationi meæ veniam, ſi tantâ in rerum varietate, atque copiâ minùs certo euagabitur curſu. Nam quid ibi determinatum, vbi nihil extremum? Quæ infinita ſunt, certum digeri in ordinem nequeunt.

Nobilis circumfertur Titi (a) querela, diem ſe perdidiſſe affirmantis, quo nihil beneficij præſtiterat. Celebretur ſanè, quòd Titus hoc dixerit; magnificentius longè eſt Gregorio, quòd idē de ſe nunquā affirmare potuerit. Neque enim diem ſibi amiſſum, ſed vitam putaſſet, ſi vllas donandi habuiſſet ferias, qui vitam naturamque neſciuit aliam, præter ſuam, qua in omnibus viuebat, beneficentiam. Quemadmodum nulla humani corporis pars vel exiguo perſtringitur vulnere, quin eò ſtatim natura, ceu ſuppetias ſanguinem mittat; ſic nulla Mortalium vel abiectiſſimo incidere calamitas poterat, quin a Gregorio, Ærarij ſanguinem, ſubſidiarium aurum eliceret. Teſtis orphanorum Infantium ſolitudo atque Egeſtas, quibus, non-

 mo

a Suet. in Tito c. 8.

modò non rogatus, ſed vel ideo, quia per ætatem rogare non poterant, omnia Genitorum officia benigniſſimè exhibuit: vt iam non auderent pupillos ſe credere, cùm prouidum adeo in Pontifice experirentur Parentem. Teſtes honeſtorum tot ciuium familiæ, quas inopiá depreſſas iuxta largis, atque occultis ſubſidijs melioris in fortunæ ſplendorem erexit: ſolis exemplo, qui ſe oculis ſubtrahit, dum lucem ſyderibus reddit. Teſtes Peregrini, tranſfugæ, errones, religionis potiſſimùm causâ paternis e ſedibus pulſi, quos Vrbem adeuntes, tum alijs temporibus, tum per anni luſtralis Solennia beneficentiſsimo excepit amplexu, lætos, & ſuis rite experimentis perdoctos, Romæ, in communi omnium gentium Patriâ, maior licet aduenarum conſpiciatur frequentia, quàm alijs in vrbibus ciuium; neminem tamen externum atque alienigenam eſſe. Teſtes Captiui vel Chriſtiani apud Barbaros, quorum peringentem numerum non hoſtilibus magis redemit e vinculis; quàm ſplendidà charitatis ſuæ compede innexuit; vel Turcæ in pontificijs cuſtodijs, quibus clementiſsimè habitis gratiorem penè ipsâ reddidit libertate tam humani ſeruitutem Victoris: adeo vt Eubœenſis dynaſta Mahometes, peractâ iam redemptione ad Suos diſceſſurus, nihil ſecum ex Vrbe aſportandum, præter effigiem Gregorij, putauerit, Principis ſcilicet, quo nullum beneficentiorem ſibi cognitum, auditumque affirmabat. Mutauerant, eo rerum potiente, naturam miſeriæ. Votum iam erant Aduerſa: & felicitatis genus cenſebatur, infelicem videri: ſcientibus cunctis, Pontificis gratiam non alio faciliùs obtineri, quàm egeſtatis Promerito. Huic enimuero, Fortuna, vniuerſos tuos Cenſus af-

fun-

fundere, huic totum recludere tuarum opum debebas Ærarium, qui opibus non extra ſuam ſolummodo noxam, ſed ſummo etiam cum Reipublicæ Bono, vti ſciret. Nullà iam humanum apud genus laborares inuidiâ: nemo cæcam, nemo temerariam & improuidam diceret. Vni te totam donando, excuſaſſes facillimè quidquid alijs negaueras: omnibus nempe in vno ditatis, cuius facultates commune omnium patrimonium liberalitas fecerat. Sed metuiſti, credo, ne nil tibi iam in orbe terrarum liceret, ſi tam pio licuiſſent omnia Parenti: vel tuorum plus munerum noluiſti apud eum collocare, qui, nullà inde captus gratiâ, ſic aliò ſtatim cuncta ablegabat; vt, cùm Gregorium locupletaſſe te crederes; ad egentiſsimos quoſque, hoc eſt tibi maximè exoſos, tua intuereris dona migraſſe.

Et certè adeo auri minimè tenax noſtri erat Pontificis Dextera, adeo ad Chriſti ſeruatoris exemplum pertuſa atque diffluens; vt habere idem eſſet, quod profudiſſe, eodemque penè temporis puncto plena ſimul appareret, & vacua. Cuius rei argumento vel primus eſſe potuit ſacri principatùs dies, tricenis quiniſque Aureorum millibus pios in Vſus, & egenorum auxilia erogatis, Romanæ lætiſsimus plebi: nihil iam habenti, cur Græciæ inuideret fabuloſa naſcentis Palladis munera: (*a*) cùm ſplendidum illud ſuperfuſi tunc Rhodo imbris aurei miraculum, vix creato a Pontifice in felicitatem ſuam editum, eò poſſet glorioſiùs iactare, quò veriùs. Quamquam diues hæc pluuia breui deſijt prodigium videri, quotidianum deinceps ſub Gregorio ſpectaculum. Quod enim ſe-

a Pindar. apud Strab. l. 14.

ſemel duntaxat a Mineruâ ibi præſtitum poetarum finxit licentia; nullis hic non diebus Pontificis repræſentauit benignitas. Ex quo adeo frequenti rariſſimorum munerum vſu etſi diminuta eorum admirabilitas eſt; immensùm tamen creuit commendatio atque gloria. Immo & admirabilitas non tam ipſis deceſſit; quàm eorum in authorem migrauit. Niſi fortè non maximum eſt habendus virtutis prodigium, in quo tam aſſidua & ordinaria ſpectantur; vt, conſumpto ſtupore, ſuum quoque iam amiſerint nomen, miracula.

Atque vtinam, ſi non omnia, quod immenſi operis foret; at pauca ſaltem quædam e pluribus huiuſmodi largitionum exempla producere hic in Medium liceret; conſtaret haud dubiè, prorſus aureos fluxiſſe, quotquot, eo Principe, Roma numerauerit dies. Nunc, quoniam rerum multitudo ſibi obſtat; quod, temporis ipſe anguſtijs excluſus, recenſere diſtinctiùs prohibeor; ex celeberrimo Capitolij monimento id vobis æſtimandum, ac rite ſubducendum relinquo. Nimirum marmoream ibi ſtatuam, meritiſſimo Principi a Senatu, Populoque Romano publicè erectam, habetis: cuius inſculptas baſi Notas ſi libeat percurrere; non minorem octingenties ſeſtertiûm Summam, Aureorum videlicet centena vicies millia, in Egenos a Gregorio profuſa diſcetis. O ſimulacrum, quo nullum, ſi ipſamet repræſentanda Liberalitas ſit; inueniri poſſit expreſſius! O epigraphem, ſolis radijs deſcribi, venturiſque omnibus tum populis ad prædicationem, tum Principibus ad exemplum commendari digniſſimam! O benignitatem, donandi inexpletam, & tantùm non prodigam, quę principatum vectigalem populis fecit: ſuum nihil ducens,

quo

quo quiſquam egeret: immo id tantùm ſuo habere in cenſu ſe putans, quo alienam egeſtatem leuaſſet. Sic magnanimus Princeps non, vt multi, Fortunæ iactandum, pilæ inſtar, ſe præbuit: ſed Fortunam ipſe potiùs habuit pro pilà, quam ad ſe venientem ſcientiſſimus ſtatim luſor Aliorum in manus ſinumque reijceret: pulcherrimo vtique, ac Superis digno ſpectatoribus ludo: vt & ſua eſſet victoria; & apud victos tamen reſideret fortuna prouentuſque victoriæ.

Neque verò mendicabula tantùm, & poſtremæ ſortis Mortales beneficentiæ hoc in ludo tam feliciter ſuperatos putetis. Reges quoque ipſos, & prima rerum capita colluſores habuit. Ipſos quoque regijs planè muneribus prouocauit: ipſos quoque, ne difficultatibus temporum vincerentur; ſuis ſibi largitionibus vincendos ſuſcepit. Nimirum, quantus imperij, tantus & liberalitatis eſt circulus. Regum timendorum in proprios greges, quemadmodum iura, ſic & dona deſcendunt. Pontificia maieſtas non populis magis, quàm populorum rectoribus, & iura præſcribit, & dona diſpertit. Num expectatis, vt ſingulos nominatim perceſeam? Ioannem Auſtriacum videlicet, cui Belgium adminiſtranti quinquaginta Aureorum millia ex Vrbe aduenerunt? Carolum Archiducem, & Rodulphum Auguſtum, quorum Ille non imparem, duplo etiam maiorem Hic Summam ad firmamentum imperij accepere? Erneſtum Bauarum ſexagenis, Henricum Valeſium centenis quinquagenis millibus aduersùs furioſa Hæreticorum molimina adiutos? Quin vnum retuliſſe pro cunctis ſufficiat Hiſpaniarum regem Philippum, cui ad tuendę religionis preſidium ex Toletanæ vacantis Eccleſiæ

reditibus duos, vt vulgò dicitur, Milliones Pontificis magnanimitas annuit. Quibus ſplendidiſſimis argumentis reuicta obmutuit aliquando vetus illa gentium exterarum querela, regnatricem hanc vrbem eo maximè ſe Orbis caput probare; quòd, quidquid in corpore vegetioris animæ ac ſpiritùs erat, ſibi totum attraheret. Fuerit hæc Romæ olim inuidia ſub Cæſarum dominatu, qui Mundi ſpolijs ſuam, imperio maiorem, nitebantur auaritiam explere. Mutauit rerum vices Gregorius. Pro Neroniano illo, quo tunc Magiſtratus inſtruebantur Præcepto, (*a*) *Hoc agamus, ne quis quidquam habeat*, aliam oppoſitam prorſus legem ſubſtituit, *Hoc agamus, ne quis quidquam deſideret.* Recepiſtis populi, recepiſtis Principes, quæ mittere ſolebatis, Tributa: nec tamen parere Vrbi deſijſtis. Vectigales antea vos habuit: beneficiarij nunc eſtis. Scitote non veſtrum a Romà iam aurum exigi, ſed obſequium.

Quàm magna ſunt, Auditores, quæ diximus; & tamen quàm exigua præ reliquis, quæ ſuperſunt dicenda? Largiſſimis ſiquidem, verùm temporarijs, Gregorij commemoratis muneribus, nondum illa in Medium produxi, quę, ſtabili fundamento ſubnixa, venientibus quoque ſæculis dedit: tantò illa maiori præ alijs in laude ponenda; quantò Salaminiæ Themiſtoclis victoriæ, quæ ſemel tantummodo profuit, nunquam non profuturum Solonis de Areopago inſtituendo conſilium Sapientes (*b*) anteferunt. Nempe hic ad perfectam integrèque abſolutam liberalitatis pleniſſimæ gloriam ſupremus

a Suet. in Neron. c.32.
b Cic. l.1. de Offic. *Illud enim ſemel profuit; hoc ſemper proderit ciuitati.*

mus quaſi cumulus deerat; vt, cùm omnes ſui æui Mortales Meritorum prestantiâ complexus fuiſſet; beneficia vel in Poſteros ſpargeret: & omnibus, ceu locorum, ſic temporum ſpatijs, glorioſus (liceat ſic loqui) diuinæ quà immenſitatis, quà ęternitatis imitator, iuuando largiendoque, præſentem ſe redderet. An non igitur referenda huc videntur, quę publica vbiuis monumenta excitauit, ſumptu tam ſplendida; vt quibuslibet vrbibus nobilitatem dare poſſint vel ſingula: numero tam multa; vt non vnius pontificatûs, ſed plurium ſæculorum, ac Principum opus mereantur cenſeri: vſu tam opportuna; vt, cùm apex & culmen magnificentię ſint; fundamenta ſimul eſſe videantur publicæ felicitatis? Perluſtrate (nam cur otiosè inculcentur auribus, quæ oculis apertiſſimè proſtant?) perluſtrate vrbem veſtram, Quirites. Quàm luculenta vbique ſpectabitis beneficæ huius, qua de loquimur, magnanimitatis veſtigia? Senatorium hic pontem Tyberi redditum, auguſtum illic Romanæ, vt vocant, Sapientiæ Prætorium, ſumptuoſiſſimum in Vaticano Gregorij Nazianzeni ſacellum, laxiſſimum ad Diocletianas thermas populi horreum, Hadrianam molem vallo munitam, Capitolinam arcem ad antiquæ maieſtatis inſtar nouatam, pontificias in Quirinali ædes, collegia hìc, illic diſperſa, Germanicum, Hungaricum, Anglicanum, Maronitarum, Neophytorum, Græcorum, & hoc, vnum par plurimis, Romanum nationum omnium diſciplinarumque Athenæum. Quantos in eiuſmodi ædificia Sumptus factos putatis? Quàm immanem vim auri profuſam? Quanta ſunt vrbis veſtræ ornamenta? Nonne, cætera licet omnia interciderent; his duntaxat ſaluis manentibus, in-

tegram adhuc Roma poſſet tueri maieſtatis ſuæ veteris famam? Quò Vrbis ſplendori, publicæque tum accolarum, tum ciuium opportunitati conſuleret; nullum non lapidem veſter Pontifex mouit. Suis vos vndique circumſepſit muneribus, & quodam beneficiorum quaſi aggere incluſit: vt ea nequaquam poſſitis effugere, niſi Patriam quoque veſtram fugeritis. Et tamen tunc etiam, palabundi & errantes, quaſnam, rogo, habitabilis Mundi oras adibitis; quin & ibi ſimilia effuſæ quaquauerſum munificentiæ occurrant exempla? Æquata Lauretum versùs via molliori vos deducet itinere: ſtrauit illam Gregorius. Conſtitutum Laureti monſtrabitur Illyricę nationis collegium: eiuſdem eſſe monumentum audietis Gregorij. Anconitanam arcem, firmiſſimis propugnaculis, æneis tormentis, bellicoque omni apparatu ad quamdam, vt ſic loquar, maieſtatem terroris inſtructam, vix non trepidâ cum admiratione ſpectabitis: Gregorianus in ſummis mœnibus excubans Draco, cuinam illa authori debeantur præſidia, vetabit neſcire. Alpes tranſibitis? Nullæ non prouincię apud ſe poſita erudiendæ Iuuentuti collegia oſtentabunt. Oſtendet Viennenſe Auſtria, Grecienſe Stiria, Pragenſe Bohemia, Olomucenſe Morauia, Dilinganum, & Auguſtanum Sueuia, Fuldenſe Saxonia, Branſbergenſe Pruſſia, Vilnenſe Lithuania, Claudiopolitanum Tranſyluania, Muſſipontanum Lotharingia, Rhemenſe Campania. Vel ipſum tranſite, qui terras omnes complexu ſuo finit, Oceanum: in extremâ deficientis Mundi appendice, Iaponiâ, Arimanum, & Anzuchixamenſe collegia, duas veluti, nouo hoc fixas ab Hercule, humanorum non magis itinerum, quàm beneficiorum, metas intueri licebit. Ex-

tra rerum terminos, totumque adeo naturæ pomœrium diſcedat neceſſe eſt, qui obliuiſci velit Gregorium. Vt profectò, quamdiu terrarum vniuerſitas ſteterit; interire non poſſit, tot perpetuis vbique muneribus præſens, prouidentiſſimi Parentis memoria: qui, Pompeij Magni famam maioribus geſtarum rerum titulis, Meritiſque tranſgreſſus, (*a*) *quot Orbis ſunt partes; totidem fecit* non *victoriæ*, ſed beneficentiæ *ſuæ monumenta*. Quod ſi currum Triptolemi pennatis circumuectum draconibus, nouarum vnde frugum primitiæ per Orbem diffuſæ, tam inſigni ſplendidoque rumore concelebrat miratrix fabularum Vetuſtas; quibus tandem, quàmque reſonis famæ præconijs ſæculorum omnium atque gentium poſteritas Gregorianum iactabit draconem, non fruges incertas & vulgaria frumenta, periture pabulum vitæ, ſed ſumptuoſas ædificiorum moles, immortales bonarum artium palæſtras, æternùmque manſura lectiſſimæ Iuuentutis ephebæa, ſeminaria, collegia nuſquam non terrarum ſpargentem?

Et collegiorum referri quidem numerus potuit. Fructum verò vtilitateſque quis referat? Quot inde prodierunt, pietate, ac doctrinà ſpectabiles, populorum magiſtri, quot ciuitatum præſides, quot Eccleſiarum antiſtites, quot egregij Scriptores, quot fortiſſimi pugiles Fidei? Senſiſti æternùm memorandam hinc opem afflictæ religioni, cum reliquo Septemtrione, Germania: ſenſiſti tuis erroribus, Græcia: ſenſiſti tu pariter, ingrata quàmuis plùs nimiò, & in alumnos tuos atque filios, immo vitæ melioris Parentes, nouercali furore deſæuiens, Bri-

a. Paterc. l. 2.

Britannia. Actum erat de florentiſſimis imperij Chriſtiani prouincijs, niſi, aduersùs erumpentes vndecunque hæreſum Furias, firmiſſima hæc fidei Romanę propugnacula erexiſſet Gregorius.

Enimuero, tot, tamque eximijs in omne paſſim hominum genus, Plebeios, Principes, Domeſticos, Exteros, Amicos, Hoſtes, Coætaneos, Poſteros, & quos non demum Mortales, profuſis quà priuatim, quà publicè donis, nihil addi vltra poſſe omnimodam ad beneficentiæ commendationem videtur. Et veriſſimè quidem, ſi ea ſolùm, quæ data ſunt, æſtimentur: longè tamen ſecus, ſi dantis quoque Voluntatem libeat expendere: quæ noſtro in Pontifice vſque adeo prolixa & benefica fuit; vt, cùm nullos, niſi magnificos, faceret Sumptus; vel exiguiſſimis poſſet regalis magnificentiæ pretium adiungere. Manu ille quidem largiebatur ſemper pleniſſimà, ſed pleniore animo tamen: immo nulli vnquam largitus eſt aurum, quin eidem largiretur ſimul & animum. Quidquid dediſſet, ſponte ſcires, & ab amante profectum. Procul a muneribus faſtus, procul omnis pompa verborum, quæ accipientis onerarет pudorem. Non cæteros modò clam eſſe volebat, quem ſibi obligaſſet; ſed ita extenuabat verbis beneficium, ita nullam exigebat vicem; vt vel ipſe, quemquam ſibi obligatum, videretur neſcire. Parum fuit, non differre Miſerorum preces; vel anteuertere ſolitus erat: parum, nullam præſeferre, dum rogaretur, faſtidij moleſtiæque ſpeciem; vel ceſſantes ad poſcendum vrgebat: ijs ſolummodo amanti paternàque quadam irà viſus offenſior, qui ſeu tardiùs ſibi aperuiſſent, qua premebantur, inopiam; ſeu ad aliam, quàm ſuam opem maluiſ-

ſent confugere. Quid inexplebilem iuuandi commemorem ſitim: quæ, quàmuis ſpes ipſas & vota Calamitoſorum excedens, nunquam ſibi vni faceret ſatis? Quid ſingularem, quam ex Aliorum leuandis ærumnis percipiebat, iucunditatem, lætiſſimos illos quidem, ſed multò ipſe lætior, dimittens? Quid amantiſſimos Fletus, quibus ſupplices Egenorum libellos interdum rigabat: perinde quaſi cum manibus oculi de miſericordiâ certarent, quaſque illæ depulſuræ miſerias erant, earum hi vel indicium feſtinarent delere? Habuit in illo, habuit Roma cumulatiſſimum quoddam Principum omnium, qui a benignitate celebrantur, compendium. Habuit Traianum, (a) qui, non contentus petita tribuere; adhuc etiam petenda ſuggereret. Habuit Theodoſium, (b) qui nullius *expectationem non modò falleret; ſed neque differret.* Habuit Gratianum, (c) cui *præſtare eſſet, quàm* Egentibus *optare, velocius*. Habuit Artoxerſem, (d) qui ſuâ magis in Alios; quàm alienâ erga ſe, munificentiâ gauderet. Habuit Cyrum, qui beneficium ſe accipere, cùm rogabatur, putaret. (e) Et accipiebat profectò, qui tam libenter præſtabat. Eſto namque, res quæ tribuitur tribuenti decedat; beneficium certè ipſum, cuius vita & ſpiritus quodammodo eſt donantis voluntas, vſque adeo per donationem ſuomet ab authore ſeparari non poteſt; vt, niſi in illo perſiſteret; beneficij iam ratio etiam apud accipientem periret. Hacte-

---

a Plin. in Paneg.
b Pacat. in Pan.
c Auſon. in Pan.
d Plut. in Artox.
e Xenoph. l. 4. de Inſtit. Cyri.

Hactenus Pontificis noſtri liberalitatem laudauimus. Defendenda iam eſt. Neque enim defuerint, qui magnificas adeo tum in publica monumenta, tum in Egentium, ipſorumque regum leuamen Expenſas ſine magnâ fieri potuiſſe Apoſtolici Ærarij pernicie vix ſibi perſuadeant. Egregium verò & præclarum id eſſe, munificentiæ ſibi gratiam aucupari ſucceſſorum inopiâ: exhaurire perpetuis noualibus copioſiſſimi fundi vbertatem: & parata in omnes ætates auxilia præcoci paucorum annorum profuſione decoquere. Sed expedita defenſio, nec glorioſa minùs: immo tam ſplendida; vt plurimum accuſatori me debere profitear: cùm aliud agenti expromendæ illius laudis occaſionem obtulerit, cæterarum quæ Summam implere, Gregorijque largitatem commendare ſat poſſit, vel vna. Audite quotquot Poſteri eſtis: ventura quæuis ſæcula audite. Tot factis impendijs, nullam adeo partem delimata eſt Ærarij fortuna; vt annuo inſuper ditior centenûm Aureorum millium prouentu ad Syxtum ſucceſſorem deuenerit. O Prouidentiam planè admirabilem! O munus eximium, quo futuros Pontifices, Mortaleſque vniuerſos beneficentiſſimus ſibi Princeps demeruit! Cùm perpetuum quaſi fontem recluſerit, vnde, in ampliſſimam tum Regnantum gloriam, tum ſubiectorum vtilitatem, noua ſemper exundarent atque integra ſuccreſcentis ſibi vlteriùs pecuniæ fluenta. Nimirum inexplebilis ille benemerendi humano de genere animus, quemadmodum portentoſam execrabatur Caligulæ immanitatem, (a) nullis publicis cladibus ſuum nobilitari principatum

que-

a Suet. in Calig. c. 31.

querentis; ſic, iuxta præclarum, & heroe maximo dignum fabuloſi Herculis (*a*) votum, quidquid Malorum ſecuturas longè per ætates diuiſerant fata, feſtinato id exortu ſub Pontificatûs ſui tempora maluiſſet gregatim erumpere: quò, vnius debellatis labore totius poſteritatis ærumnis, pacatus atque hilaris tranquillum dein otium, & halcyonios quaſi dies ageret orbis terrarum. Sed, quoniam venientis porrò æui infortunia temporibus ſuis admouere non licuit; ſuam ſaltem, quod fas erat, prouidentiam venientis ad æui infortunia porrexit: & poſteriorum Principum, ſi minùs ſecuritatem, at iuuandi certè copiam ſuum munus effecit. Si etenim Scipio, quòd duas excidiſſet Romano infeſtiſſimas nomini vrbes; *non præſentia modò, ſed & futura deleuiſſe* dictus (*b*) eſt *bella*; quidnì futura etiam ab eo profligata dicantur veriſſimè Mala, qui opportuniſſimum ijs profligandis, idemque perpetuum Reipublicæ compararit præſidium? Et multos quidem liberaliſſimos deinde Pontifices experiri tibi contigit, Roma. Sed munerum ab ijs acceptorum rationem, fac, ineas: Quidquid prædictam intra Summam erogarunt quotannis, ipſorum vtique eſt gratia, quòd voluerunt donare: Gregorio tum illi, tum omnes debemus, quòd tantum id largiri potuerint.

Sed profectò nihil quidquam libenter mirari humana conſueuerunt ingenia: vel quia impares nos ſentimus ijs, quæ ſuſpicimus; vel quia hoc in primis animi motu noſtræ inſcitiæ admone-

a Sen. in Herc. Oet. Act. 1. *Properet Malum quodcunque, dum terra Herculem habet, videtque.*
b Cic. de Amic.

monemur. Et quidem, dum Spes aliqua oſtenditur, arcanum deprehenſuros rei caput; curioſitatis ille ſtimulus grato quodam indagantes vellicat ſenſu. Vbi Captum vicere miracula, omnibuſque diu pertentatis, nullum animus perplexiſſimæ ac labyrintheæ prorſus veſtigationis exitum videt; infinita admiratio faſtidio eſſe ſibi tandem atque oneri incipit: neue quid fateri ſe maius cogatur; quæ aſſequi poſſe deſperat, facta quoque iam deſinit credere. Vt verendum propterea ſit mihi, ne principalis hæc fiſci, poſt immenſas pecuniarum erogationes, tam mira ampliatio, nullis præſertim nouis Vectigalibus populo impoſitis, quin & veterum pluribus, iiſque oppidò quæſtuoſis, remiſſis, fabuloſum & credibili maius videatur prodigium, ni eius admirabilitati alio concilietur fides, & maiori quidem miraculo. Inſtant Politicorum nonnulli: Vndenam inexhauſtarum iſta opum prolixitas? Vnde auri, nouo quaſi Midæ inter manus naſcentis, tam vberes copiæ? Poſſem afferre complura Flaminiæ, Vmbriæque, & agri Sabini loca pontificiam ad ditionem adiecta, recuperatos non paucos, nec contemnendi ſanè pretij prouentus, Rauennates valles paluſtribus aquis ereptas, culturę donatas, aluminis ſaliſque negotiationem in Italià inſtitutam, amplificatas Ceruiæ ſalinas, propagata eximio cum quæſtu Anconitani emporij commercia, ferrifodinas Spoletino in agro repertas, ſingularem poſtremò in rationibus recognoſcendis Pontificis vigilantiam & curam. Sed non his acquieſcit cauſis etiamnum inexpleta admiratio. Quin, vulgatis iampridem iſtiuſmodi artibus miſsis, veram illam, inquiunt, & ſubtiliorem rationem ediſſere, quæ tot penè prodigos Sumptus, ne-
dum

dum nihil imminuto, vel congeminato etiam imperij cenſu, tolerare potuerit. Demonſtrentur Principibus nouæ quæſtuum, iuxta ditium, & laudabilium, ſodinæ. Demonſtretur peculij fermentum, quo tanta vis auri, ſaluà etiam liberalitate, confici queat. Quid adeo me vrges, Politice? Quid cogis laudare Gregorium ultra, quàm vellem? Vnica illius ex virtutibus frugalitas eſt, quam inuitus attingo. Sed, quando tum exempli vtilitas, tum orationis fides ſic exigit; agedum, commemoretur vel ipſa. Diſcant Principum aulæ certiſsimas diteſcendi, extra querelam & onus Reipublicæ, artes. Diſcant germanam ampliandorum, non modò ſine inuidià, ſed vel cum glorià, rationem prouentuum. Parſimonia Regnantis tot Impenſas ſuſtinuit: parſimonia Vectigalium immunitatem populis præſtitit: parſimonia, vt Cenſus imperij quantæcunque benignitati non modò ſufficeret, ſed vel redundaret, perfecit. Non enim patrimoniorum pretijs ſingulæ taxabantur Principis cœnæ: non inanis oſtentatio, & ſuperuacui Apparatus prouinciarum Tributa abſumebant: nec publicà inopià conſtabat vnius domùs luxuria. Victor cupiditatum, deliciarum oſor, frugalitatis rigidiſsimus cuſtos, pontificiam moderationem, & abſtinentiam vectigalem fecit Ærario. Atque vtinam laudatiſsima hìc virtus ſtetiſſet: integram obtineret apud populos gratiam, & celebrari ſine lacrymis poſſet. Sed vlteriùs proceſsit: nec Principis cupiditates ſolummodo; ipſummet quoque Principem ſplendidam ſibi eſſe victimam voluit. Credetne hoc vlla poſteritas? Romanum Pontificem, non ex veterum numero aliquem, calamitoſum, inopem, profugum, ſed ditionis ampliſsimæ dominum, maximàque

in

in opum affluentiâ regnantem, ſeueriùs culta occidit frugalitas. Dum maiorem cuiuſque, quàm Sui vnius, rationem ducit: dum non tantùm luxuriæ, ſed & naturæ, deſideria coercet: dum vel extremam ſenectutem ſolenni quadragenùm dierum ieiunio fatigat; lethalem in morbum ab eâ cibatùs auſteritate coniectus, deceſsit: dubium de frugalitate, quemadmodum de iracundiâ cruentiſsimus ille (*a*) bellorum ciuilium Victor, relinquens, ipſamne priùs, an vitam dimiſerit: certè hoc vno ſæuus in Suos, quia præter modum ſibi parcus, plùs æquo Sui prodigus. Ah tanti, Parſimonia, non eras. Largiùs obfuiſti populis, ablato Gregorio; locupletato quàm Ærario profueris. Plus in ipſo habebamus; quàm ab ipſo habuerimus. Immenſum licet ſit, quod donauit; maius multò erat ipſe Cælitum donum. Parcamus tamen querelis. Non multos octogenario, ſupraque, iam ſeni annos parſimonia ſubduxit; æternos donauit: nec tam vitam contraxit; quàm famam extendit. Spargetur per omnes longè Poſteros, per quamcunque ſæculorum memoriam inauditum exemplum, & toties decantatum, ſemper recens miraculum, Princeps religioſâ fame conſumptus.

Atque ex his tam egregijs quà imperandi, quà viuendi Inſtitutis ſummam illam, nec minori cum beneuolentiâ coniunctam, extitiſſe authoritatem crediderim, quam ſanctiſsimus Pater vbiuis locorum, & cuiuſque apud ordinis Mortales obtinuit: ita vt, ceu de Cyro vulgatum accepimus, (*b*) *magno quilibet duceret*

---

a Val. Max. l 9. c. 3. de Sylla. *Igitur in dubio eſt, Syllane prior, an iracundia Sylla extincta ſit.*

b Xenoph. l. 8. de Inſtit. Cyri.

ret quæſtui, ſi ei gratificatus fuiſſet: omneſque, tam populi, populorum quàm præſides, in eo amando, colendoque non vnanimi ſolùm ſenſu congruerent; ſed & flagranti æmulatione certarent. Qui enim poſſent filiorum illi vices non reddere, paternę cuius erga ſe charitatis luculentiſsima tot habebant in gratuitis omne genus muneribus beneficijſque argumenta? Aut cur Numinis loco non rite obſeruandum, &, quoties ſalutaria præciperet, audiendum cenſerent, cuius in moribus conſilijſque tam expreſſa repræſentatę Diuinitatis lineamenta ſpectabant? Cùm ſuas in officio cupiditates haberet; alienas in poteſtate voluntates habuit: &, ſerens beneficia, meſſuit obſequia. Puduit illi quidquam negare, quem palàm conſtaret, nihil, niſi æquiſsimum, petere: nec reliqua perſuadere magni operis fuit, quibus perſuaſiſsimum erat, a ſuadente ſe amari. Eſto, flagrantibus concepta præcordijs offenſionum irarumque ſemina Cadmæas pullularent armorum in ſegetes: eſto, retinendæ poteſtatis iuriſque vſurpandi ſtudium violentiora conſilia ſuggereret: eſto, temporum difficultates ad accipiendas, vel iniquas, & religioni diſſentaneas, conditiones vrgerent. Omnes hi ſtimuli, omnia hæc animorum incitamenta poſt Gregorij reuerentiam fuere. Vnus ille iratis manibus tela extorquere, ambitionis ardorem compeſcere, temporum vim, & propemodum neceſſitatem valuit infringere. Illius authoritati, & conſtantiæ vel ſummi potentiſſimique Mortalium ſuas obſequi cupiditates, ſuas cedere rationes iuſſerunt. Deſideratis exempla? Tantus penè eſt eorum, catholicorum quantus Principum numerus. Ne aut pridem memorata, cùm de pacatis Europæ diſſidijs agere-

geremus, hic repetam; aut ſingulis minorum dynaſtarum recenſendis ſim longior; en intra ipſam ſtatim Italiam tum Sabaudiæ Dux Carolus, tum regalis Venetorum Senatus occurrit, ab Epiſcoporum cognoſcendis Hic cauſis; a nuptijs Ille cum hæreticâ Nauarræi Regis ſorore ineundis abductus. En Carolum Nonum exhibet Gallia, ne ſacrorum prouentuum impendio regni Incommoda ſubleuaret, deterritum. En Henricum Cardinalem ſimul, ac Regem Luſitaniæ proponit, obſequi Gregorio malentem, quàm, per coniugium ab ipſo improbatum, Regiæ domûs ſucceſſioni proſpicere. Nec minora obſeruantiæ documenta ſiue in Hiſpaniâ, ſiue ad ſeptemtrionem ſe offerunt. Nempe ibi Philippum huiuſce nominis Secundum habemus: qui conſtantiſſimas, vbi quid Apoſtolicæ ſedi minùs congruum peteretur, Repulſas adeo æqui boniquè conſuluit; vt veniam quoque aliquando vehementioris Poſtulati rogauerit; hic verò Maximilianum, & Rodulphum Cæſares intueri fas eſt, aduersùs pernicioſa Sectariorum molimina & vota, eorum licet ſubſidijs egerent, inſuperabili obfirmatos conſtantiâ. Nam Stephano de Bathoreo quid dicam? Qui, ad regnum Poloniæ præ Maximiliano Auſtriaco delectus, cùm à tanto Riuali grauiſſimam ſibi Romę controuerſiam intentari videret; vſque adeo Pontificis non refugit ſententiam; vt, miſſo quamprimùm in Vrbem ſui teſte obſequij Legato, profeſſus diſertiſſimè ſit (diſcant hinc Poſteri, num quidquam contra Gregorij voluntatem auderent in regno Principes, qui eo inuito neque volebant regnare) profeſſus, inquam, diſertiſſimè ſit, paratum ſe e ſolio deſcendere, ni, quæ ſibi fuerat in comitijs delata, Apoſtolicæ quoque

ſedis ſuffragio regalis ſanciretur poteſtas.

Tunc, tunc enimuero, ſi vnquam, terrarum ſe arbitram, humaniq ue generis caput Romā intellexit. Tunc dignum ſupremo Vaticani ſolio habere ſe Rectorem agnouit: inſolitoque plùs animi gaudio, quàm natiuo ſeptenorum collium faſtigio, reliquum ſupra Orbem elata, & ſubiectis quaquauerſum nationibus Gregorium indigitans;, Parete mihi tandem, dicere eſt viſa: Reginam fatemini. Quem vltro colendum putetis, oſtentare vobis Principem poſſum. Habeo Gregorium. Neque ſurdis hæc auribus dicta. Gregorij nomine accepto, vel barbaræ nationes indomitique olim populi ſecundis plauſibus ſtrepere, ſuis e ſedibus commoueri, ad præſtandam reuerentiam certatim accurrere, genua vltro ceruiceſque ſubmittere, in fidem ac clientelam ſe tradere. Queis Habitus,Sermo,Sacra, mores, vultus,ingenia, omnia propemodum forent diuerſa; in vno adorando Gregorio animis conſpirabant & votis. Hinc ille tam celebris ex Armeniâ, Græciâ, Chaldæâ, Arabiâ, Mauritaniâ, & quibus non ex oris, in Vrbem concurſus. Hinc ſplendida obſequentis animi pignora a Conſtantinopolitanæ, Cophticæ, & Angamalenſis Eccleſiæ prçſulibus miſſa. Hinc perinſignes amoris obſeruantiæque characteribus literæ a Cocini atque Perſidis regibus datæ. Hinc poſtremò diſiunctiſſimarum tot gentium regnorumque Oratores, in quibus Sueciam,Moſcouiam, Syriam, Æthiopiam, Ægyptum ad Pontificis ſolium licuit venerabundas aſpicere. Quamquam, vel ſi reliquus Orbis vniuerſus ceſſaſſet; vna ſatis ſuperque illuſtrandis Gregorij temporibus Iaponiorum regum legatio eſſe poſſet. Nam quid ad exemplum rarius, ad Aſpectum incun-

iucundius, ad memoriam perennius, ad famæ celebritatem nobilius; quàm ſpectatiſſimos regij ſanguinis Iuuenes, nil maris interiecti ſęuitià, nil viarum immenſitate deterritos, ex vltimo Indiæ receſſu, & ipſis quoque Indis ignoto, in hanc Fidei Regiam contendere: hortendiſque vel audaciſſimorum temeritati nautarum, quę antiquum recentemque Mundum tanto æuo diremerant, clauſtris, per aduerſos tempeſtatum, ſcopulorum, diſcriminum obices, ſtupente naturà, & fruſtra repugnante quà cælo, quà Oceano, reuulſis, poſt exantlatas triennis nauigationis ærumnas, poſt centum & ſeptuaginta ſtadiorum millia vaſtiſſimo in curſu confecta, ſupremi Antiſtitis pedibus ſe, & patria ſimul regna cultu demiſſiſſimo aduoluere, grande omnium, quæ exhauſerant, periculorum laborumque pretium putantes, quòd tantum Chriſtianę Reipublicę Principem, & generis humani Parentem coram venerari liceret? Quis vrbium, quàcunque per Europam tranſirent, admirationes & ſtudia: quis Romæ in ijs primò excipiendis feſtiuiſsimos plauſus: quis diei illius, quo legationis Solennia obierunt, gratulationem & pompam, nedum dicendo exęquare, vel animo & cogitatione aſſequi valeat? Attollite parumper, attollite ſupremo dudum ſomno compoſita ſepulcralibus e loculis capita, ſanctiſsimi prioris Eccleſię Pontifices. Publicę hic lętitiæ tam inuſitatus, tam celebris, tam multiplici validoque repercuſſu per ſeptenos latè colles circumſonans fremitus excitandę, commouendęque ſat eſt, vel ſuos inter cineres dormientium, quieti. Prodite, acceptà in vnum diem mortis veniâ, ex opaco tumulorum receſſu, abdicatęque pridem luci oculos reddite, iucundiſsimo implendi triumphan-

phantis, vt cùm maximè, Fidei ſpectaculo: & teſtes futuri, veſtriſne vnquam temporibus tam religioſa vltimarum nationum exarſerint ſtudia, tam longinqua nauigauerint Romam prouinciarum, & regum obſequia. Procul dubio vel ætatum me fallit diſcrimen; vel, eo hic palàm animaduerſo, affirmabitis, defuiſſe vobis quidem fortunam Gregorij: non defuiſſe Gregorio veſtrarum authoritatem atque gloriam virtutum.

Vbi iam igitur temerarij cenſores ij ſunt, qui præſentem ſupremi ſacerdotij opulentiam tam probroſis, quàm falſis, nominibus in inuidiam apud vulgus vocare non dubitant? Agedum, ſi diuinam ſplendidiſſimorum tot Decorum lucem caligantibus ferre oculis poſſunt; in Pontificem noſtrum liuentes obtutus defigant. Quid ei tandem principali ex fortunà æruginis vitijque adhæſiſſe deprehendent? Nonne florentiſſimas inter opes vni ſibi parcum, in reliquos omnes ſupra quàm credi poſſit munificum, humanarum rationum contemptorem magnanimum, orthodoxæ religionis Chriſtianæque diſciplinæ cuſtodem acerrimum, nunquam quietis ſuæ memorem, in publica ſemper Commoda intentum, ſolas ſibi ex imperio communis Boni curas ſumentem, ſolis quas in Alios profunderet opibus lætum ac diuitem, plùſquàm paternà vbique charitate præſentem, plùſquàm regali vbique reuerentià conſpicuum, vtque in pauca rem conferam, ceu primis Eccleſiæ naſcentis Paſtoribus morum ſeueritate, viuendi innocentià, conſiliorum altitudine, diuini cultùs ſtudio ſimillimum; ſic eorum compluribus beneficiorum amplitudine, maximorum operum glorià, partarum Eccleſiæ vtilitatum præſtantià, ſupremàque per Orbem

latè vniuerſum authoritate multò etiam ſuperiorem aſpicient? Diſcant aliquando, regalis opulentiæ imperijque amplitudinem nullis, quàm Eccleſiæ Principibus, tutiùs atque vtiliùs committi: qui munus tam lubricum non innocentiſſimè ſolùm poſſidere; ſed & laudatiſſimè norint expendere. Vel, ſi profanam id genus ſacrę poteſtatis appendicem, tamquam periculoſum plùs nimio ſuàpte naturà inſtrumentum, & Apoſtolicæ ſanctitati ob innatas corruptelas fraudeſque contrarium, criminari adhuc pergunt; ex eodem hoc ſaltem illius tam ancipiti ingenio, tum ſuum ipſi apud animum colligant; tum & mihi colligendum, proque certo apud omnes ſtatuendum relinquant, quàm eximia, quàm ſingularis, quàm prorſus heroica Gregorij Tertij Decimi cenſenda ſit virtus: qui, nullis lautiſſimæ ſortis, maximęque potentiæ lenocinijs corruptus, ſed integerrimum Sacerdotis Apoſtolici ſpecimen cum opulentiſſimi Regnatoris perſonà coniungens, ipſamet nequitię fomenta, occaſioneſque luxuriæ in beneficentiæ materiam, in religionis præſidium, in publicæ felicitatis inſtrumentum conuerterit. Dignus propterea, quem ideo a Prouidentià donatum exiſtimemus imperio; vt gemina tum antiquæ, tum recentioris Eccleſiæ ornamenta in pulcherrimum quoddam pontificiæ totius laudis quaſi exemplum componeret: & (quod Caio de Cæſarę in oppoſitam prorſus partem dictum accepimus) humano palàm generi faceret, *quid ſumma virtus in ſummà poſſet fortunà*[a].

Trium-

---

a Senec. c. 9. de Conſol. ad Heluiam. *Quem videtur rerum natura edidiſſe, vt oſtenderet, quid ſumma vitia in ſummà fortunà poſſent.*

Triumphus ſplendidior, quia ſine certamine.

ORATIO V.

De Beato Aloyſio Gonzaga.

SI vnquam palmari ſe ludibrio traductam militaris gloriæ maieſtas erubuit; tunc in primis contigiſſe id crediderim, cùm, Cæſarum illud portentum, Romanique nominis probrum, Caligula, (a) poſt ſcenicas in Rheni ripis, adque Oceanum exhibitas pugnas, magnificentiſſimum ſibi Romæ triumphum, tamquam ſi catenatam vniuerſo cum ſeptemtrione Britanniam deduceret, adornari imperauit. Nam quod tandem exhauſtorum diſcriminum, profuſique ſanguinis præmium ab imbellibus ſtrenuos, a timidis generoſos ſecerneret; vbi ſumma fortitudinis Decora ignauiæ iam in prædam ſpectarentur ceſſiſſe; quæque olim Scipionibus, Marijs, Pompeijs collectum in medio certaminum æſtu glorioſum ſudorem puluerémque deterſerat, Laurea vmbraticum Ducem, ab imaginariâ expeditione, ne conſpecto quidem hoſte, redeuntem, ambiret? Vt vt tamen inertis illius, & nullo quæſiti bello triumphi Romanam tunc militiam puduerit; non ideo nouum etiam triumphum, quem hodiernâ nos die Aloyſio Gonzagæ humanis de rebus inſtruimus, nullo quàmuis reſperſum ſudore, nulliuſque certami-

a Suet. in Calig. c. 45. 46. 47. Vide & Dion. l. 59.

nis conſcium, Chriſtiana, credo, militia aſpernabitur: quin hanc ipſam ob cauſam profuſiori etiam gratulatione atque pompà celebrandum putabit. Cùm pugna hìc abfuerit, non quia ipſe in hoſtes mouere; ſed quia ipſi hoſtes timuerunt occurrere: nec, ingloriam quòd pacem illuſtrium expeditionum periculis præmijſque anteferret; ſed quòd, omni per inuictam fortitudinem obice amoto, quædam ſibi, vel armato, & ſigna circumquaque inferenti, glorioſiſſimæ pacis otia feciſſet: eum vtique iam adeptus ex peractis certaminibus fructum, quem ſe breuì obtenturum bellicoſiſſimus Imperator Probus (*a*) iactabat, ne quis ſcilicet omnium victori negotium iam deinceps Aduerſarius faceſſeret. Age igitur, quàm ſecurus, quietus, ac penè otioſus generoſiſſimum terrenas res omnes pro religioſà nuditate abdicandi conſilium heros noſter tranſegerit, quantàque ſit virtutis præſtantià aſſecutus, ne vllam in tam arduo facinore vſitatis cum hoſtibus, fluxarum nempe opum illecebris, ineundam dimicationem haberet, mecum hìc, Auditores, cognoſcite: vt, Meritis & ponderibus cauſæ legitimum ad examen vocatis, pro veſtrà demum ſtatuere ſapientià poſſitis, iurene, an ſecus, contendam, tantò illuſtriorem humanis de rebus triumphum Aloyſio deberi; quantò in ijs abdicandis minus ille difficultatum atque hoſtium deuicit.

Inconſultam furorique ſimillimam nemo, vt arbitror, ſapiens eam ambitionem negauerit, qua Iulium Cæſarem præcipitem actum Pharſalici belli (*b*) buccinator effinxit: cùm, pugnan-

---

a Flau. Vopiſc. in Probo. *Quia totum mundum fecerat iam Romanum; breuì, inquit, milites neceſſarios non habebimus.*

b Luc. l. 2.

gnandi, quàm vincendi, cupidior, *non tam portas intrare patentes, quàm fregiſſe* clauſas, geſtiret: & præripi ab ijs ſibi palmas exiſtimans, qui vltro deditionem offerrent; nullos magis auerſaretur, quàm ſupplices, nullis æquè gratularetur, ac hoſtibus. Amens enimuero cupiditas, nec gnara, tunc in ſupremo quaſi gradu potentiam conſiſtere; cùm nullas ſuperandas difficultates, nullos perrumpendos obices habet. Quantò prudentius Antalcidæ, ac Xenophontis iudicium? Dum Hic, (*a*) militaria commemorans Ageſilai fortiſſimi regis trophæa, non ijs locum principem tribuit, quæ hoſtili cruore reſperſa ipſemet ſibi victor erexerat, ſed ijs potiùs, quæ tacitâ hoſtium, certamen abnuentium, confeſſione meruerat; Ille verò Athenienſium nonnemini, (*b*) Lacedæmonios a Cephiſo pluries amne, vi armorum repulſos iactanti, At vos, inquit, ab Eurotâ nunquam eſtis repulſi: maiorem Spartæ gloriam emphaticè innuens, ſi nullos vnquam in finibus ſuis hoſtes vidiſſet; quàm æmulæ vrbis, ſi auſos vim inferre exturbaſſet. Et iure optimo quidem. Qui enim, cum Plinio, (*c*) rem altiùs rimari, & ad primos retroagere Ortus militarem gloriam voluerit; ampliſſimas quaſque victorias ex victoris contemptu proficiſci deprehendet. Hæc radix laurorum galeatas circa frontes virentium. Huic ſordidæ baſi quæcunque bellatorum innituntur trophæa. Nemo, niſi per imbecillitatis opinionem, Aduerſarium, ſuperare quem poſſet, inuenit. Vt pugnæ aleam ſecundiſſimè iecerit; priùs certè fuit

a Xenoph. de Ageſil. Laud.

b Plut. in Ageſ. Vita.

c In Paneg. Trai. *Neque enim vnquam, niſi ex contemptu noſtri imperij, factum eſt, vt vinceremus.*

deſpectus, quàm victor: ante in dubium vocata eſt illius vis; quàm ſuperiorem ſe proderet. Ne titulos iactet, qui honorem a probro auſpicantur: ne nimiùm ſibi placeat triumpho, qui prioris contumeliæ ſuæ tot exhibet teſtes; quot ad pręſentis argumentum gloriæ circumducit Captiuos. En ſincerum, en ſolidum, en ſummo heroe digniſſimum decus, nullum qui laceſſat, qui obſiſtat, qui non modò in congreſſum, ſed vel in Conſpectum offerre ſe audeat, Aduerſarium nanciſci: difficillimas expeditiones, ceu per otium, tranſigere: ſplendidiſſima Opima citra pugnam referre: aſperrima bella ſolo armorum apparatu conficere: omnia demum, quæ ſtrenuiſſimi, audere: omnia, quæ feliciſſimi, aſſequi; & tamen ſingulari quodam priuilegio certamen neſcire, victoriam deſperare. Huic enimuero (ſi quiſquam Mortalium huiuſmodi, ſi tantam virtutem humana imbecillitas capit) huic, inquam, Cimbrici omnes, Macedonicique, & Pontici currus decedant: huic excipiendo emota ſedibus ſuis obuiàm Capitolia procurrant: hunc laureatis ſublimem quadrigis ipſamet gloria, maiore, quàm quem vnica vrbs capere poſſit, triumpho, per cæleſtes latè plagas deducat, atque illinc admirantibus populis, non tamquam egregium victorem, ſed Diuinum veluti quoddam inſolentis victoriæ prodigium, oſtendat.

Num igitur talem, in remittendo humanis quibuſque rebus nuntio, Aloyſium fuiſſe, taleſque propterea eximiæ ipſius fortitudini honores & plauſus deberi, Auditores, negabitis? Negate, prout libet, niſi & facinus illud acerrimis conflictationibus ſuàpte naturà impediri ſolitum; & ſanctiſſimum iuuenem vel minimæ, dum id perpetraret, velitationis immunem vi-

de-

deritis. Sed vtrumque planiſſimum perſpici, nec vlli, qui ſincerà mentis ſit acie, non continuò videndum.

Nam (vt ipsà ex rei peractæ materià initium ducatur) ecquam tandem innatarum homini propenſionum reperire fas eſt, cui magnanima illa fortunarum, voluptatum, honorum, paterneque domùs fuga non omnino aduerſetur: quæque ideo ad inimiciſſimum oppugnandum Propoſitum vllas artes omittat, vllis parcat conatibus, de ſummà ſibi quidquam extremàque contentione reliqui faciat? Nolo apud expertos ſingularum vires perpendere. Nolo cum præcipuis quibuſque Chriſtianæ militiæ laboribus hunc vnum componere. Illud tantùm, nemine, ceu videtur, diſſenſuro, affirmauerim, pleriſque alijs in actibus velitari virtutem, nec, quanta quanta eſt, in arenam prodire; totis hic viribus & decretorio quaſi Marte confligere: cum vno, vel nonnullis alibi hoſtibus; cum omni propemodum vniuerſitate vitiorum hic congredi. Vt proinde, quemadmodum Magnus olim Pompeius, (*a*) inter complura de ſingulis rebus in Mithridatico bello a ſe fortiter geſtis trophæa, magnificentius illuſtriuſque vnum, *De Orbe terrarum* inſcriptum, exhibuit; Chriſtianorum ſic heroum fortitudo, ſuos inter quamplurimos de humanis cupiditatibus atque vitijs triumphos, communis illius ſplendidiſſimique tituli honore hunc dignari potiſſimùm debeat, quo vno, quidquid penè vſquam terrenum per orbem ſubigi Aduerſariorum poteſt, coniunctim pariterque profligatum traducitur.

At, credo, tam immenſi laborem certaminis

a Dion. l. 37.

ſuę ſortis tenuitas Aloyſio minuerat. Nullum ipſe opum nitorem, nullos voluptatum fructus, nulla honorum Inſignia, nihil, quod tenere morarique magnopere animum poſſet, ſed obſcurum duntaxat mapale, pœnitendos Parentes, ſordeſque plebeias, & viliſſima neſcio quæ ſcruta abdicabat. Tuam hìc, Fama, fidem appello. Tu Cenſus, titulos, faſces, tu fortunæ obſequia, genij blandimenta, nominis Decora, non ſplendidam, quàm difficilem, magis generoſiſſimi illius repudij materiam, recenſe. Quid auitâ ſtirpe nobilius? Inexhauſto heroum partu clariſſima, prævalidis regum amicitijs ſubnixa, luculentis populorum imperijs dotata, vniuerſum, quà cultior eſt, orbem terrarum ſuo nomine impleuerat. Quid domeſticis opibus largius? Amplitudini generis pares, omnique deliciarum copiâ afluentes, non ad ingenuos modò vitæ Vſus pleniſſimè aderant; vel in luxùs oblectamenta exundabant. Quid hæreditario principatu floridius? Siue loci Poſitum ſpectes; vberrimam feliciſſimamque Italię partem tenebat; ſiue populorum ingenia; ipſàmet gratiorem libertate ducebant ſui Principis ſeruitutem; ſiue ditionis modum; neque ijs premebatur anguſtijs, vt nullum imperatoriæ prudentiæ campum recluderet; neque rurſum tam latè excurrebat, ſuo vt omnem rectori quietem curarum mole inuideret. Quid vtroque demum Parente amari obſeruarique a Liberis dignius? Natalium fortunæque ſpectatiſſima Decora quà indolis nobilitate, quà morum elegantiâ, quà ſobolis curâ & amore anteibant.

O abdicationem itaque, tum reliquis omnibus ex ipſius rei naturâ grauiſſimam, tum Iuueni noſtro ex peculiari ſuâ conditione multò tā-

tò grauiorem ac difficilem magis! Qua nimirum vehementiſſimi tot Affectus domandi, tam intimæ validæque animi propenſiones in contrarium flectendæ, tanta refractarijs cupiditatibus & perduelli vis naturę afferenda. Ne mihi ſuam expeditionem Colchicam Iaſon, ſuum in Italiam tranſitum Hannibal, ſuum in Ithacam Regreſſum Vlyſſes deprædicet. Vt magni operis fuerit villoſo excubantem auro dracone eludere; operoſius hìc eſt multò innatam diuitiarum auiditatem ſopire. Vt cælo permiſtæ vel nubium, nedum hominum, curſibus Alpes obſtarent; eminentiùs hic verticem tollit, vaſtiorique ſe aggere mediam opponit ſummi gradùs ambitio. Vt ineluctabili faſcino præteruolantia vela defigerent cantatrices ſirenum blanditiæ; imperioſiorem reuocandis à Propoſito animis hic obtinēt vim cognati amoris illecebræ.

Quid iam porrò, Auditores? Quem tandem rei exitum animo & cogitatione præſumitis? Disiectos huiuſcemodi obices? Aduerſam tot difficultatum molem impauidæ virtutis conatu perruptam? Hos omnes tam importunos, tamque validos hoſtes collato pede repreſſos, ſuperatos, perdomitos? Præclarum id certè fuiſſet, glorioſum, illuſtre, magnificum, ſed commune tamen cum multis. Excellentiora, ſingularia, vſitatæ admirabilitatis fines tranſgreſſa, & qualia ſub initium promiſi de Aloyſio expectate. Aliorum ſit obluctari difficultatibus; ſupra difficultates Hic fuit. Aliorum ab hoſte non ſterni; ne oppugnatus quidem Hic eſt. Aliorum finire victoriâ certamen; ſublatâ Hic omni materiâ certaminum, nouum ſibi ad ampliorem gloriam iter aperuit, non vincere. Quemadmodum tricipitem illum in-

ferni ianitorem liminis Cerberum, (a) vmbris aduenientibus blandum, receſſuris aſperrimum, non auſum fuiſſe aduersùs Herculem ſtare, ſed (b) ſub ipſum Plutonis ſolium refugientem toto illi oſtio ceſſiſſe fabulantur poetæ; ſic tres illi, quos iam nominaui, diuitiarum, principatùs, & Parentum amores, e paterna domo abitionem parantibus infeſtiſſimi hoſtes, hoſtiliumque copiarum ſigniferi, maiorem ſacri huius Herculis fortitudinem veriti, vacuo relicto veſtibulo, citra pugnam abeunti ceſſerunt.

Ceſſiſti tu prima, lautioris fortunæ cupiditas. Nam quid fructùs & Commodi quantàcunque Aloyſius ex paternæ domus affluentià ducebat; vt vel ibi cum iucunditate acquieſceret; vel inde ſubtriſtis, ac ſuo reluctans deſiderio diſcederet? Num Luculleos dapſilium cœnarum Apparatus? Cuius mendicabuli Victus tenuior? Cùm, incredibili penè parſimonia intra vnciolam contractus, adeo vitam non oblectaret; vt vix mortem arceret. Num ſumptuoſas nobilium cum Æqualibus remiſſiones ludorum? Ita ſanè, delicati hæc otij auocamenta ſtudioſè aucuparetur, qui, vel ipſa Familiarium colloquia refugiens, Diuinæ contemplationis negotium in iucundiſſimis animi remiſſionibus, humanarum remiſsionum ſolatia in moleſtiſsimis curis habebat. Num cubilis, aut veſtis mollitiem? Ignotæ ſcilicet noctes, quas vel aſperrimà hyeme humi ſeminudus traducere, ignoti rudes aſſerculi, quos ad breuiſsimæ quietis ſuppliciũ Stratis inſerere, ignota ferrea calcaria, quibus nudum latus

a Heſiod. in Theog.
b Virg. Æn. 6.

tus aſperare conſueuerat. Cur igitur de retinendis laboraret diuitijs, qui voluptatum, propter quas in pretio illæ haberi ab hominibus ſolent, & quibus ſublatis vel fumi vmbrâ viliores apud Græcum poetam (*a*) vocantur, omni penitùs ſibi vſu interdixerat? Cur eas inuitus facultates dimitteret, quas volens iampridem libenſque iucundiſſimâ illarum ex parte dimiſerat, nec vnquam, niſi vt alienas, niſi vt ignarus, & more non poſsidentis, habuerat? An non, iudice Horatio, (*b*) æquè inſolens abſurdumque id fuiſſet; ac ſi citharas quiſpiam, diligenter conquireret, ab omni earum concentu alienus? Certè neque inſtrumentum, niſi effectùs ſui gratiâ diligitur; nec alia externis in poſſeſsionibus, prçterquam inſtrumenti, ratio expetendam ſe obijcit. Sapienterque adeo Xenocrates, (*c*) cùm ab Alexandro quinquagena ſibi miſſa fuiſſent talenta; latores argenti ad philoſophicam primò menſam adhibuit; tum percontantibus, vbinam vellet regium munus deponi; Atqui ex hoc cœnæ apparatu ſat, inquit, animaduerſum vobis crediderum, nil veſtrâ me pecuniâ indigere: id nimirum per huiuſmodi ambages ſignificans, quod planiori dein ſermone Iuſtinus (*d*) expreſsit, ***Vbi diuitiarum ſit Vſus; ibi & cupidinem eſſe***, illoque per continentiam remoto, hanc pariter, ceu expertem pabuli flammam, deſinere. Coronidem dictis, nouamque argumento vim addat Sibaritç illius celebre Effatum, (*e*) qui, Spartam aliquando profectus, cùm frugali & perparco, ad Ly-

a **Sophocl. in Antig.**
b **Sat. 3. lib. 2.**
c **Cic. 5. Tuſcul.**
d **Lib. 2.**
e **Athen. l. 4.**

curgi diſciplinam, conuiuio acceptus in Phiditijs fuiſſet; nil iam vltra mirari ſe dixit, quòd homines, inſuauem adeo vitam profeſsi, eam in bellis deinde tam præ cæteris gentibus animosè & audacter, tantoque cum periculorum omnium contemptu prodigerent. Non inſulsè ille quidem, nec diuerſus a Simonidis poetæ iudicio, (a) qui adeo nullum vitæ genus ſine voluptate appetendum hominibus credidit; vt, hac ſanè remotâ, ne Deorum quidem immortalitatem iucundam pronuntiarit futuram. Quid ergo? Laconicæ is continentiæ mirator, qui vitam ipſam, plurimos licet, præter voluptatem, optatiſsimos Vſus habentem, ab ijs facilè negligi poſſe affirmauit, qui eam procul voluptatibus ducerent; aut muſarum hic antiſtes, qui vel immortali Deorum æuo, vbi nectaris ſui guſtu careret, libens nuntium remiſit; ſi Aloyſij cubile, ſi menſam, ſi viuendi rationem, quibuslibet a Fortunæ oblectamentis remotam, & Spartanâ omni diſciplinâ duriorem, vidiſſent; ambigerent, credo, num vllâ ipſe vi vlloque conatu ad ſterilisſimas opes, immo nudas potiùs & inanes opum vmbras, repudiandas eguerit? An vltro faterentur, tam ſine labore id repudium remiſſum; quàm non æger animi Tantalus ſuum illud opulentæ famis ſupplicium valere iuſsiſſet? Faterentur profectò. Neque vos, vt opinor, veriſsimæ illorum confeſsioni ſubſcribere, Auditores, negabitis. Quocirca, primæ huius pugnę ſecurus, diuitiarum appetitioni dominandi cupiditatem, pari fèlicitate ignoratam ab heroe noſtro veriùs, quàm victam, ſubſtituo.

Quod quàm inſigne, admirandum, & penè cre-

a Apud Athen. lib. 12.

credibili maius heroicæ magnanimitatis ſpecimen ſit, nil opus mihi eſt vel Iſocratis oratoris, vel Iulij Cæſaris teſtimonio approbare: quorum Ille (*a*) nil humana inter Bona imperij conditione pulchrius agnouit; Hic verò, *ſi violandum ius foret; regnandi gratiâ violandum eſſe* (*b*) noto Euripidis verſu iactabat. Validius permultò priuati cuiuſque teſtis fide argumentum communis latè hominum ſenſus, publicaque naturæ inductio ſuppeditat: cùm non Cheronenſes tantummodo, præ cæteris omnibus Dijs, ſummo ſceptrum honore coluerint; (*c*) ſed vbique locorum ac gentium ſimiles a Mortalibus Cultus fallaciſsimum idolum obtineat: vbique illi concipiantur vota, fument altaria, hecatombæ immolentur. Vnde pronum cuiuis agnoſcere, quantà eſſe præditum oporteat virtute, qui terrenæ huius, vt ſic loquar, Diuinitatis deſiderium vel vincat; nedum, quod in Aloyſio demonſtrandum ſuſcepi, non ſentiat.

Hæc verò ipſius tam mirabilis gloria, quò certiùs planiùſque aſtruatur; ſtatuendum inprimis, tamquam ratiocinationis totius fundamentum videtur, quod in primo Platonis de Republicâ libro ſapientiſsimus Socrates docet: principatum videlicet, ſi ſuo ex ingenio æſtimetur; non ad rectoris, ſed ad ſubiectorum vtilitatem referri: quorum ille ſuis laboribus otium, ſuis ſomnos vigilijs, ſuis curis ſecuritatem tuetur, ad aliena ſe momenta circumagens, Aliorum temporibus ſuum æuum tranſmittens, ac tot numero dominis ſeruiens; gubernandis quot Mortalibus præeſt. Quapropter, ne condi-

a Iſocr. in Encom. Euag.
b Cic. l. 3. offic. & Suet. in Iul. c. 30.
c Pauſan. l 9.

ditio tam ardua, nullis, ceu rugoſam & horridam anum expetentibus procis, æternùm innupta atque cœlebs torpeſcat, eoſque ſic vidua ferre populis nequeat, quos legitimo ſociata connubio ſalutis & felicitatis publicæ fructus conſueuit producere; magnifica honorum,cenſuumue ſtipendia, opimam quaſi dotem, illi eſſe neceſſariò adiungenda. His ſiquidem corollarijs ſublatis, neminem facilè vnum ex omnibus fore, qui moleſtiſſimum ſuſtinendę Reipublicę onus, ni coactus & ingratijs, recipiat. En igitur, qua demum ratione alterum, quo de agimus, ſanctioris vitæ Aduerſarium Aloyſius neſcierit. Iamdiu omnibus ambitionem lenocinijs atque armis, quibus tum captiuare cęteros ſolet; tum ſeſe aggredi potuiſſet, nudauerat. Iamdiu geminam illam honoris opulentiæque dotem, vnde, velut ex Cupidineo quodam arcu, oppugnandis Mortalium pectoribus *veniunt ſagittæ*, (a) principatui detraxerat: eumque proinde,aſcititijs huiuſmodi ſpoliatum præſidijs, ſuoque tantùm triſti genio relictum, vſque adeo eneruauerat; vt nullis remorari diſcedentem illecebris, nullum ad religioſa caſtra properanti exhibere poſſet negotium.

Et de opum quidem affluentiâ ſuperuacaneum ſit pluribus dicere. Teli huius, vtcunque præualidi, aciem duriſſimâ viuendi ratione hebetatam atque inutilem redditam abunde iam ſupra aſpexiſtis. Vt honorum etiam dulcedinem, alterum principalis fortunę inſtrumentum, Chriſtianæ humilitatis ſtudio retuſam intueri poſſitis; Mediolanum, nobiliſſimam Ciſalpinę Galliæ vrbem, adire mecum ne pigeat,

a Iuen. *Sat. 6. Veniunt a dote ſagittæ.*

geat, celeberrimo interfuturos, quod a primaria inibi iuuentute exhibetur, militaris pompæ ſpectaculo. Proh quàm eximia hic equitum dignitas, equorum generoſitas, phalerarum veſtiumque opulentia! Vt nullus ſumptibus modus! Vt arma ſpeciosè vibrantia! Vt numeroſa ſtipantium famulorum appendix! Vt ſplendidum magnificentię certamen! Vt ſinguli. Sed hæc vulgus miretur ſuperuacuæ monumenta luxuriæ. Caſtilionis vos dynaſtam potiùs aſpicite: qui, comitatu modico, vulgari veſtitu, gregario iumento, toto demum cultu ornatuque ad deſpicientiam Sui magis, quàm ad cęterorum oſtentationem compoſitus, eàque inſolentis habitùs ſpecie nouum quemdam triumphum de humanis opinionibus agens, per medium admirantis caueæ conſeſſum inuehitur. O demiſſionis miraculum, eò minùs credibile, quò plurium ſub oculis editum! O ſpeciem, vulgi quidem obtutibus fœdam, ſed Sapientum prædicatione, ac Cœlitum plauſu digniſſimam! Itane verò adoleſcens, generis commendatione, fortunarum copiâ, titulorum ſplendore cumprimis viſendus, in ampliſſimæ vrbis theatro, in ornatiſſimo nobilium tot equitum agmine, in frequentiſsimo glomerantium ſe vndique omnis generis Spectatorum conuentu, tam humilem perſonam induere, a Natalium ſic gloriâ deſciſcere, tam inſigni ludibrio ſuam & familiæ dignitatem traducere, tacitum Sociorum Contemptum ſubire, fœdis ſuſurris per circumfuſæ multitudinis ora & aures iactari, probroſis oculorum digitorumque coniectibus figi, petulantibus iocis, amaris irriſionibus, iniquis iudicijs, partim degenerem indolem, partim fortunæ animique ſordes notantium, perſtringi, ſuæ iuxta contumeliæ, ac Suorum verecundiæ

ſe-

ſecurus, ſuſtinuit? Suſtinuit enimuero, Auditores: exemploque tam nobili, populares acclamationes & plauſus, honorumque ſplendidos fumos, ac gloriæ mortalis ampullas ſe pedibus ſubieciſſe, approbauit. Vt perito cuilibet rerum æſtimatori iam tum augurari, certáque coniectione liceret præſciſcere, quàm nullo negotio, quàm expers certaminis, quàm citra puluerem, citra Conatum, citra vim & laborem, auitæ dominationis exhæredem facturus deinceps ſe foret, qui, omnibus illius authoramentis præmijſque abdicatis, nihil iam in imperio, quod allicere animum poſſet, nihil, quod non potiùs fugaret terreretque, ſibi reliquum fecerat.

Bene habet. Diuitiarum ſitis, & dominandi cupiditas, ne procul quidem auſæ contra heroem illum conſiſtere, a quo, per voluptatum, honorumque Contemptum, iam diu pridem ſuis viribus, ſuiſque fuerant armis exutæ; capitaliſsimi, nec vincendi hoſtis diſceſſum lucro ſibi duxerant. Vnus eſt ſuper Conſanguineorum præpoſterus amor. Hic niſi ſe medium obijciat; expeditiſſimus tibi certè, Aloyſi, ad ſublimis Propoſiti terminum limes recluditur, eòque nobiliorem affectare potes triumphum; quòd tam difficili in curſu nullum obicem ſuperandum habueris. At neque tertius hic hoſtis vſquam conſpiciendum ſe præbet. Iam & ipſe cum reliquis ceſsit: iam per multa experimenta condidicit, omnes ſibi vndique aditus, non ad victoriam ſolùm referendam, ſed ad pugnam etiam tentandam, præcluſos. Si enim (Ariſtotele, (a) immo naturâ ipsâ teſte) vehemens quiuis ſenſus leniorem excludit: eoſque

a Lib. 5. de Gener. Anim. c. 2.

que propterea, qui peracri ſapientiæ ſtudio inflammentur, cæterarum cupiditatibus rerum quamminimùm affici bene colligit Plato; (*a*) quidni terreno cuicunque amori inacceſſus Adoleſcentis huius integerrimi animus foret, quem amor diuinus, ſanctiore flammâ peruadens, ab ipſis pueritiæ primordijs ſibi totum ſacrauerat? Nempe nulla, aut obſcura in eo ſe ſe obijciunt perfectæ cuiuſdam, nec riualem ſociumque admittentis charitatis indicia? Immo nihil vberius, nihil ad rei fidem prodendam illuſtrius: modò vitæ ipſius curſum paternis in ædibus, non ſecus ac in Nitriæ aſceterijs, traductum remetiri cogitando velimus: nec audire a Domeſticis pigeat, quàm profana ibi quælibet faſtidiret commercia: quanto ſolitudinis ſilentijque teneretur ſtudio: quàm nihil, præter Deum, vultu, ſermone, actu omni ſpiraret: quantam dierum noctiumque partem in attentiſsimâ illius meditatione, facto quodam ab humanis omnibus curis, quin multoties a corporis quoque ſenſibus mentis diuortio, conſumeret: quàm vehementibus ibi demum ſuſpirijs arcana euentilaret incendia, quàmque iugi lacrymarum profluuio ſuperfuſam diuinitus, nec ſe intus capientem, cæleſtium affluentiam voluptatum egereret. Quæ ſanè, aliaque id genus complura, ceu totos vſquequaque illius pectoris atque animi ſinus a Numine occupatos demonſtrant; ſic, nullum ibidem ſuperfuiſſe minùs recto Propinquorum amori ad faciendam vim locum, planiſsimè oſtendunt.

Quamquam quid opus remota hęc, & communia ſectari argumenta? Ipſammet potiùs e natalibus Tectis ſupremam herois noſtri diſceſ-

a Lib. 6. de Rep.

ſceſsionem libeat perpendere. Illa certum in primis, & maximè proprium ſecuri, nulloque luctantis cum hoſte animi teſtimonium ſufficiet. Iam, poſt longas interpoſitas moras, candidiſſimus, & toties Aloyſij ſuſpirijs vocatus illuxerat dies, quo, magni tandem Propoſiti victor, principatum, diuitias, Propinquos, humana omnia valere perpetuùm iuberet. Quis in eo rerum cardine Conſanguineorum dolorem, quis familiæ vniuerſæ, tam certum auiti nominis columen e ſinu ſuo dimittentis, mæſtitiam pari oratione explicauerit? Miſerrimus genitor, ſeipſum in filio ſibi viſus amittere, præcluſo gemitibus ſpiritu, ſenſibuſque intermortuis, ab vltimo fugientis quaſi vitæ complexu auelli nequibat. Mater, huic nomini, ſuęque iam orbitati ſuperſtes futura, cùm chariorem ipsàmet luce amatæ ſobolis ſpeciem ſuis præripi obtutibus cerneret; totam, vt nouiſſimo ſe ſe ſatiaret conſpectu, euocatam ad oculos animam per vberes fletus in illius ora egerebat. Minores natu fratres, ſeruorumque fidiſſimi, vndique circumfuſi abituro, lacrymarum torrentibus præcludere conabantur ingratiſſimam fugam. Tota poſtremò (ne diutiùs immorer) domus, attonita ac ſtupens, ſuę iam iam morienti lętitiæ quaſdam velut in anteceſſum exequias planctu queſtibuſque ducebat: eque alijs in alios vultus reciprocà vice communis ſe dolor propagans, quantò ſpargebatur per plures; tantò cumulatior vehementiorque gliſcebat in ſingulis. Quid tu interea, Aloyſi? Si tanto amantiſſimorum capitum deſiderio nìl tangeris; cor vtique aut adamantinum geris, aut nullum. Propoſiti firmitudinem aduersùs tot machinas retinere, ſupremum eſſe decus videtur mortalis conſtantiæ: nullà earum intimam vim ſignifica-

catione atque ſenſu teſtari, rigorem neſcio quem ſapit, vel ſupra humanæ conditionem virtutis in cæleſti naturâ admirandum; vel infra feriṇę immanitatis duritiem Acroceraunijs Riphæiſque ſaxis linquendum. Age, laxa pectus ſuſpirijs, exonera dolore animum, fatere hominem lacrymis: & quibus te ipſum ſubducis; tuos ſaltem (quæ leuior compenſatio?) fletus relinquas. Fallimur, Auditores, curtâque nimis decem pedâ heroem tantum metimur, ſi victoriæ ipſi titulum ad dignam ſe laudem arbitramur ſufficere. Sentiat Propinquorum deſiderium, ſed vincat? Immo victum penè ſe putat, ſi ſenſerit. Vbinam hic ſolita illa commoti, ſibique vim inferentis animi ſigna, nubilum ſupercilium, contractior frons, humentes oculi, ſingultans oratio, productæ longiùs moræ, repetiti crebriùs Amplexus? Intuemini Habitum oris. Quę Iris inter nubes ſerenior? Vocis ſonum attendite. Quinam cygni morientis cantus alacrior? Turbulentiſsima paterni, maternique doloris tempeſtas totam vndique domum permiſcet: illius tamen in animo alcedonia ſunt ſecuriſſimæ pacis. Obſtrepunt circumquaque Familiarium Ploratus, querelæ, ſingultus: ſed ex ſolido illo, ac Diuinitatis pleniſſimo pectore nulla Echo, niſi lætùm, reſpondet. Quid multa? Per amariſſimum cognatorum fletuum Oceanum, Iſraelitici populi inſtar, (niſi quòd illius terga hoſtes vrgebant; huic verò tergum iam pridem obuerterant) ſicco prorſus traiectu, alacer, gratulabundus, extinctoque Pharaoni domeſtico inſultans, & feſtiuum libertatis Pæanem lætiſſimè modulans, ad ſanctioris Palæſtinæ oras euadit. Parentum igitur erga ſe amorem, vtpote ſuis aduerſum conſilijs, eluctatur ac vincit.

Sed

Sed ſuum erga Parentes amorem, ceu iam pridem ſubactum, nec vincere poteſt, nec aggredi. Immo, ſi preſſiùs ac ſignatiùs loquamur; ne cum Parentum quidem erga ſe amore congreditur. Neque enim alienus amor oppugnare ullius hominis animum poteſt, niſi mutuum ac ſimilem in eo amorem produxerit. Quàmuis tamen careat certamine; non ideo caret quoque gloriâ victoriæ: ſed, iuxta Fabij Maximi elogium, (a) ipſummet illius *non dimicare vincere eſt*: immo, ſupra Fabij gloriam, plus aliquid etiam, quàm vincere. Cùm heroem eiuſmodi probet, qui, Aduerſariorum tentamentis omnibus clauſus, nedum extra cladis metum, vel extra pugnæ aleam, inſolitæ cuiuſdam Diuinæque fortitudinis priuilegio, conſiſtat.

Iactent igitur Alij, per mille humanorum affectuum validiſſimos obices, vehementiſſimaſque cum naturâ dimicationes, ad religioſa caſtra vi & manu ſibi iter recluſum. Specioſiùs multò ipſe iactauerit, ad eamdem ſe metam, citra pugnæ diſcrimina, ſecurum pacatumque appuliſſe: Traiani (b) Cæſaris ritu, quem plùs omnibus decorarunt victorijs *tam confeſſa hoſtium obſequia, vt nemo fuerit vincendus*: vel Solis exemplo, cui, annuum emetienti curriculum, *per inſidias iter eſt formaſque Ferarum*: (c) ſed tam ſplendidum ac triumphale iter; quàm Feræ illæ lucis plurimum habent, nihil diſcriminis. Hoc virtutis nobiliſſimum ſpecimen, inter impedimenta expeditam, inter terrores ſecuram, inter agitationes immotam conſiſtere: ſtrenuiſſimis actibus vacantis omni ab opere tran-

a Val. Max. l. 7. c. 3.
b Plin. in Paneg.
c Ouid. 2. metam.

tranquillitatem miſcere: quæque vulgus Mortalium pro difficillimis habet, citra ſenſum difficultatis peragere. Myrrhæ ſucco ſimilem dixeris, (*a*) tunc præſtantiſſimo, cùm facillimè profluit. Procul ab heroum facinoribus labor, procul concurſatio & tumultus, imbecillioris cauſæ argumenta. Magna ſemper ſuſcipiunt, ſed adeo nunquam ſuis viribus paria, adeo exiguam eorum partem ad Effectum poſcentia; vt vix, re peractâ, ſe aliquid aggreſſos intelligant. Spument crebra inter obſtacula ignobiles riui: turbidoque conatu, & immani fragore perexiguam aquarum vim molientes, vel Remotos commoneant itineris ſui. *Altiſſima quæque flumina minimo ſono labuntur* (*b*). Moueri eminus neſcias: vix & proximus credas: adeo ſummæ velocitati par quies, ſummæ moli par conſpirat facilitas. Talem Seianum deſcribit Velleius, (*c*) maximorum inter operum Actus *otioſis ſimillimum.* Sed quis de viuente ac regnante Seiano, niſi magnificè, ſcriberet? Talem Demetrium, proponit philoſophum Seneca, cùm ducenta Caij Cæſaris ſeſtertia *ridens reijceret, ne dignam quidem Summam iudicans, qua non acceptâ gloriaretur*. (*d*) Sed nihil ibi magnum, præter ſupercilium Philoſophi. Cedat veritati aſſentatio, & Chriſtianæ magnanimitati Cynicus faſtus. Talem vos, Aud., extra vel ſuæ arrogantiæ tumorem, vel alienæ adulationis ingenium, & in difficillimo quidem opere, Aloyſium vidiſtis. Diuitias, principatum, Parentes, quæcunque inter homines chariſſima habentur, diui-

a Solin. c. 35.
b Curt. lib. 7.
c Patcrc. l. 2.
d Sen. lib. 7. de Benef. c. 11.

uinis obſecutus conſilijs, deſeruit: ſed tam nullo molimine, adeo non occupatus, adeo magnum quidpiam & ſerium conanti diſſimilis; vt otioſi potiùs ludentiſque ſpeciem referret; immo tam lætus ac geſtiens; vt, quemadmodum fabuloſo apud Tragicum (*a*) Herculi, dum Oetæam feſtinaret ad pyram, *vultus petentis aſtra, non ignes, erant*; ſic & ipſe non perpetuum, paternâ ſibi ex domo exilium conſciſcere, ſed paternam in domum ab exilio videretur reuerti: digniſſimus adeo, qui, cum Spartano illo rege, (*b*) tolerantiam voluptatis potiùs, quàm virtutis loco duxiſſe, credatur: cùm perfectionis Euangelicæ iugum, non tamquam ex contentione virtutis, ſed quaſi ex naturæ ſuaſu, genijque inductione, ſubierit. Sed quantò maximum ille opus præ agendi facilitate minoris ducere eſt viſus; tantò pluris æſtimari a nobis par eſt non tam ipſum opus, quod commune cum multis, quàm, quæ Aloyſij propria eſt, illius peragendi facilitatem. Quocirca, ſi Alcon ille apud Plinium, (*c*) pretioſiori quacunque ad Herculis ſimulacrum neglectâ materiâ, ferreum ſibi faciendum putauit, *laborum Dei patientiâ inductus*: perinde quaſi bellicoſa illius metalli durities tot exercitum pugnis heroem conuenientiſſimè exprimeret; ad Aloyſium rite effingendum nullam ego vſurparem libentiùs, quàm corporum cæleſtium materiam, quibus irrequieta iugiſque agitatio non labor eſt, ſed natura: vel Staſicratis audax conſilium, de vaſto monte in Alexandri Macedonis effigiem, trans-

a Sen. Trag. in Herc. Oet. Act 5.

b Xenoph. de Laud. Ageſil. *Inter paucos vnus eſt viſus, qui tolerantiam non virtutem, ſed voluptatem eſſe duxerit.*

c Lib. 34. Hiſt. Nat. c. 14.

d Plut. in Or. 2. de Fort. vel Virt. Alex.

transferendo, (*d*) imitatus, inacceſſum turbinibus & nimbis Olympum ad herois noſtri ſimulacrum in primis deligerem: quò nimirum palàm omnibus foret, quemadmodum eximiæ altitudini ſuæ ſecuritatem Olympus ab ijs tempeſtatum certaminibus debet, quibus inferiorum montium capita vrgentur; ſic eminentiſſimæ cuidam, & communem ſupra modum exaggeratæ virtuti eſſe aſcribendum, quòd nullam Aloyſius ex ijs oppugnationibus ſenſerit, quibus alios Mortalium in amplectendo perfectioris vitæ Inſtituto conflictari mos eſt: tantòque propterea magnificentiorem de humanis illi rebus triumphum deberi; quantò in ijs abdicandis minus difficultatum atque hoſtium deuicit.

Hu-

Humanis in rebus abdicandis, de ſolo earum contemptu Victoria.

ORATIO VI.

De Beato Aloyſio Gonzaga.

MAgnanimus Aloyſij Gonzagæ paternis ab ædibus religioſam ad militiam diſceſſus, quem ſupremâ ex hoc loco habitâ ſanctiſſimi Iuuenis laudatione ſplendidiori vel propterea cohoneſtandum triumpho monſtrauimus, quòd nullum e ſolitis hoſtibus, diuitiarum videlicet, honorumque, & Parentum illecebris, ſuperandum habuerit; nouum, & quodammodo oppoſitum hodiernæ orationi meæ campum recludit: dum extraordinarium, minimèque opinabilem a fortiſſimo bellatore ſuperatum id temporis Aduerſarium intueor, ſuam nempe ipſam virtutem, ſuum ipſum diuitiarum, honorumque, & Parentum cæleſte faſtidium. Admirati tunc Adoleſcentem integerrimum ſumus, humanis adeo rebus maiorem; vt eas, ne tentando quidem certamini pares, reliquerit veriùs, quàm vicerit. Admirabimur nunc adeo vel ſeipſo ſuperiorem; vt, humanis in rebus linquendis, de ſuo, qui vnus abeuntem morabatur, humanarum rerum contemptu victoriam retulerit. Parum quippe inuictiſſimo pugili fuerat, communium difficultatum obſtacula heroicæ fortitudinis priuilegio neſciſſe; inſuetas ni pariter eàdem a fortitudine ſibi obiectas difficultates perrumperet: ſuoque illud iure nomini decus aſſereret, Thebanum quo Herculem mendax fama

fama exornauit, (*a*) dum Olympicam in arenam egreſſo, pro athletis mortalibus, quos ſuus a tam impari pugnà longè timor ſubmouerat, ipſummet palæſtritæ ſub imagine Iouem æquo Marte ſuſtinendum oppoſuit. At quæ iſta (interpellet hic quiſpiam) audiri tam noua, & poeticis iure ſomnijs expreſſa, fabuloſæ admirabilitatis portenta? Itane ſanctiorem vitam meditanti cum ipsà decertare ſanctimonià opus fuerit? Itane mortalia & caduca exituro ipſamet eorum deſpicientia impedimentum ac dimicationem obtulerit? Ita planè, Auditores. Illa ipſa extraordinarię virtutis ſublimitas, quæ ad religioſæ perfectionis Complexum properanti *Aloyſio* expeditiſſimum, ſine hoſte, ſine obice, ſine vllà vel vincendi morà, iter recluſerat; Aduerſarius eidem atque obex (moderatiſſimè vt dicam) par cæteris omnibus fuit. Ideo terrenis in opibus, titulíſque, & Propinquis deſerendis maiorem ſuo animo vim debuit inferre; quia nullo, per eximiam diuinæ cuiuſdam indolis generoſitatem, profano eorum amore tenebatur reuinctus, quia nihil in ijs animi ſui deſerebat: leuiſsimis corporibus ſimilis, quæ ideo, iuxtà Philoſophum, (*b*) difficiliùs, quàm grauia, longè expelluntur; quia nullo penè niſu atque pondere proijcientis conatui reſiſtunt. Hoc ego ſingulare quidem & nouum, ſed certiſsimæ iuxta veritatis miraculum hodiernà mihi luce demonſtrandum ſuſcepi. Cuius ſi planam nullique dubitabilem fecero manifeſtis rationibus fidem; veſtrum erit decernere, quàm inſigni Meritorum præſtantià communis vltra gloriæ ſe metas is heros extulerit, qui tam arduo in faci-

G

a Natal. Com. Mythol l 5. c. 1.
b Ariſt. in Mechan. quæſt. 34.

facinore, a mortalium Bonorum appetitionibus, ceu iampridem extinctis, ne leuiſsimè quidem tentatus; ipſam potiùs ſolam ſibi obſiſtentem, mortalium contemptionem Bonorum deuicit, nobiliſsimoque ad religioſum tyrocinium triumpho perduxit.

Et videte, quàm propoſitæ rei difficultas parum occupatum me habeat, quàm non laborans metuenſue ad illius confirmationem aggrediar. Nolo veram putetis, niſi alio eiuſdem nouitatis inſolentiæque paradoxo approbetur. Ne Captiuus quiſpiam effugiat, (hanc in Medio iam verſari quæſtionem fingamus) ne is, inquam, e victoris ſe domo proripiat; vtra fore opportunior videtur cuſtodia? Ferro aſtrictum tenere? An ſolutum liberumque permittere? Ego ſanè, quidquid vulgus derideat, nullis ipſum compedibus, ac permiſsâ libertate, retentum iri certiùs pronuntio. Neque verò non ad manum eſt ratio, quæ meum huiuſcemodi Effatum temeritatis a calumniâ defendat, publicâque cum perſuaſione in concordiam adducat. Circumpoſiti ſiquidem Nexus, quò pedes tenaciùs obſtringunt; eò Voluntatem ad fugam decernendam vehementiùs impellunt, eò plures illius expediendæ vias ingenio ſubijciunt: liberalis e contrario atque clemens cuſtodia, quas corpori demit, ad animum catenas traducit: quantòque plus homini facultatis impertit, euadere vt poſſit; tantò minus rationis relinquit, vt velit. Cùm ea facilè ſeruitus lateat, quæ nulla ſeruitutis præfert Inſignia: & libertatis plus quam Dimidium videatur, procul eſſe, quod cogit. Errat profectò, errat, qui nullam, niſi externam, vim nouit, qui neminem retineri, niſi inuitum, exiſtimat: quaſi verò non longè validiùs ſe ſe ipſa retineat Voluntas,

aut

aut externa vis quælibet poſſit aliud videri, quàm interioris ſupplementum cuſtodiæ. Nullus eluctabilis minùs, ac qui vltro diligitur, Nexus: nulla fortior manendi neceſſitas; quàm cauſas non adeſſe abeundi. Has e Medio remoueas; iam nil vinculis opus: immo vincula amoueas; iam has vnà ſuſtuleris. Quid porrò, ſi Captiuus non modò extra compedes, ſed vel extra imperia habeatur? Quid, ſi cibatu, ſi amictu, ſi omni vitæ reliquo cultu ab ingenuis liberiſque nil differat? Quid, ſi legitimis inſuper tabulis filiorum in iura, heriliſque poſſeſſionem patrimonij vocetur? Vllæne Promethei catenæ, vlli Nexus Vulcanii tam opimà illum ſorte firmiùs tenuerint? Enimuero (vt cum Plauto (*a*) rem colligam) gratiſſimà intimàque vi aſtrictus, non modò non vltroneus effugiet; ſed ægerrimè, vel expulſus, diſcedet: immo neque expelli ita poterit; vt totus diſcedat, vt non maiorem Sui partem tam tenaci in hoſpitio relinquat.

En itaque iam ob oculos poſitum, ſimilique in exemplo adumbratum, qua demum ratione mortalium Bonorum Neglectus difficiliorem Aloyſio eorum abdicationem reddiderit. Fac, externa, & caduca pro magnis duxiſſet: fac, eorum admirationi amorique ſe totum dediſſet; næ ille libertatis ſuæ impos, & rebus, quas poſſidere videbatur, obnoxius, in auitæ ſortis ſplendore quàm arctiſſimis illigatam compedibus ſeruitutem egiſſet. Quid, cùm omnia, quæ vulgus miratur, faſtidiret, aſpernaretur, infra ſe poneret? Nempe liber omnino, & Sui plenè potens, iuxta veteris gloriationem philoſophi, (*b*) fortunam habebat, a qua reliqui habentur:

a In Menæchm. Act. 1. ſc. 1.
b Laert. in Vita Ariſtippi.

adeoque nil domeſticis opibus ſuum in animum permittebat arbitrij; vt ijs ipſe potiùs, tamquam mancipijs, ad quæcunque ſui animi obſequia, pro domini iure arbitrioque, vteretur. Quidni igitur ad humanarum deſertionem rerum & tantò maiora tunc incitamenta habuiſſet; quantò ſuæ illas libertati grauiores fuiſset expertus; & tantò nunc impedimenti moræque ac difficultatis amplius habuerit; quantò inter eaſdem ſolutior, abdicandis tam inſontibus Bonis, non aſperam impotentis tyranni dominationem effugere, ſed obſequentiſſimos ſuo a latere famulos videbatur dimittere? Ne multis. Hominum ibi maximè retinetur Voluntas; vbi minimè deuincitur libertas. Vel contra manifeſtam veritatem negandum, a ſuo humanarum rerum deſpectu pleniorem paternis in ędibus Aloyſio libertatem permiſsam; vel iuxta legitimam conſecutionem fatendum, ab eodem, ne ſe illinc proriperet, vehementiſſimè Voluntatem retentam.

Cuius argumenti vim ſi adhuc diſtinctiùs explanatiùſque intueri fert animus; ne graue duxeritis tria illa mortalium Bonorum potiſſima genera hic mecum percurrere, quorum ab illecebris adeo prorſus intactam præteritâ in oratione Aloyſij mentem oſtendimus; vt profanæ ſortis e complexu abituro nil omnino potuerint moleſtiæ aut negotij faceſsere. Conſtabit haud dubiè, in ſingulis relinquendis eò plus ſanctiſſimum iuuenem certaminis laboriſque exhauſiſse; quò expeditiorem minùſque ijs obnoxiam ſui animi libertatem habebat: &, quemadmodum ſtyli quoddam eſse genus (a) eloquentiæ ab

a Horat. in ArtePoet. & Cic. In Oratore ad Brut. c. 9.

ab authoribus traditur, quod ab omni diligentiæ ſpecie remotum, ac veluti ſuâ ſponte profuſum, facillimam nullique non obuiam apud inexpertos ſimplicitatem mentitur: cùm tamen hanc ipſam ob cauſam plus olei & contentionis requirat, tardiorique delectu ſcribentis induſtriam fatiget; ſic & magnanimum illud terrena omnia deſerentis Aloyſij repudium vel propterea magis arduum fuiſſe; quòd minus, primâ fronte æſtimantibus, moliminis ſudoriſque oſtentabat: cùm ea ipſa virtutis præſtantia, quæ omne affectuum terrenorum obſtaculum auitis e ſedibus migraturo ſubmouerat; maximo vna, ne laudatiſſimum exequeretur Propoſitum, reuocamini atque obſtaculo fuerit.

Vt a diuitijs, præcipuo ſortis laqueo, exordium petamus; quid hic, quæſo, aduerſarium, incommodum, noxium, atque ideo euitandum generoſiſſimo earum aſpernatori occurrebat? Eſto, ſuos illæ poſseſsores, profanis negotijs, deſiderijſque impeditos, a cæleſtium amore atque ſtudio ſoleant abducere. Vos huiuſcemodi auocamenta metuite, qui, vaniſſimâ terrenæ poſseſſionis admiratione occupati, totam in eâ conſeruandâ, augendâque mentem demergitis. Aloyſius, mortales longè curas animo egreſsus, quæque ſplendidiſſima humanis in rebus ducuntur, ne pro infantiæ ſuæ quidem crepundijs habere vnquam dignatus, lautiſſimarum facultatum in gremio Sabæum planè thus referebat, quod, argenteo ſuper foculo accenſum, vni cælo ſuos omnes halitus deuouet, in vnum puriſſimis fragrantiſſimiſque vaporibus cælum aſsurgit. Eſto, luxus deliciæque, amplioris fortunæ infelix Comitatus, prauis tum animi, tum corporis libidinibus alimentum, vires, materiam ſuppeditent. Vos hæc moueant peri-

cula, qui, effrenibus noxiarum appetitionum ſtimulis acti, inque omne voluptatis pabulum proni, vix aliam, niſi genij ſenſuumque, legem agnoſcitis. Vndenam Aloyſio par metus: qui, lutei penè corporis neſcius, adeo illius motus Rationi habebat ſubiectos, adeo nullas impuræ libidinis titillationes atque illecebras nouerat; vt, contra prauitatis ingenium, tunc Platonis (*a*) iudicio ad extremum prouectæ, cùm nihilo meliorem quis vigilans, ac in ſomnis, animum gerit; perinde intaminata illius ſopiti, atque vigilis, caſtitas foret? Præſertim verò cùm tam acre indixiſset vel permiſſis voluptatibus bellum, tantàque illarum Vſum ſeueritate, non dicam moderaretur, ſed interdictum etiam ſibi penitùs vellet; vt non impermiſtus magis Homericus ille amnis (*b*) circumfuſis Penei vndis ſupernatet; quàm ab omni circumfluentium in paternà domo deliciarum cõmercio ſincerum ſe ipſe tueretur atque integrũ. At lautioribus menſis intererat. Quid tum? Nempe eodem propemodum pacto, ac ſi ad illam Heliogabali cœnam(*c*),nõ epulis, ſed epularum ſimulacris inſtructam, accumberet, ſiccus, ieiunus, ſpectator veriùs, quàm conuiua. At lectus mollis, ſplendidus atque diues corporis Cultus. Quid tum? Quaſi verò ferreis aculeis, rudibuſque lignorum fragmentis occultos in membrorum Cruciatus exterioris illam luxùs imaginem armare neſciret: toto ab ijs cælo diuerſus, quos montium pœnis ad luxuriæ delicias abuti(*d*) Plinius conqueritur: nec ſolos eſ-

ſe Cæ-

a Lib. 9. de Rep.
b Hom. lib. 2. Il.
c Lampr. in Vita Heliog.
d Lib. 19. Hiſt. Nat. c. 4.

ſe Cæſaris (*a*) milites probans, qui, vel vnguentati, ſtrenuè pugnarent.

Nulla igitur vitiorum contagia, quæ opes circumſtant, noxiasque & timendas infirmioribus animis faciunt, ipſum quoque, vulgarium adeo exortem diſcriminum, videbantur vrgere, auiti vt patrimonij opulentiam religioſâ paupertate mutaret. Quid Chriſtianæ virtutes? Nullisne ſaltem ipſæ hortatibus ſtimuliſque impellebant? Vtinam non remoratæ potiùs fuiſſent, tantòque remoratæ validiùs; quantò cætera omnia terrenorum affectuum impedimenta longiùs ſemouerant. At quis argumenta, quis Conatus, quis machinas contra illud tam innocuæ ſecuræque poſſeſſionis repudium ab ijs depromptas commemoret? Occurrebat menti Religio: & nudas aras, collabentia templa, ſqualidam Sacrorum ſupellectilem circumlato paſſim digito innuens, Hæc a tuis, Aloyſi, copijs, dicebat, ſuam inſtaurationem, ſuum nitorem expectant. O te iſtâ ſorte inuidendum, cui præclarè adeo mereri de Superis licet! O inconſultum & prodigum, ſi, quam vel fugientem aucupari debueras; nunc ad manus paratam tanti muneris occaſionem dimiſeris! Obijciebat ſe Pietas, &, mendicos hinc ſenes, orbos inde Parentibus pueros, indotatam hic pudicitiam, pannoſam alibi nobilitatem, tum reliqua id genus humanarum calamitatum exempla ſub oculis ſtatuens, En hi omnes, addebat, tuà in affluenti fortunâ ſuarum ærumnarum ſpem repoſitam habent. Ideo largos tibi præ reliquis cenſus, & hanc Numinis prouidentia copiarum amplitudinem tribuit; vt horum inopiam opulentior defenderes. Intuendam ſe

a a. Suet. in Iulio c. 67.

denique Liberalitas dabat, & obiurgationum querelarumque ſuarum quaſi aggere diſceſſurum includens, Quonam meo crimine, aiebat, vt perpetuùm me, Aloyſi, abdicares, promerui? Eſto, ab Auaris atque ſordidis negligar: tibine etiam debui vileſcere? Honeſtatem prætendis transfugio? Contumelioſius hoc multò, quàm ſi prauæ cupiditati poſtponerer, alieno tantùm vitio relicta. Impronidam, agè, mentem depone: conſilia in melius reflecte: nec tot meas de te ſpes, tot tua ex me Decora vno ictu præcidas. Cur, quam honeſtati conſecrare fas eſt; proijcere inutiliter malis, Fortunam? Cur illius tè abigat potiùs faſtidium; quàm Mei deſiderium atque amor retineat? O illecebras eò rapaciores, quò magis in ſpeciem decoras, illarumque adeo perſimiles, quas Vlyſſi admouiſse olim ſirenes traduntur (*a*): cùm non molles, vt cæteris nauigantum, blanditias; ſed rerum nobilium ſcientiam, aptiorem nimirum capiendo herois ſapientiſſimi animo eſcam, obijcerent! O certamen humanâ penè maius virtute, quia virtutum amantiſſimo iuueni ab ipſiſmet oblatum virtutibus! Aliud hoc eſt, Auditores, multòque ad eluctandum difficilius obſidium; quàm inanibus pompis, luxuriæ apparatibus, voluptatum lenocinijs ambiri, & lubricas illas, cum Auguſtino (*b*), voces accipere, Itane nil tot noſtris muneribus tangeris, Itane antiquæ conſuetudinis teſseram frangis, æternoque diuortio nos abdicas? Facilis tunc, & cuiuis in promptu reſponſio: Ita ſanè, abdico vos, Bona inſidioſa, fallacia, mortifera: & vobiſcum vnà ſolicitudinum ſtimulos, vitiorum

a Hom. Lib. 12. Odyſ. Vide & Cic. L. 5. de fin.
b Aug. L. 8. Confeſſ. c. 11.

rum fomenta, peccandi lenocinia, bonæ mentis corruptelas, æternæ ſalutis diſcrimina abdico. At num eadem reponeret: num pari facilitate prætentos ſibi laqueos Aloyſius euaderet: qui non a vitioſis cupiditatibus, ſed ab honeſtiſſimis retinebatur affectibus: quem non, ſuis vt donis irretirent corrumperentque, ſed illius vt virtuti ſeruirent, illius vt virtute ſacrarentur, ambiebant diuitiæ: cui tandem, a terrenæ cuiuslibet poſseſſionis ærugine intacto, quantuſcunque illius ſplendor, ceu magno Macedoni captiuæ Darij coniugis *pulchritudo, non libidinis incitamentum* erat, *ſed gloriæ* (*a*), non vitiorum fomes, ſed illuſtrium facinorum ac præſtantium Meritorum occaſio? Et dubitabimus, quin multò ipſe grauius cum opum terrenarum faſtidio, quàm alij cum appetitione, deſudarit certamen: nouâquæ & inſolenti ratione, quæ ipſius animum a fortunæ adamandis muneribus prorſus abduxerat; eadem, fortunæ ſe muneribus feſtinantem exuere, validiſſimè Sanctimonia tenuerit?

Date alium, ſed Tribunum, glorioſa Maximini Thracis vox fuit (*b*), cùm inſolentem tribunum, a quo prouocatus contemptim fuerat, tamquam vulgarium ſolummodo militū victor, primo impulſu ſtrauiſset. Libet idipſum, in hoc quoque noſtri Athletæ cum pijs & honeſtis affectibus congreſsu inclamare. Date alium Aduerſarium, ſed primo, quem iam vidimus, parem, ſed perinde ſacrum ac nobilem, ſed qui non alijs & ipſe, quàm armis cæleſtibus pugnet. Date verò illum, inquam? Immo iam in Medium ſuâ ſponte progreſſum, iam ſummâ ope collu-

a Curt. l. 4.
b Iul. Capitol in vita Maxim.

ſtantem aſpicite. Si enim, ne diuitias, ſapientum cuique tum natiuam ob ignobilitatem contemptas, tum ob adiuncta vitiorum lenocinia ſuſpectas; ſi hoc, inquam, ne Aloyſius deſereret inſtrumenti tam ſuperuacui, tamque ancipitis genus, tot illi mens bona contrarias rationes oppoſuit; re uocari certè in dubium non poteſt, quin alias, maioriſque illas ſanè momenti obiectauerit, ne principatum, cuius cauſa ſplendidior, quique & neceſsarium, & Reipublicæ potiùs, quàm imperantis, Bonum eſt, eiuraret. Nouerat conſultiſſimus adoleſcens inſigne Platonis (*a*) oraculum, eos regimini publico quàm maximè promulgantis idoneos, qui alieniſſimum ab eo capeſsendo animum gerant. Didicerat ex Ariſtotele (*b*), imperij fortunam, eſto plus noxæ, quam fructûs, vitioſis poſseſſoribus ferat; in Bonorum tamen numero cenſuque ponendam, tamquam homini bene affecto, qui vnus externarum cuiusquemodi rerum ſit norma, opportunam atque vtilem. Reconditum altè habebat in animo non acutius, quàm veriùs, Theophraſti (*c*) iudicium, qui tacentem in conuiuio, ſi imprudens quidem eſset, prudentiæ laudauit; ſin prudens, imprudentiæ redarguit: quòd nimirum degenerem a ſua facultate & virtute ſe probet, qui eà vti vel formidat, vel negligit. Neque porro indigebat, vt, quod Quintum fratrem admonuit, ſibi quoque Tullius (*d*) repeteret, perfacilè contineri in officio ſubiectos, ſe ipſum vbi Princeps contineat. Hinc adeo, cùm ad occupandas Reipublicæ habenas fa-

a Lib. 7. de Rep.
b Magn. Moral. l. 1. c. 3. Item. lib. 2. c. 4. & 10.
c Laert. in Vita Theoph.
d Lib. 1. ad Qu. Fr. Ep. 1.

faſcium maieſtate, titulorum ſplendore, populi obſequijs, ſupremæque poteſtatis auguſtâ & venerabili ſpecie prouocari vulgarium animorum cupiditas ſoleat; perpendite, amabo, quàm efficacioribus ſtimulis ſuamet principalis faſtigij, & humanæ cuiusuis excellentiæ auerſatio eòdem Aloyſium impelleret: quantoque ipſe pariter iure, cum maximo illo antiquitatis heroe, vel gloriari poſset, vel queri, *Inſtitit virtus mihi, Iunone peior*.[a]

Quid iſtuc, Aloyſi, (monitorem domeſticum in illius corde obſtrepentem mihi videor audire) iuuenilium conſiliorum volutas? Quò, falsâ Boni ſpecie ſeductus, abriperis? Tune vt Patriam deſtituas, quam naturæ tibi ſortitio, immo cæli ipſius prouidentia æquis legibus moderandam concredidit: quæque gubernationis tuæ ſaluberrimos fructus & iamdiu ſpe præcepit, & ſuo iure nunc flagitat? Nimirum tædet faſtùs & pompæ: Chriſtianam demiſſionem ſupremæ dignitati anteponis: vulgi plauſus & obſequia auerſaris. Pulchra ſanè defenſio. Perinde quaſi mortalium aſpernatrix honorum modeſtia, quæ principatui rite adminiſtrando quàm aptiſſimum hominem facit, probabilem abdicandi principatùs cauſam ſuppeditet, nec omnem potiùs, ſi quæ cæteroquin afferri iure poſſet, præripiat. O miſeram, o planè conclamatam ac perditam rerum humanarum conditionem, ſi cuilibet faſtidienti regiminis præmia ipſum quoque fugiendum ſit regimen! Vel nullus iam continget populis rector; vel eos tantùm orbis terrarum moderatores nanciſcetur ac præſides, qui, peruerſæ ambitionis mancipia, ne ſibi quidem ipſis imperare nouerunt. Contemptum

a Sen. in Herc. Oet. Act. 2.

inuiſumque habes imperium? Ideo igitur feras, complectaris, retineas. Si admirareris, ſi cuperes; poſſem fugam permittere, quin & vltro ſuaderem. Nunc nihil hoc odio auſpicatius: nulla ſalubrior, quàm huiuſmodi philoſophiæ cum potentià coniunctio. Ille ſceptrum commodiſſimè tractat, qui ægerrimè admittit: illi ob gubernationem Reſpublica plurimum debet, qui minimè volens gubernat. Hoc vnum eſt beneficium, cuius fructum pretiumque congeminet, ab inuito præſtari. Vis citra Boni publici iniuriam e ſolio deſcendere? Tunc ſolùm licebit; cùm alium æquè principali dignum faſtigio, quia æquè principalis aſpernantem faſtigij, Vicarium inueneris. Sed vide, num illi perſuaſurum te ſperes, eam ſortem vt ſubeat, quam tibi ipſe perſuadere non potes, ne deſeras. Adeo, quam euadendi rationem exiſtimas, permanendi neceſſitas eſt: adeoque ne deponere quidem populorum tibi regimen licet, niſi priùs ſuſcipiendum probaueris. Quid, quòd idem iſtud dominationis faſtidium dominationem, non ſubiectis vtiliſſimam ſolùm, ſed & præſidi quàm tutiſſimam facit? Adeo vt neque Chriſtianæ ſanctimoniæ momentis ad eam poſſis repudiandam vrgeri. Nam quid tandem noxæ atque labis eo ab hoſte formides, quem prorſus edomitum ſubiectũque pedibus habes? Aut quibus profanus te honor abſolutæ in virtutis curriculo impedimentis laqueiſque retineat; cùm mortalis eam gloriæ cupidinem, quam, interioris tunicæ inſtar, poſtremam, nec niſi ſub exitum vitæ (a) philoſophorum grauiſſimus exuturum ſe dixit; vel nunquam indueris, vel, Neſſeo peiùs vellere exoſam, iam pridem

a Athen. l. 11. Vide & Tac. l. 4. Hiſt. c. 6.

pridem abieceris? Niſi fortè memoriâ non tenes,quæ toties tam præclara edidiſti huiuſce tui ſtomachi exempla, ſiue in Hiſpanicâ Regiâ, quæ ab inani faſtu penitùs vacuum, & aulicorium ſub oculis religioſos palàm mores præferentem ſuſpexit; ſiue in Subalpinis, vbi nulla te inanis verecundia, vulgariumque oblocutionum formido retardauit, quò alienam minùs licentiam & ſeuerioribus exemplis damnares, & liberâ oratione compeſceres; ſiue in Inſubriæ Reginâ vrbe, cùm, ignobili ad ſpeciem, & euangelicæ potiùs humilitati, quàm principali fortunæ, conſentaneo apparatu frequentiſſimæ multitudini aſpiciendum, an veriùs irridendum, te exhibens, Nobilium pompas, diuitiarum oſtentationem, titulorum ſuperbiam, vnà cum popularis famę rumuſculis, traduceres, conculcares, protereres. Immo aduerteſis animum; quàm nihil principatus demiſſioni tuę obſit. Etiam pleniorem retentus, quàm abdicatus, illius exercendę materiem ſuppeditat: adeo vt, oppoſitâ prorſus ratione, ſi honoris deſiderio teneris; in religioſas te latebras abdere; ſin Tui depreſſionem ſectaris; profano in imperij ſplendore debeas ſubſiſtere. Quid enim? Tuamne hanc viuendi rationem, quam vel à puero ad exactiſſimas quaſque perfectionis euangelicæ leges iniſti, plus in aulâ, vbi rarior, quàm in cœnobio, cui familiaris, inuenturam gloriæ opinaris? Egregiè deciperis. Externarum id mercium, raritate ad pretium euadere. Virtus æſtimationis honoriſque ibi plurimum refert; vbi quàm vberrimè prouenit. Qui profanos inter homines eam vnicè colendam ſuſceperit; næ ille, pro ſanctitatis veneratione atque cultu, vel ſimulationis, vel ſocordiæ infamiam nanciſcitur. Nam neque plenum diem

habe-

hebetes oculi, nec tenebricoſæ prauæque mentes illuſtrium patiuntur exemplorum nitorem. Veterem Athenienſium Oſtraciſmum in vitioſo & vulgari quouis cœtu reperias. Quaſi commune omnium probrum excellens vnius probitas ſit; communibus omnium ſuffragijs exploditur. Elementorum ritu non poteſt apud deteriores, ſuum nempe extra locum, non grauis videri. Condemnare, quàm imitari, facilius. Ne deſpecti videantur, deſpiciunt. Qui extra oblocutiones ac probra eſſe velit; eorum conſuetudine, ceu de regibus (*a*) vetus Sapiens aiebat, vel non vtatur neceſſe eſt; vel quàm-maximè vtatur, iuxtaque vulgatiſſimam Græcorum in conuiuijs legem, (*b*) *aut bibat, aut abeat*. Vnde pronum colligere, quàm inſigni ludibrio & contemptui, ſi principatum in promiſcuæ multitudinis Medio retineas; tua hæc ſit futura excellentioris ſanctimoniæ profeſſio: quantum e contrario admirationis plauſûſque habitura, ſi eam, aulis relictis, in religioſum cœnobium, ipſiſſimum ſcilicet ſanctimoniæ domicilium & theatrum, intuleris. Cùm igitur nec, imperium capeſſens, ab honore, vt protrito & neglecto, quidquam poſſis detrimenti meruere; nec, imperium repudians, inuiſum vnà honorem declines, ſed potiùs congemines; cuius, rogo, conſilij res fuerit, tot, tamque eximia, quæ tuâ ex gubernatione proficiſcerentur in Rempublicam Commoda, imperij gubernaculis ob friuolum & inanem metum abiectis, Reipublicæ eripere?

Hæc & plura in eamdem ſententiam ſuuſmet Aloy-

---

a Laert. in Xenophane, & Plut. in Solone.
b Cic. 5. Tuſcul. Quæſt.

Aloyſio pereuntis gloriæ Neglectus. Sed quid vos, Auditores? Quo tandem iudicio huiuſcemodi machinas obiceſque æſtimatis? Nonne adoleſcentem ſanctiſſimum eodem aggreſſionis inſidioſiſſimæ genere, ne religioſam conſcenderet crucem, oppugnatum perſpicitis, quo humani olim generis Vindicem, ſuâ vt de cruce deſiliret, tentatum (a) accepimus? Aggreſſione videlicet, quæ non niſi honeſtatis maiorisque Boni ſpeciem præferret: quæ ab vnâ oppugnati ſanctimoniâ ſuum robur acciperet: quæque tandem, vt initio affirmaui, abdicandæ dominâtionis Propoſitum eò maioribus impedimentis difficultatibuſque intercluderet; quò abdicaturi animus, in æterna duntaxat & cæleſtia collimans, minori tum dominationis, tum illius præmiorum tenebatur cupidine.

Age, num aliud ſaltem certaminis genus Conſanguineorum deſertioni ſe obiecerit, libeat inquirere. Sed quæſtionis irritus labor, vbi nullum rei quæſitæ veſtigium. Omnis hic quoque impeditio, difficultas omnis, atque obex ſolo ex Conſanguineorum euangelico odio retinendi morandique vim habuit. Quam ego ſupremam propoſitionis meæ partem dum oſtẽdere aggredior; nolim quiſquam merum hic odium, nulloque ſui generis amore temperatum in Aloyſio concipiat. Apage tam atrocis ingenij portentum, non heroicæ virtuti, ſed plùſquàm ferinæ immanitati aſſignandum. Humanum hunc equidem, proletarium, corporeũ, humique repentem, ex putri qui naſcitur ſanguine, iamdiu ille amorem exuerat: neque ſeu gra-

a Mat. 27. *Si rex Iſraël eſt, deſcendat nunc de cruce, & credimus ei.*

gratificandi Parentibus ſtudium, ſeu illorum e conſpectu proueniens iucunditas, quamquam penitùs inſiti, & deuinciendis vulgaribus animis potentiſſimi Affectus, quidquam virium habebant, illius vt cæleſtem conſtantiam vel minimo ſenſu perſtringerent, nedum funditus labefactarènt, ſuſceptique de conſilij firmitate deijcerent. Sed, hanc inter adamantinę immotæque virtutis duritiem, flagrantiſſimus pariter Suorum amor vigebat, ideoque validior, quia non temporaria eorum oblectamenta, mutuique conuictùs dulcedinem ſpectans, ſed cæleſtium Bonorum, æternæque iiſdem pariendæ beatitatis deſiderio ſuccenſus. En itaque protinus tentamenta, remoras, obices. Nam cur Patriam poſt Exteros duceret? Cur Ignotis impertitum opem iret, negaret Domeſticis? Nihilne ad teneras fratrum ætates Chriſtianâ pietate imbuendas, nihil ad genitorem Supremis ſuis componendum, nihil ad ſempiternam cæterorum Familiarium ſalutem pręſens ipſius cura poſſet conducere? Vbinam igitur pietas? Vbi neceſſitudinis iura? Vbi charitatis legitimę ordo, ſi, nullâ Propinquorum ratione habitâ, Remotis ſe totum atque Alienis impenderet?

Oppugnationis ſanè genus quod ſit, Auditores, vidiſtis. Vt, quid etiam extraordinariæ contra pugilem noſtrum efficacitatis obtineat, æſtimare poſſitis; laboranti, quæſo, iuueni ſuppetiatum adeſte, præſentibuſque, ne deficiat, conſilijs ambiguum inſtruite. Non leuis & ſpernenda res agitur. De Aloyſio acquirendo certamus. Age, quam illi defenſionis rationem oſtenditis? Quo ſe clypeo tuebitur? Quid reſpôdebit? Reſpondeat nimirum, quod reſponderi in huiuſmodi certaminibus ſolet, maiorem ſibi præ-

ſen-

ſenti, a profano Cognatorum amore metuendam perniciem; quàm ſuà illis ex conſuetudine vtilitatem ſperandam. Plus quidem ſe Suis, quàm Externis; ſed plus etiam ſibi, quàm Suorum vlli charitatis debere: nec proinde ab rectiſſimo amandi ordine abſcedere, dum Alienis, quibus minorē cum periculo poſſit, ſuam præſtitum operam eat: quin multò diſceſſurum tunc veriùs, ſi Domeſticis, apud quos tantum ſubeat diſcriminis, eam mallet impendere. Hæc Aloyſius reſpondeat? Reſponderet haud dubiè, nec irrito ad victoriam euentu, ſi, quibus Aliorum plerique, obnoxius & ipſe foret inſinceri amoris contagijs: ſi non terrenarum omnes affectionum fibras ſuo in corde eliſiſſet: ſi, vt vno rem verbo complectar, Aloyſius non eſſet. At vbi nunc iſte clypeus? Vbi iſta communium periculorum ſuæque imbecillitatis cauſatio? Cùm ſanguinis nexu iunctiſſimos non aliud, quàm homines, putet: cùm patrijs in ædibus, non ſecus atque ignoto in hoſpitio, vel deuià ſolitudine, agat: cùm à Propinquis tam longè animo abſit; quàm ſi, non dicam in cœnobio aſceta, ſed in tumulo cinis lateret: cùm eorum vel prҽſentium omnem adeo naturalem ſenſum extinxerit; vt, vlteriorem meditans fugam, audire non immeritò poſſit, quod Oedipodi tragico, Suorum conſortium vel poſt cæcitatem vitanti, Antigone filia obiectauit, (a) *Gnatos fugis, matremque? Ab aſpectu omnium Fortuna te ſummouit, & quidquid poteſt eripere cuiquam mors, tibi hoc vita abſtulit*. Omnia profectò, omnia, quæ imbecilliores Alios huiuſmodi in pugnis tuentur, munimenta & præſidia ſuus illi a terrenis affectibus tam integer ani-

a Sen. in Theb. Act. 1.

animus rapuit: præcipuoque ſuæ cauſæ patrocinio exarmatum, & vix non penitùs nudum Aduerſarijs obijciens, teſtatiſſimum, quod ego affirmaueram, fecit, ideo illi violentiùs luctandum, durioreſque laqueos & obices, paternà vt e domo emigraret, perrumpendos fuiſſe; quia nullo Domeſticorum ignobili amore tenebatur deuinctus: quia, toto iamdiu animo peregrinus atque exul, nihil Sui, præter corpus atque extimam ſpeciem, paternà quod e domo exportaret, reliquerat: quia demum, quod in Quintiano admirandum Plinius (*a*) putauit, *nihil illi obſtabat, quòminùs vir optimus videretur, quòd erat optimus filius.*

O tuam igitur, Aloyſi, calamitoſam plùs nimio, longèque duriſſimam ſortem! Qui vel a tuis oppugnaris virtutibus, vel a tuà libertate conſtringeris: cuius ipſa Bona in meliorum impedimenta abeunt, ipſa fortitudo in imbecillitatem degenerat: cui vel ſanctimonia ipſa tam acriter obeſt, ne ſanctiorem perfectioremque viuendi rationem inſtituas: cuius poſtremò ſinceriſſimum animum profanæ totius ſortis deſpectio, præſentiſſimum cæteroquin integrarum minùs mentium auxilium, non ſecùs oppugnat; ac cedri ſuccus, conſeruandis cadaueribus natus, viuentia fertur (*a*) corpora abſumere. Quò te in pugnà tam ancipiti vertes? Quid conſilij capies? Quæ præſidia occupabis? Heu nimiùm quàm vereor, ne, domeſticis circumuentus inſidijs, tuiſmet armis petitus, a tuiſmet viribus proditus, eò faciliùs ſuccumbas; quò ab omni diſcriminis aleà videbaris remotior.

---

a Lib. 9. ep. 8.
b Plin. l. 24. Hiſt. Nat. c. 5.

Sed quò timor inconſultus me rapit,oblitum, quicum loquar, cui timeam? Quid, ſi etiam formidem, ne Xerſis catenæ maris libertatem deuinciant, neu natiuæ nubis repagula erupturo fulmini obſiſtant? Bona verba, Auditores. Tot certaminum moles tentare bellatorem ſtrenuiſſimum potuit; deterrere non potuit: *nec impedimentum* magnanimæ illius voluntatis, *ſed experimentum fuit.* (*a*) Ceu ſummæ priuilegio virtutis terrenarum oppugnationes cupiditatum neſcierat; ſic maioris prodigio virtutis ex ipſiſmet cæleſtium affectuum dimicationibus victor diſceſſit. Cùmque alij, vitiorum,quibus mortalia inter Bona conflictantur, formidine, mortalibus Bonis nuntium remittant;vel virtutum ipſe occaſiones a mortalibus ſibi Bonis oblatas, amplioris, quam alibi ſe aſſecuturum ſperabat, ſanctimoniæ deſiderio, neglexit:dupliciter ſanè admirandus, tum quòd vel religioſa extra caſtra incolumi agere per eximiam integritatem licebat; tum quòd ne illâ quidem ſecuritate retineri paſſus ſe eſt,quòminùs ad religioſa caſtra euolaret. Deleat iam Plato ſuis illam diſſertationem e paginis,(*b*)qua Bonũ,niſi Mali præſentis causâ, non diligi arguitur. Inertium id ſeruiliumque animorum,odio amorem debere, ſuæque ad perfectionis Complexum effugere potiùs, quàm ire. Vix amat, qui cogitur: vix non iniuriam Bono facit, qui illud ſic appetit.En ingenuum, en nobilem, en heroicum amorem ſuo nobis exemplo Aloyſius demonſtrat, quàm nullis aulæ vitijs obnoxius; tam nullâ eorum fugâ, ſed vnico maioris Boni vo-

a Val. Max. l. 6. c. 4.
b In Lyſi.

voto aſceticam ad militiam impulſus: magno quidem Catoni hac in parte adæquandus, (a) qui *nec regnum cupiens geſſit ciuilia bella, nec ſeruire timens:* longè tamen eodem præſtantior, ſi generoſitas perpendatur, qua profanam tunc vitam, nullà licet ſupremi imperatoris offenſione culpandam, proiecit: dignuſque adeo, vt ad myſticum illius huiuſcemodi Obitum nobile transferatur Feſti (b) epitaphium, *Hanc mortem magni ſatis præferre Catonis fama poteſt. Huius Cæſar amicus erat.* Fuiſſe olim in Antigoni exercitu militem ferunt, (c) lento quodam ægritudinis genere afflictum, promptiſſimæ tamen in certaminibus periculiſque inuadendis audaciæ. Hunc rex, ſimul miſeratus ærumnoſam virtutem, ſimul animo reputans, pugnaciorem impendiò futurum, ſi eum animi impetum par membrorum alacritas ſequeretur; nil operæ atque artis omiſit, quò integræ valetudini aſſereret Et curatio quidem ad votum, ſed curationis euentus prorſus in contrarium reſpondit. Etenim miles, quantò iam commodiùs ſuà vti fortitudine poterat; tantum de illà remittere, tantò ſegniùs iam diſcrimina adire: vt planè, commutatis inuicem partibus, priſtinus ille animi vigor in corpus; huius verò in animum tranſiſſe imbecillitas, non ſine regis admiratione, videretur. Placuit itaque ab homine coram accerſito, quænam inexpectatæ adeo mutationis foret cauſa, perquirere. At miles, Tu, inquit, o Princeps, dum vitam, quò mihi ſecuriorem, eò magis expetendam feciſti. Cuius enim, tot pridem moleſtijs circumuentæ, perquam

a Luc. lib. 9.
b Mart. l. 1. Epigr. 79.
c Plut. in Vita Pelop.

quam leuis videbatur iactura; ea nunc, extra valetudinis querelas iucunda & ſuauis, amore pretioque Sui animum retinet, ne, qua priùs prodigentiâ, in ancipites quoſuis caſus mittendam exiſtimem. Sic ille in rem ſuam, ſed non minùs, vt opinor, in noſtram. Eos quippe conuenientiſſimâ imagine expreſſit, qui, aſſiduis vitioſarum cupiditatum tentationibus atque morbis exerciti, non difficili adducuntur negotio, vt vulgaris illas vitæ intemperias pulcherrimâ religioſæ profeſſionis morte commutent: laudandi illi quidem de ſuo eiuſmodi qualiſcunque ſortis contemptu; multò tamen plus gloriæ habituri, ſi ſecuram nulliſque conflictatam diſcriminibus viuendi conditionem ſanctiſſimæ illius mortis honeſtati impendiſſent. Quemadmodum & maius ab honeſto viro in laudabili, quàm ab improbo in turpi vitâ morti obiectandâ, præberi Philoſophus (a) docet fortitudinis ſpecimen;& relatus Antigoni miles nimiùm quàm illuſtriorem virtutis famam fuiſſet promeritus; ſi, quàmuis cum corpore in gratiam reductus, & nihil in lucis vſurâ pœnitendum iam habens, ſupremis ſe caſibus, eâdem qua olim alacritate, obtuliſſet. At rarum hoc ſiue in profanâ, ſiue in ſanctiori militiâ perfectæ documentum virtutis, tuumque adeo, & propriâ tibi gratulandum ratione, Aloyſi; qui, paternâ licet in domo nullis animi ſolicitarere periculis, immo plurimis inſuper quà in tuam, quà in Aliorum vtilitatem abundares optatiſſimis fructibus; vel idipſum tam innocens, pacatumque, & religioſæ ſecuritati non impar vitæ laudatiſſimæ genus, Deo vt ſeruatori ſuis propiùs in caſtris militares, relinquendum putaſti:

non

a Ariſt. Ethic. l. 3. c. 9.

non, vt Pleriſque mos eſt, ingruentium vitiorum formidine, ſed, vt integerrimam inſciamque Mali mentem decebat, abſolutioris ſanctimoniæ deſiderio commotus: ideoque grauiorem pugnam expertus; quia terrena abdicanti cum eorum non amore, ſed deſpicientià, fuit dimicandum: ideo ſplendidiorem triumphum promeritus; quia & illas, vulgarium quæ hominum virtuti ſe obijciunt, difficultates neſciſti; & eas, quæ maximorum heroum propriæ ſunt, ſuperaſti.

Religioſi Obſequij cum Amore Diuino certamen.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ORATIO VII.

De Beato Aloyſio Gonzaga.

DIgnam regali tum fortunà, tum indole vocem emiſit Macedo ille, animo maximus, priùs etiam, quàm Magni nomen acciperet, cùm, (*a*) æqualium puerorum nonnullis ex eo ſciſcitantibus,numquid in Olympico libens ſtadio eximiæ pernicitatis ſuæ ſpecimen daret; ſe quidem, niſi æmulos reges haberet, in arenam proditurum negauit. Adeo,præſentis futuræque ſuæ magnitudinis conſcius,ex illo tam eminenti faſtigio, ne ad palmas quidem colligendas, dignabatur deſcendere: iam tum teneram mentem Granicus, Arbella, Perſepolis,Porique, & Darij ſpecioſa nomina impleuerant: famæque non auidus magis petitor, quàm æſtimator ſeuerus, indecoram ſibi rebatur victoriam, quam toto Alexandro menſus non eſſet. Nec immeritò ſanè. Decreſcat enim, oportet, quiſquis cum inferiore componitur. Nimiùm ſe inopem glorię fatetur, dum vel minimas illius occaſiones aucupandas exiſtimat: nec virtuti ſuæ ſatis videtur confidere, quam indigere ad victoriam arbitratur ſuffragio certaminis. Vt omnia feliciſſimè cadant; illud iam ſummum decus amiſit, vel citra controuerſiam ſuperiorem haberi. Cùm igitur Aloyſium Gonzagam, magno illi Ma-

a Plut. in Vita Alex.

Macedoni tantò preferendum heroem, quantò Eleorum ſe is pugilum vulgo potiorem ferebat, in hanc ego veræ laudis arenam, & iudiciorum veſtrorum theatrum, quouis Græciæ conuentu ſplendidius, hodierna luce ſim producturus; communes humanorum pectorum hoſtes, ambitionem, cupiditatem, luxuriam, & cæteros quoſuis terrenos atque humiliores Affectus iam nunc longiùs abſiſtere, totoque latè circo decedere iubeo. Nam quid iſtiuſmodi in peſtibus tantum, nobiliſſimi quo in athletæ Congreſſum mereantur admitti? Aut cur illi ſuperandos obijciam, de quibus, vt olim de ſeruis, (*a*) triumphare propter ignobilitatem ſit nefas? Hæccine animorum dehoneſtamenta, terrarum propudia, Inferorum portenta in Aloyſij, non dicam moribus, ſed trophæis tituliſque ſpectentur? Quid victis optatius, quid victori foret ſplendidum minùs? Quemadmodum in Antiocho nihil nobilius præclariuſque vetus ſcriptor (*b*) inuenit; quàm, quòd illum Romani non indignum putarint, quem vincerent; ſic teterrimis huiuſcemodi hoſtibus magnum eſſet inſtar victoriæ a noſtro bellatore vel vinci. Suis ignorabiles ſordibus, victoris luce clareſcerent: nec parum vlciſcerentur triumphum, cuius maieſtatem fœdarent. Videat ſanè Græcia, qualem de ſuo nobis Hercule tranſmiſerit famam, cui tam pulchros labores impoſuit; vt non Erymanthius modò aper vinculis domitus, coactuſque diē pati vmbrarum excubitor Cerberus, ſed & Augiæ ſordidiſſimum ſtabulum inter admiranda ſemidei herois Decora obtine-
rēt

a Flor. l. 3. c. 19.
b Id. l. 2. c. 8. *Vt nihil fuerit in Antiocho ſpecioſius, quàm quòd a Romanis victus eſt.*

ret locum. Romanus mihi quidem Sapiens perſuaſit (a), eſſe hoſtium nonnullos, a quibus vim & manus nobiliore faſtidio contineas, tamquam ab olidis, fæculentiſque, ac inquinaturis obterentem beſtiolis. Si depugnãdum eſt Aloyſio; Aduerſarium habeat ſe dignum: qui, Teutonici illius Regis (b) exemplo, *ſuper ipſa trophæa* ſua captiuus *emineat: quicum* contendiſſe magnificum, a quo vel ſuperari honeſtiſſimum ſit. Talem ego ex omnibus vnum inueni (quis crederet?) ſacrum, immortalem, diuinum Amorem. Hunc hodie pancratiaſtem notiſſimum, & innumerabilium athletam palmarum, quod felix fauſtumque ſit, heroi placet noſtro committere. Hoc lectiſſimum Par in ſolennibus nullis ſeu Romanæ, ſiuæ Olympicę arenę ſpectaculis datum, munerario & pręſide cęlo, intueri iam vobis fas erit. *Scio, quàm odioſa ſit circenſibus pompa* (c). Ne publica igitur ſtudia longiori expectatione detineam; pręfandi modum hic facio, meoque perfunctus ſat munere, Aloyſio, Amorique, ſpecioſiùs ſuas partes impleturis, caueam relinquo.

Ea eſt, ſi Plinio (d) quid credimus, aconiti natura; vt, quoties nil veneni conficiendum in homine offenderit; ipſum hominem perimat. Nullas agendi patitur ferias, nullas pugnarum nouit inducias. Niſi pręſtò intra Vitalia ſit hoſtis; ex ipſis ſibi hoſtem Vitalibus facit, in ipſa impetum vertit, in ipſis efficacitatem ſuam experitur. Quid aconito diſsimile mãgis, quàm Amor diuinus? Illud mortiferum gelu; flamma

H iſte

a Sen. L. 1. de Clem. c. 21.
b Flor. L. 3. c. 3.
c Sen. in Præf L. 1. Controu.
d Lib. 27. Hiſt. Nat. c. 2.

iſte vitalis: illud ex Cerberi ſpumâ prognatum; hic nectare æterno concretus: illud odium pratorum terræque genitricis crimen; hic ſacer Dei halitus, & cæli maximum munus. Quem retulimus, tamen diuerſiſſimi cæteroquin ab ingenio ſuo fruticis morem vſque adeo contrariũ ſibi Amor non credidit; vt eo prorſus ipſo in hodiernâ dimicatione ſit vſus. Iam ille, quidquid ſordidæ labis ex terrenâ contagione adhæreſcit, in Aloyſio ad purum deterſerat. Iam naturæ degeneris vitia cæleſti ſuo ardore conſumpſerat. Iam in vetitum pronas, diuinæque minùs conſentaneas origini affectiones extinxerat. Quidnam igitur, Aduerſarijs perdomitis, in vacuâ iam regnans arenâ, conſilij capeſſeret? Partâ deſes frueretur victoriâ? Præliandi contentionem remitteret? Emeritos tandem arcus ſuſpenderet? Non innatus hoc vigor, non acerrima indoles patitur. Igni citiùs quietẽ perſuaſeris. Vt viuat, agat: vt agat, dimicet: vt dimicet, nouum ſibi Aduerſarium inueniat. Inuenit profectò. Ipſummet Aloyſium ſummâ vi oppugnare eſt aggreſſus. Quæ pro ipſo arma tractauerat; in ipſum conuertit. Quem infimæ partis contagijs vitijſque ad id locorum purgauerat; eumdem ipsâ quoque infimâ demum parte ſpoliandum ſuſcepit. Per animi ergo delicias in corporis cladem inſtituit graſſari: cæleſti illum rore perfundere, vt vitali hoc humore exhauriret: alimentis alterum immortalibus paſcere, vt lethali alterum tabe conficeret: arcanum illi robur ſufficere, vt quidquid in hoc erat vigoris abſumeret.

Nec fruſtrata ſuo euentu conſilia. (*a*) Nam qui corpus, naturâ imbecillum, ſuâque ſponte ad

a Vide Cepar. in Vita Aloyſ. c. 3. Part. 2.

ad interitum vergens, tam aſſiduam, tam efficacem, tam intimam ſuſtinere vim poſſet? Qui terrena membrorum compages tot contra cæleſtis Aduerſarij oppugnationes & machinas diu incolumis ſtaret? Obſeſſus bello tam dulci, tam ſuaui depaſtus incendio Aloyſius, qualis ſub rapido cæli æſtu liliorum, niuiumue fragilis candor, tabeſcebat, ſoluebatur, diffluebat in dies. Iam ſenſus frigidi atque hebetes ſuis male ſufficiebant muneribus: iuuenilium amœnitatem genarum prænuntius mortis pallor mutauerat: erectæ frontis viuidum decus onerosus languor deiecerat; exuberantem in venis adoleſcentiæ viridis ſuccum importuna macies ebiberat. Quid lacrymas memorem, quarum iugi diluuio ſinus, veſtes, pauimenta inundabant? Quid ignita ſuſpiria, quibus quodammodo ſolis, cætero penè omni motu intercepto, ſe vita prodebat? Quid ſanguinis vehementiſsimos æſtus, quorum ſubitâ vi, naturalem vltra modum diſtenta, vix non rumpebantur præcordia? Quoties, dum menſis accumberet; ſapidiores illecebras Amore apponente, naturalium deſideriorum ſenſus corporeæque refectionis memoria dilabebatur ex animo? Quoties per nocturnæ quietis tempora, ſuauiſſimis curis diſtricto, vix vllam ſomni partem oculis capere, vix vllo tempeſtiui otij leuamine corporis animique fatigationem licebat reficere? Vidiſſes attonito ſimilem: iam oculis humi defixis immotum, iam ſubito inſtinctu agitatum vehementiùs: ſolum plurimùm agere, humana faſtidire commercia, nullis externis curis affici, corpore tamquam ſuperuacuo & alieno vti; vigilijs, ieiunijs, aſſiduâ mentis contentione ardoreque confectum, ſuperſtitem quodammodo Sui, tra, mani figuræ, rudimentum cadaueris: vix cor-

poris quidquam in corpore: nil propemodum vitæ in viuente: inque tantà vaſtitate naturæ, ac membrorum fatiſcentium ruinis ſolum exultantem, vigentem, triumphantem Amorem.

Hic primus fuit, Auditores, noſtrorum athletarum Congreſſus: quo ſi ego ſuperatum Aloyſium inficier; non in Æmuli magis victoris, quàm in ipſius deuicti, gloriam peccauerim. Quo enim auſu & facinore teſtari luculentiùs poterat inuictiſſimus pugil fortitudinem ſuam, quàm arbitrarià huiuſcemodi impreſſionum diuinarum patientià? Aut quem alibi hoſtium glorioſiori perculiſſet virtutis conatu; quàm ſacro hic Amori deteriorem Sui partem proſternendam conceſſerit? Si de bellis ciuilibus æquiſſima fuit illuſtrium ſcriptorum(*a*) ſententia, nihil eſſe victorià, quæ ibi contingat, miſerius: neminém plus ex ijs infamiæ referre; ac qui animo fortiore pugnauerit; hic e contrario, ceu Parentibus, a generoſà filiorum pietate benemerendo ſuperatis, gratulatur Seneca,(*b*) nil homini eſt vel ad fructum vberius, vel ad famám præclarius, quàm vinci.

Quid ergo? Peractum iam omnino certamen, datamque nobiliſſimo Pari miſſionem putabimus? Ita plané exiſtimandum videtur. Nam cur vltra pergat Amor contendere, iuxtà plenam, & facilem de Aduerſario iam victoriam adéptus? Aut in cuius ſpem Laureæ dimicationem Aloyſius inſtauret, ſi, quantamcunque reſiſtendo affectare potuiſſet, inuicti roboris gloriam voluntarià Sui deditione iam eſt conſecutus? Fallimur tamen. Quod ſummum certamen,

a Luc. L. 6. Cic. L. 4. Epiſt. Fam. Ep. 9. & lib. 9. Epiſt. 6.
b Lib. 3. de Benef. c. 38.

men, quod omnimodam cenſemus victoriam, non niſi Apparatum certaminis, non niſi vmbram victoriæ dixerimus, ſi opperiri tantiſper rei exitum libeat. Habent hoc proprium egreſſi commune faſtigium heroes, vt per maxima Decora proludant maioribus. Plurimum licet faciant; plus ſemper promittunt. Errat, qui eorum exempla, vel ſumma, aliter, quàm vt futurorum pignora, accipit. Pro rudimentis gloriæ ſuæ habent, quibus alienæ terminos ſtatuunt. Quantùm de tuâ imitatione deſperes, dum ampliſſima quæque perpetrantes conſideras; tantùm de illorum progreſſione adhuc ſperaueris. Perculſſus Myſiæ rex Telephus, æquatæ Solo Thebæ, diruta Chryſe, ſubacta Lyrneſſus, Cilla & Tenedus captæ cuiuslibet inclyti ducis bellicam gloriam ſonantibus titulis abunde impleuiſsent: quæ tamen omnia nec bellum, ſed iter tantùm fuerunt properantis ad Troiam Achillis (a). Hæc fortitudinis ſuæ memoranda veſtigia, vel in curſu, impreſſa reliquit Græcorum Principum maximus. His nihil egit præterea, quàm vt admoneret Troianos, quantus & qualis veniret. Idem de Aloyſio dicendum. Primâ hac, quam de corpore retulit, dum immortali Aduerſario ſe vltro ſubiecit, victoriâ, quaſi gradu & tyrocinio quodam eſt vſus, ad ſublimiores prenſandos triumphos. Contentus hic fuit aliquod Amori ſpecimen dare, quàm ſciret vel ea, quæ homini chariſſima ſunt, abdicare. Vt ne primo illo congreſſu debellatum putares: ſed ab alterius, innati licet

a Seneca in Troad. Act. 2. *Hac tanta clades gentium, & tantus pauor alterius eſſet gloria & ſummum decus: Iter eſt Achillis. Sic meus venit pater, & tanta geſsit bella, dum bellum parat.*

maximè, amoris exemplo condiſceret, ſibi etiam timere, poſtquam in illius locum atque ſortem ſucceſſerat. Nullam, quamdiu id Ratio ſuaſerit, tuendæ ſe valetudinis, immo ne ipſius quidem vitæ, curam geſsiſſe. Si quid eadem ſecus Ratio præſcriberet; quàm remiſſus fuerat pridem Sui cuſtos; tam ſtrenuum deinde propugnatorem, tam quibusque, vel cæleſtibus, tentamentis indeflexum omnino atque immobilem fore.

Et talem ſe vtique haud multò poſt præbuit, legitimo coactus imperio pugnandi rationem mutare, nec nouæ hoc fortitudinis experimentum diutiùs debere (a). Nimirum, quem religioſę militię inſtitutorem habebat ac ducem; tantamillam in tyrone ſuo maciem ſolicitus iamdudum notauerat. Neque porrò conſultiſsimum virum fefellit, quodcunque jd morbi foret, ex animi potiùs virtute, quàm ex corporis vitio profluere. Diuinæ Iuuenem charitati plùs nimio indulgere: hinc vires quotidie carpi, natiuam habitudinem deteri, vitam ſenſim abſumi. Huic, honeſtiſſimę cęteroquin, intemperantię niſi obuiàm in tempore eatur; breuem admodum fore tam pretioſi capitis fructum: quemque, Solis inſtar, ęternam commodare lucem humanis rebus decebat; eum, fulguris ritu, quàm ſplendidâ & admirabili pompâ intuentiū nunc Viſus perſtringeret; tam rapido iiſdem ac pręcipiti ſe curſu erepturum, actuoſiſſimum penè ſimul, & nullum. Imitatus proinde agricolarum prudentiam, qui (b) vites, pariendi plùs ęquo auidas, reſecando amputandoque, diuturnio-

---

a Vide Virgil. Cepar. in Vitâ Aloyſ. c. 3. part. 2.
b Vide Plin. L. 17. Hiſt. Nat. c. 22.

niorem ad fructum cuſtodiunt; vetuit tam prolixam divinis commentandis rebus operam dare. Contineret familiàribus ab illecebris mentem: detraheret animo pabulum, cuius prægrauis corpori eſſet ſagina: nimios concitati pectoris calores atque impetus, quantùm in ipſo erat, reprimeret: poſtremò, quam Alij diligentiam impendunt amori excitando; temperando ipſe contra frænandoque adhiberet. Id ſe pro magiſtri ac præſidis iure imperare: hanc certiſſimam eſſe loquentis ore ſuo Numinis mentem: nec aliam inſtitui rationem ab eo poſſe, demerendæ ſibi pleniùs, quam effusè adeo vehementerque deperibat, Diuinitatis.

O remedium, libet hic exclamare, quouis morbo & cruciatu moleſtius! O amantiſsimi patris imperium nullo non Euryſthei aduerſùs Herculem odio ſeuerius! Enimuero qui præceptionis huiuſce aſperitatem non ſatis intelligit; grauiſſimum adeat Hiſtoricum (a), nihil difficilius pronuntiantem, quàm *ex ſapientiâ modum tenere.* Audiat Oratoris Romani non vno in loco relictas de illorum iudicijs querelas(c), qui, cum Enniano Neoptolemo, philoſophandum eſſe paucis præcipiunt: *rebus*, vt ille ait, *infinitis modum conſtituere* auſi, & *temperantiam in eo poſtulare, quod, ſemel admiſſum, reprimi coercerique non poteſt.* Si enim ſapientiæ philoſophiæque, artium, quæ ipſamet vltro mediocritatis magiſterium profitentur, tam ardua & intolerabilis viſa eſt moderatio doctiſſimis viris; quid de amoris moderatione ſentiendum videbitur, rei nimirũ immenſæ, quæque impetu viget, & cui modus vnicus eſt, modũ omnẽ neſcire?

 re?

a Tac. in Vita Agric. c 4.
b Lib. 1. de Fin & 2. Tuſcul. Qu.

re? Hem, quò tua hæc tandem conſilia, prouidentiſſime moderator, reſpiciunt? Aloyſium tueri incolumem niteris, & amandi vſu, qui omnis penè illius eſt natura, interdicis? Quid, ſi eumdem ſpirare, ſi veſci, ſi ſentire prohibeas, vt viuat? Ah tam difficili imperio iuuenis hic non ſeruatur, ſed perditur. Nunquam vi tantâ illius corpus afflixerit dominari Amor permiſſus; quin maiorem ſuo ipſe inferre vim animo debeat, Amori coactus obſiſtere. Sed bene ſe habet qualiſcunque iſta demum paternæ prouidentiæ ſeueritas: decet namque athletam fortiſſimum domeſticâ huiuſcemodi concertatione præclarum ſibi illud aſſerere, quo eum, Hetruſca noſtri æui Sibylla, Magdalena Pactia honeſtauit, *Interioris Martyris* nomen.

Iam itaque ſacri præſidis voce decretorij certaminis ſignum inſonuit. Iam eximiorum Par pugilum ad nouam operoſioris pugnæ aleã quidquid ſibi virium, quidquid eſt animorum contendit. Deſinat poſthac Cordubenſis Philoſophus (*a*) intuendum Cœlo Superiſque proponere dimicantem cum Fortunâ Catonem. Deſinat Plinius Naturam in theatrum inducere, immaniſsimarum belluarum (*b*) elephanti, draconiſque, vacaturam congreſſibus. Deſinat Pharſalicus vates Fortunæ oculos addere, vt in Sceuâ, vniuerſum ſuſtinente Pompeium, admirandum maximèque *nouum Par videat concurrere, Bellum, atque Virum* (*c*). Ecce ſpectaculum, fortunæ, naturęque viribus maius, &, ſi quod

---

a Sen. de Prouid. c. 2.

b Lib. 8. Hiſt. Nat. c. 12. *Quam quis aliam tanta diſcordia cauſam attulerit, niſi Naturam, ſpectaculum ſibi ac Paria componentem?*

c Luc. L. 6.

ſi quod aliud, Dei oculis planè digniſsimum, cæleſtis Adoleſcens cæleſti cum Amore compoſitus. O quàm nunc ego Antiſtitis Hipponenſis (*a*) facundiam, omnique viuidiorem quà Coo, quà Heraclienſi penicillo mihi ſtylum optauerim, ad hanc exprimendam, ponendamque ſub oculos oratorijs coloribus pugnam, multò illà tum nobiliorem, tum difficilem magis, quam ipſi olim, meliorem ad frugem reſipiſcenti, veteres Amicæ ſuę, voluptates, obtulerant: cùm apprehensà *carneæ*, vt is loquitur, *veſtis* laciniâ, Siccine, ingrate, nos fugis? repeterent. Siccine tam ſuauis intimæque neceſsitudinis Fœdus abrumpis? Siccine amœnitates, riſus, lepores, hæc, illa genij blandimenta, quidquid iucundum & delectabile ſenſibus, leuiſsimus deſertor, relinquis? Et poteris contubernio tam dulci vel diem abſtinere? Et. poteris tibi vitam arbitrari vitalem, omnibus iam vitæ oblectamentis ſuperſtes? O te verè ferreum, o non Auguſtinum, ſi poteris! Pudet enimuero, Auditores, nequiſsimas improbarum voces ſirenum hic vlteriùs referre. Sed multò adhuc iuſtiùs puderet ab earum flexanimà vi argumentum in rem noſtram deſumere. Quid enim comparandum meritò habeant impura, execranda, mortifera effrontium Veneficarum lenocinia cum integerrimis, quas Amor diuinus obiectare conſueuit, cæleſtium voluptatum illecebris? Exhibebat ſeſe Aloyſio blandiſsimus animorum oppugnator, non oculis procacem ad riſum compoſitis, ſed pulcherrimo illo, æterniſque gaudijs & gratijs florentiſſimo vultu, quo intuentium

a S. Aug. l. 8. Conf. c. 11.

libertati beatæ quaſi neceſſitatis vincula imponit. Figebat telis præcordia, non Stygio medicatis veneno, ſed ſyderum rore, vitaliq ue dulcedine imbutis. Intentabat faces, non craſſas & fumeas, ſed in diuini cordis arà ſuccenſas, perque intimos pectoris ſinus liquidiſſimum ignem admirabili tum efficacitate, tum ſuauitate ſpargentes. Vnguenta ſpirabat, nequaquam fæculenta, & eumida, ſed e ſuperni Veris fragrantiſſimo halitu ad immortale. animorum oblectamentum coalita. Pro magicis demum philtris, poculiſque Circæis, miſcebat illius nectaris guſtus, quo Cælitum conuiuia redundant, quo ipſemet paſcitur Deus. Cuius igitur fortitudinis, quàmque inſignis conſtantiæ res erat, tam intimam vim ſubmouere, tam blanda inuitamenta repellere, tam rapacibus lenocinijs obſiſtere? Difficillimum cuiuis fuiſſet, vt vt ſacris hiſce delicijs minimè aſſueto. Quid Aloyſio, cui nihil æquè ſapiebat, nihil, vel a pueritiæ primordijs, familiarius erat ac notius? Recordamini Tantalum illum, æterno apud Inferos damnatum a poetis ieiunio, proximos ori cibos, & latices, quàm auido, tam irrito niſu, captantem. Non ſegniùs Adoleſcens ſanctiſſimus diuina anhelabat: non feruidà minùs immortalis illius pabuli fame, ſitique vrebatur. Quale igitur, quàmque effictis vel in Tartaro cruciatibus ſimile cogebatur ſupplicium perferre, appoſitis tam ſuauibus epulis inhiantia iuſſus labra abſtinere? Proponite vobis ob oculos ſinceritatis leuiſſimæ flammulam, toto naturæ ſuę impetu ad Mundi Conuexa euolantem. Nihilò remiſſiori conatu ad intimam cum Deo coniunctionem Aloyſij cor ferebatur. Quanta igitur inferenda vis animo erat; vt, ſuorum a ſcopo votorum iam proximus, conceptos im-

pe-

petus frangeret: nec modò exoptatiſsimam ipſe ad metam non tenderet; ſed ab eà inſuper vltro ſibi occurrente refugeret? Quò vni totus Amori diuino vacaret; quæcunque in primis iucunda & cordi proxima homines habent, ampliſsimas opes, florentiſsimum principatum, ſubiectorum obſequia, Parētum Amplexus, voluptates, Commoda, honores, libertatem, ipſum ſe quoque, voluntarius ac libens, dimiſerat. Quid itaque? Impendioſiſsimo hoc fructu repentè priuari, nonne idem videbatur; ac ſeipſum rurſus amittere: tantòque grauiori iacturà, quantò ipſe pretioſior iam erat, ex quo ſe ſe primò abdicauerat?

Sed, tot licet oppugnaretur vndecunque tentamentis atque artibus: tot blandiſsima licet tormenta & dulces machinę vrgerent: quamquam animus ipſe, inſolità vi labefactus, cæleſtem ad Æmulum plùs quàm medià Suà parte transfugerat; perſtitit tamen in pugnandi Propoſito, erectus, inuictus, immotus: cęloque plaudente, & vel ipſo ad inſolentis adeo conſtantię miraculum attonito Amore, nudus, nec integer, tam intimum, tam inſuperabilem, tot opibus copijſque pollentem Aduerſarium ſuſtinuit, repreſſit, auertit: nobile illud ſibi elogium promeritus, quo Herculis, in Oetæo rogo morientis, Suprema cothurnatus poeta (a) exornauit: *Et flamma victa eſt. Vrere ardentem putes.* Intentatas ſiquidem animo, & arcanis defixas præcordijs, charitatis ardentiſſimæ faces tam conſtanti inuictoque tolerauit rigore; vt non ipſe quidem torreri, ſed vrere potiùs videretur ſe vrentem Amorem.

H 6 Tan-

a Senec in Herc. Oet. Act. 5.

Tantæ decus victoriæ parũ ego videar agnoſcere, ſi cum vllis vel ſummorum ducum adoreis & palmis comparandum exiſtimem. Iampridem eas omnes Aloyſius excelſerat, cùm ambitioni luxuriæque iugum impoſuit: queis immanibus belluis ipſe etiam tot monſtrorum domitor Hercules laniandum ſe præbuit: queis teterrimis hoſtibus ipſi quoque Alexander, & Cęſar, belli fulmina, terrarumque victores, ſuccubuerunt. Hoc poſtremo certamine, plus aliquid auſus, non aliorum ſolummodo bellatorum triumphos, ſed & ſuæ omnia virtutis monumenta obſcurauit: inuictumque cæleſti Aduerſario ſe præbens, quod vnum ſummæ laudis ad faſtigium ſupererat, ſecum ipſe de gloriâ contendit, ſeipſo quoque fortior apparuit. Cæteras ſiquidem, vt vt maximè inſignes, victorias, præterquam quòd de ignobiliori hoſte, non ſolus, *nec ſine Theſeo*, (*a*) ſed, Amore adiuuante, retulerat. Hic ipſum Amorem, conſuetis nudatus auxilijs, & vel a mediâ Sui parte relictus proditusque, deuicit. Quòd ſi nullis bellicorum tot facinorum titulis parem ſibi Ageſilaus rex fortiſſimus gloriam promeruit; (*b*) ac ſingulari eâ moderatione, qua legitimis patriorum magiſtratuum imperijs eſt obſecutus: dum a Perſico bello, vbi tanta palmarum illi ſeges, iuſſus diſcedere; felicibus retro ſignis conuerſis, maluit ſe Patriæ, quàm ſibi Aſiam ſubijcere: ſi ex omnibus victricium copiarum ſuarum bellatoribus vnum maximè Cyrus laudauit centurionem Chryſantam, (*c*) eò quia, cum Aſſyrijs fortiſſimè dimicans, in-

ten-

a Plut. in Vitâ Theſei.
b Id. in eius Vitâ.
c Xenoph. l. 4. de Inſtit. Cyri.

tentum iam hoſtili iugulo enſem, ſimul ac receptui buccina cecinisſet, ab ictu inhibuerat, non pugnam inuadere alacrior, quàm promptus victoriam dimittere; quidni compreſſos & ego charitatis flagrantiſſimæ impetus, reductamque ab exercitatione pulcherrimà in obſequium Moderatoris ſui mentem tranſactis quibuſque Aloyſij victorijs, & rebus laudabiliter geſtis anteferam? Quidni, quod, Cæſaris victoris clementiam deprædicans, cunctabundè & ſubtimidè Romanus Orator (*a*) vix protulit; clarà ego voce, apertiſque, vt dicitur, tibijs de Aloyſio proclamem, ipſam ab eo ſuperatam fuiſſe victoriam? Ita profectò. Alibi hoſtes; hic ipſam ſuperauit victoriam: dum Amore fortior fuit, quo vno priores illius omnes continebantur victoriæ. Immo non ſuos modò vniuerſos, ſed quoſcunque prætereà, toto æuo, & quibuſuis ex hoſtibus, ſacer Amor duxit triumphos hac eàdem moderatione, qua ipſi leges impoſuit, viſus eſt ſuperaſſe. Quemadmodum enim collectas omnes a Magno Pompeio tot per orbem terrarum, tamque varijs certaminibus palmas, vnico in Pharſalià ictu, felix Æmuli magnitudine, Cæſar demeſſuit; ſic diuini quæque Amoris ornamenta & præconia in id tantùm valuere; vt illuſtriori Aloyſius potiretur victorià, totamque Aduerſarij potentiſſimi gloriam vnius in triumphi decus colligeret.

Age igitur, congruentem iam habemus decempedam, qua immenſas herois noſtri laudes metiri fas ſit: habemus manubias, quibus dignum maximoque par victori excitetur trophæum. Memini Paulum Æmilium, rege Perſo

a Cic. in Or, Pro M. Marc.

Macedoni tantò prẹferendum heroem, quantò Eleorum ſe is pugilum vulgo potiorem ferebat, in hanc ego veræ laudis arenam, & iudiciorum veſtrorum theatrum, quouis Græciç conuentu ſplendidius, hodierna luce ſim producturus; communes humanorum pectorum hoſtes, ambitionem, cupiditatem, luxuriam, & cæteros quoſuis terrenos atque humiliores Affectus iam nunc longiùs abſiſtere, totoque latè circo decedere iubeo. Nam quid iſtiuſmodi in peſtibus tantum, nobiliſſimi quo in athletæ Congreſſum mereantur admitti? Aut cur illi ſuperandos obijciam, de quibus, vt olim de ſeruis, (*a*) triumphare propter ignobilitatem ſit nefas? Hæccine animorum dehoneſtamenta, terrarum propudia, Inferorum portenta in Aloyſij, non dicam moribus, ſed trophæis titulisque ſpectentur? Quid victis optatius, quid victori foret ſplendidum minùs? Quemadmodum in Antiocho nihil nobilius præclariuſque vetus ſcriptor (*b*) inuenit; quàm, quòd illum Romani non indignum putarint, quem vincerent; ſic teterrimis huiuſcemodi hoſtibus magnum eſſet inſtar victoriæ a noſtro bellatore vel vinci. Suis ignorabiles ſordibus, victoris luce clareſcerent: nec parum vlciſcerentur triumphum, cuius maieſtatem fœdarent. Videat ſanè Græcia, qualem de ſuo nobis Hercule tranſmiſerit famam, cui tam pulchros labores impoſuit; vt non Erymanthius modò aper vinculis domitus, coactuſque diē pati vmbrarum ſexcubitor Cerberus, ſed & Augiæ ſordidiſſimum ſtabulum inter admiranda ſemidei herois Decora obtineret

a Flor. l. 3. c. 19.

b Id. l. 2. c. 8. *Vt nihil fuerit in Antiocho ſpecioſius, quàm quòd a Romanis victus eſt.*

ret locum. Romanus mihi quidem Sapiens perſuaſit (*a*), eſſe hoſtium nonnullos, a quibus vim & manus nobiliore faſtidio contineas, tamquam ab olidis, fæculentiſque, ac inquinaturis obterentem beſtiolis. Si depugnãdum eſt Aloyſio; Aduerſarium habeat ſe dignum: qui, Teutonici illius Regis (*b*) exemplo, *ſuper ipſa trophæa* ſua captiuus *emineat: quicum* contendiſſe magnificum, a quo vel ſuperari honeſtiſſimum ſit. Talem ego ex omnibus vnum inueni (quis crederet?) ſacrum, immortalem, diuinum Amorem. Hunc hodie pancratiaſtem notiſſimum, & innumerabilium athletam palmarum, quod felix fauſtumque ſit, heroi placet noſtro committere. Hoc lectiſſimum Par in ſolennibus nullis ſeu Romanæ, ſiuæ Olympicę arenę ſpectaculis datum, munerario & pręſide cęlo, intueri iam vobis fas erit. *Scio, quàm odioſa ſit circenſibus pompa* (*c*). Ne publica igitur ſtudia longiori expectatione detineam; pręfandi modum hic facio, meoque perfunctus ſat munere, Aloyſio, Amorique, ſpecioſiùs ſuas partes impleturis, caueam relinquo.

Ea eſt, ſi Plinio (*d*) quid credimus, aconiti natura; vt, quoties nil veneni conficiendum, in homine offenderit; ipſum hominem perimat. Nullas agendi patitur ferias, nullas pugnarum nouit inducias. Niſi pręſtò intra Vitalia ſit hoſtis; ex ipſis ſibi hoſtem Vitalibus facit, in ipſa impetum vertit, in ipſis efficacitatem ſuam experitur. Quid aconito diſsimile mãgis, quàm Amor diuinus? Illud mortiferum gelu; flamma

H iſte

a Sen. L. 1. de Clem. c. 21.
b Flor. L. 3. c. 3.
c Sen. in Præf L. 1. Controu.
d Lib. 27. Hiſt. Nat. c. 2.

iſte vitalis: illud ex Cerberi ſpumâ prognatum; hic nectare æterno concretus : illud odium pratorum terræque genitricis crimen ; hic ſacer Dei halitus , & cæli maximum munus . Quem retulimus, tamen diuerſiſſimi cæteroquin ab ingenio ſuo fruticis morem vſque adeo contrariū ſibi Amor non credidit ; vt eo prorſus ipſo in hodiernâ dimicatione ſit vſus . Iam ille , quidquid ſordidæ labis ex terrenâ contagione adhæreſcit , in Aloyſio ad purum deterſerat. Iam naturæ degeneris vitia cæleſti ſuo ardore conſumpſerat . Iam in vetitum pronas , diuinæque minùs conſentaneas origini affectiones extinxerat. Quidnam igitur , Aduerſarijs perdomitis , in vacuâ iam regnans arenâ , conſilij capeſſeret ? Partâ deſes frueretur victoriâ ? Præliandi contentionem remitteret ? Emeritos tandem arcus ſuſpenderet ? Non innatus hoc vigor, non acerrima indoles patitur. Igni citiùs quieté perſuaſeris . Vt viuat , agat : vt agat , dimicet : vt dimicet , nouum ſibi Aduerſarium inueniat. Inuenit profectò. Ipſummet Aloyſium ſummâ vi oppugnare eſt aggreſſus . Quæ pro ipſo arma tractauerat; in ipſum conuertit. Quem infimæ partis contagijs vitijſque ad id locorum purgauerat ; eumdem ipsâ quoque infimâ demum parte ſpoliandum ſuſcepit . Per animi ergo delicias in corporis cladem inſtituit graſſari : cæleſti illum rore perfundere , vt vitali hoc humore exhauriret : alimentis alterum immortalibus paſcere, vt lethali alterum tabe conficeret : arcanum illi robur ſufficere , vt quidquid in hoc erat vigoris abſumeret .

Nec fruſtrata ſuo euentu conſilia . (*a*) Nam qui corpus , naturâ imbecillum , ſuâque ſponte ad

a Vide Cepar. in Vita Aloyſ. c. 3. Part. 2.

ad interitum vergens, tam aſſiduam, tam efficacem, tam intimam ſuſtinere vim poſſet? Qui terrena membrorum compages tot contra cæleſtis Aduerſarij oppugnationes & machinas diu incolumis ſtaret? Obſeſſus bello tam dulci, tam ſuaui depaſtus incendio Aloyſius, qualis ſub rapido cæli æſtu liliorum, niuiumue fragilis candor, tabeſcebat, ſoluebatur, diffluebat in dies. Iam ſenſus frigidi atque hebetes ſuis male ſufficiebant muneribus: iuuenilium amœnitatem genarum prænuntius mortis pallor mutauerat: erectæ frontis viuidum decus onerosus languor deiecerat: exuberantem in venis adoleſcentiæ viridis ſuccum importuna macies ebiberat. Quid lacrymas memorem, quarum iugi diluuio ſinus, veſtes, pauimenta inundabant? Quid ignita ſuſpiria, quibus quodammodo ſolis, cætero penè omni motu intercepto, ſe vita prodebat? Quid ſanguinis vehementiſsimos æſtus, quorum ſubitâ vi, naturalem vltra modum diſtenta, vix non rumpebantur præcordia? Quoties, dum menſis accumberet; ſapidiores illecebras Amore apponente, naturalium deſideriorum ſenſus corporeæque refectionis memoria dilabebatur ex animo? Quoties per nocturnæ quietis tempora, ſuauiſſimis curis diſtricto, vix vllam ſomni partem oculis capere, vix vllo tempeſtiui otij leuamine corporis animique fatigationem licebat reficere? Vidiſſes attonito ſimilem: iam oculis humi defixis immotum, iam ſubito inſtinctu agitatum vehementiùs: ſolum plurimùm agere, humana faſtidire commercia, nullis externis curis affici, corpore tamquam ſuperuacuo & alieno vti: vigilijs, ieiunijs, aſſiduâ mentis contentione ardoreque confectum, ſuperſtitem quodammodo Sui, tra- mani figuræ, rudimentum cadaueris: vix cor-

poris quidquam in corpore: nil propemodum vitæ in viuente: inque tantâ vaſtitate naturæ, ac membrorum fatiſcentium ruinis ſolum exultantem, vigentem, triumphantem Amorem.

Hic primus fuit, Auditores, noſtrorum athletarum Congreſſus: quo ſi ego ſuperatum Aloyſium inficier; non in Æmuli magis victoris, quàm in ipſius deuicti, gloriam peccauerim. Quo enim auſu & facinore teſtari luculentiùs poterat inuictiſſimus pugil fortitudinem ſuam, quàm arbitrariâ huiuſcemodi impreſſionum diuinarum patientiâ? Aut quem alibi hoſtium glorioſiori perculiſſet virtutis conatu; quàm ſacro hic Amori deteriorem Sui partem proſternendam conceſſerit? Si de bellis ciuilibus æquiſſima fuit illuſtrium ſcriptorum(a) ſententia, nihil eſſe victoriâ, quæ ibi contingat, miſerius: neminem plus ex ijs infamiæ referre; ac qui animo fortiore pugnauerit; hic e contrario, ceu Parentibus, a generoſa filiorum pietate benemerendo ſuperatis, gratulatur Seneca,(b) nil homini eſt vel ad fructum vberius, vel ad famam præclarius, quàm vinci.

Quid ergo? Peractum iam omnino certamen, datamque nobiliſſimo Pari miſſionem putabimus? Ita planè exiſtimandum videtur. Nam cur vltra pergat Amor contendere, iuxtà plenam, & facilem de Aduerſario iam victoriam adeptus? Aut in cuius ſpem Laureæ dimicationem Aloyſius inſtauret, ſi, quantamcunque reſiſtendo affectare potuiſſet, inuicti roboris gloriam voluntariâ Sui deditione iam eſt conſecutus? Fallimur tamen. Quod ſummum certamen,

a Luc. L. 6. Cic. L. 4. Epiſt. Fam. Ep. 9. & lib. 9. Epiſt. 6.

b Lib. 3. de Benef. c. 38.

men, quod omnimodam cenſemus victoriam, non niſi Apparatum certaminis, non niſi vmbram victoriæ dixerimus, ſi opperiri tantiſper rei exitum libeat. Habent hoc proprium egreſſi commune faſtigium heroes, vt per maxima Decora proludant maioribus. Plurimum licet faciant; plus ſemper promittunt. Errat, qui eorum exempla, vel ſumma, aliter, quàm vt futurorum pignora, accipit. Pro rudimentis gloriæ ſuæ habent, quibus alienæ terminos ſtatuunt. Quantùm de tuà imitatione deſperes, dum ampliſſima quæque perpetrantes conſideras; tantùm de illorum progreſſione adhuc ſperaueris. Perculſus Myſiæ rex Telephus, æquatæ Solo Thebæ, diruta Chryſe, ſubacta Lyrneſſus, Cilla & Tenedus captæ cuiuslibet inclyti ducis bellicam gloriam ſonantibus titulis abunde impleuiſſent: quæ tamen omnia nec bellum, ſed iter tantùm fuerunt properantis ad Troiam Achillis (a). Hæc fortitudinis ſuæ memoranda veſtigia, vel in curſu, impreſſa reliquit Græcorum Principum maximus. His nihil egit præterea, quàm vt admoneret Troianos, quantus & qualis veniret. Idem de Aloyſio dicendum. Primà hac, quam de corpore retulit, dum immortali Aduerſario ſe vltro ſubiecit, victorià, quaſi gradu & tyrocinio quodam eſt vſus, ad ſublimiores prenſandos triumphos. Contentus hic fuit aliquod Amori ſpecimen dare, quàm ſciret vel ea, quæ homini chariſſima ſunt, abdicare. Vt ne primo illo congreſſu debellatum putaret: ſed ab alterius, innati licet

a Seneca in Troad. Act. 2. *Hac tanta clades gentium, & tantus panor alterius eſſet gloria & ſummum decus: Iter eſt Achillis. Sic meus venit pater, & ta nta geſsit bella, dum bellum parat.*

maximè, amoris exemplo condiſceret, ſibi etiam timere, poſtquam in illius locum atque ſortem ſucceſſerat. Nullam, quamdiu id Ratio ſuaſerit, tuendæ ſe valetudinis, immo ne ipſius quidem vitæ, curam geſsiſſe. Si quid eadem ſecus Ratio præſcriberet; quàm remiſſus fuerat pridem Sui cuſtos; tam ſtrenuum deinde propugnatorem, tam quibusque, vel cæleſtibus, tentamentis indeflexum omnino atque immobilem fore.

Et talem ſe vtique haud multò poſt præbuit, legitimo coactus imperio pugnandi rationem mutare, nec nouæ hoc fortitudinis experimentum diutiùs debere (a). Nimirum, quem religioſę militię inſtitutorem habebat ac ducem; tantamillam in tyrone ſuo maciem ſolicitus iamdudum notauerat. Neque porrò conſultiſsimum virum fefellit, quodcunque jd morbi foret, ex animi potiùs virtute, quàm ex corporis vitio profluere. Diuinæ Iuuenem charitati plùs nimio indulgere: hinc vires quotidie carpi, natiuam habitudinem deteri, vitam ſenſim abſumi. Huic, honeſtiſſimę ceteroquin, intemperantię niſi obuiàm in tempore eatur; breuem admodum fore tam pretioſi capitis fructum: quemque, Solis inſtar, ęternam commodare lucem humanis rebus decebat; eum, fulguris ritu, quàm ſplendidà & admirabili pompà intuentiū nunc Viſus perſtringeret; tam rapido iiſdem ac pręcipiti ſe curſu erepturum, actuoſiſſimum penè ſimul, & nullum. Imitatus proinde agricolarum prudentiam, qui (b) vires, pariendi plùs ęquo auidas, reſecando amputandoque, diuturnio-

a Vide Virgil. Cepar. in Vità Aloyſ. c. 3. part. 2.
b Vide Plin. L. 17. Hiſt. Nat. c. 22.

niorem ad fructum cuſtodiunt; vetuit tam prolixam divinis commentandis rebus operam dare. Contineret familiaribus ab illecebris mentem: detraheret animo pabulum, cuius prægrauis corpori eſſet ſagina: nimios concitati pectoris calores atque impetus, quantùm in ipſo erat, reprimeret: poſtremò, quam Alij diligentiam impendunt amori excitando; temperando ipſe contra frænandoque adhiberet. Id ſe pro magiſtri ac præſidis iure imperare: hanc certiſſimam eſſe loquentis ore ſuo Numinis mentem: nec aliam inſtitui rationem ab eo poſſe, demerendæ ſibi pleniùs, quam effusè adeo vehementerque deperibat, Diuinitatis.

O remedium, libet hic exclamare, quouis morbo & cruciatu moleſtius! O amantiſsimi patris imperium nullo non Euryſthei aduerſùs Herculem odio ſeuerius! Enimuero qui præceptionis huiuſce aſperitatem non ſatis intelligit; grauiſſimum adeat Hiſtoricum (a), nihil difficilius pronuntiantem, quàm *ex ſapientiâ modum tenere.* Audiat Oratoris Romani non vno in loco relictas de illorum iudicijs querelas(c), qui, cum Enniano Neoptolemo, philoſophandum eſſe paucis præcipiunt: *rebus*, vt ille ait, *infinitis modum conſtituere* auſi, & *temperantiam in eo poſtulare, quod, ſemel admiſſum, reprimi coercerique non poteſt.* Si enim ſapientiæ philoſophiæque, artium, quæ ipſamet vltro mediocritatis magiſterium profitentur, tam ardua & intolerabilis viſa eſt moderatio doctiſſimis viris; quid de amoris moderatione ſentiendum videbitur, rei nimirũ immenſæ, quæque impetu viget, & cui modus vnicus eſt, modũ omnẽ neſcire?

 re?

a Tac. in Vita Agric. c 4.
b Lib. I. de Fin & 2. Tuſcul. Qu.

re? Hem, quò tua hæc tandem conſilia, prouidentiſſime moderator, reſpiciunt? Aloyſium tueri incolumem niteris, & amandi vſu, qui omnis penè illius eſt natura, interdicis? Quid, ſi eumdem ſpirare, ſi veſci, ſi ſentire prohibeas, vt viuat? Ah tam difficili imperio iuuenis hic non ſeruatur, ſed perditur. Nunquam vi tantâ illius corpus afflixerit dominari Amor permiſſus; quin maiorem ſuo ipſe inferre vim animo debeat, Amori coactus obſiſtere. Sed bene ſe habet qualiſcunque iſta demum paternæ prouidentiæ ſeueritas: decet namque athletam fortiſſimum domeſticâ huiuſcemodi concertatione præclarum ſibi illud aſſerere, quo eum, Hetruſca noſtri æui Sibylla, Magdalena Pactia honeſtauit, *Interioris Martyris* nomen.

Iam itaque ſacri præſidis voce decretorij certaminis ſignum inſonuit. Iam eximiorum Par pugilum ad nouam operoſioris pugnæ aleā quidquid ſibi virium, quidquid eſt animorum contendit. Deſinat poſthac Cordubenſis Philoſophus (*a*) intuendum Cœlo Superiſque proponere dimicantem cum Fortunâ Catonem. Deſinat Plinius Naturam in theatrum inducere, immaniſsimarum belluarum (*b*) elephanti, draconiſque, vacaturam congreſſibus. Deſinat Pharſalicus vates Fortunæ oculos addere, vt in Sceuâ, vniuerſum ſuſtinente Pompeium, admirandum maximèque *nouum Par videat concurrere, Bellum, atque Virum* (*c*). Ecce ſpectaculum, fortunæ, naturęque viribus maius, &, ſi quod

a Sen. de Prouid. c. 2.

b Lib. 8. Hiſt. Nat. c. 12. *Quam quis aliam tanta diſcordia cauſam attulerit, niſi Naturam, ſpectaculum ſibi ac Paria componentem?*

c Luc. L. 6.

ſi quod aliud, Dei oculis planè dignìſsimum, cæleſtis Adoleſcens cæleſti cum Amore compoſitus. O quàm nunc ego Antiſtitis Hipponenſis (a) facundiam, omnique viuidiorem quà Coo, quà Heraclienſi penicillo mihi ſtylum optauerim, ad hanc exprimendam, ponendamque ſub oculos oratorijs coloribus pugnam, multò illà tum nobiliorem, tum difficilem magis, quam ipſi olim, meliorem ad frugem reſipiſcenti, veteres Amicæ ſuę, voluptates, obtulerant: cùm apprehensâ *carnea*, vt is loquitur, *veſtis* laciniâ, Siccine, ingrate, nos fugis? repeterent. Siccine tam ſuauis intimæque neceſsitudinis Fœdus abrumpis? Siccine amœnitates, riſus, lepores, hæc, illa genij blandimenta, quidquid iucundum & delectabile ſenſibus, leuiſsimus deſertor, relinquis? Et poteris contubernio tam dulci vel diem abſtinere? Et poteris tibi vitam arbitrari vitalem, omnibus iam vitæ oblectamentis ſuperſtes? O te verè ferreum, o non Auguſtinum, ſi poteris! Pudet enimuero, Auditores, nequiſsimas improbarum voces ſirenum hic vlteriùs referre. Sed multò adhuc iuſtiùs puderet ab earum flexanimà vi argumentum in rem noſtram deſumere. Quid enim comparandum meritò habeant impura, execranda, mortifera effrontium Veneficarum lenocinia cum integerrimis, quas Amor diuinus obiectare conſueuit, cæleſtium voluptatum illecebris? Exhibebat ſeſe Aloyſio blandiſsimus animorum oppugnator, non oculis procacem ad riſum compoſitis, ſed pulcherrimo illo, æterniſque gaudijs & gratijs florentiſſimo vultu, quo intuentium

a S. Aug. l. 8. Conf. c. 11.

libertati beatæ quaſi neceſſitatis vincula impo- nit. Figebat telis præcordia, non Stygio medicatis veneno, ſed ſyderum rore, vitaliq ue dulcedine imbutis. Intentabat faces, non craſſas & fumeas, ſed in diuini cordis arà ſuccenſas, perque intimos pectoris ſinus liquidiſſimum ignem admirabili tum efficacitate, tum ſuauitate ſpargentes. Vnguenta ſpirabat, nequaquam fæculenta, & eu nida, ſed e ſuperni Veris fragrantiſſimo halitu ad immortale. animorum oblectamentum coalita. Pro magicis demum philtris, poculiſque Circæis, miſcebat illius nectaris guſtus, quo Cælitum conuiuia redundant, quo ipſemet paſcitur Deus. Cuius igitur fortitudinis, quàmque inſignis conſtantiæ res erat, tam intimam vim ſubmouere, tam blanda inuitamenta repellere, tam rapacibus lenocinijs obſiſtere? Difficillimum cuiuis fuiſſet, vt vt ſacris hiſce delicijs minimè aſſueto. Quid Aloyſio, cui nihil æquè ſapiebat, nihil, vel a pueritiæ primordijs, familiarius erat ac notius? Recordamini Tantalum illum, æterno apud Inferos damnatum a poetis ieiunio, proximos ori cibos, & latices, quàm auido, tam irrito niſu, captantem. Non ſegniùs Adoleſcens ſanctiſſimus diuina anhelabat: non feruidà minùs immortalis illius pabuli fame, ſitique vrebatur. Quale igitur, quàmque effictis vel in Tartaro cruciatibus ſimile cogebatur ſupplicium perferre, appoſitis tam ſuauibus epulis inhiantia iuſſus labra abſtinere? Proponite vobis ob oculos ſinceritatis leuiſſimæ flammulam, toto naturæ ſuę impetu ad Mundi Conuexa euolantem. Nihilò remiſſiori conatu ad intimam cum Deo coniunctionem Aloyſij cor ferebatur. Quanta igitur inferenda vis animo erat; vt, ſuorum a ſcopo votorum iam proximus, conceptos im-

petus frangeret:nec modò exoptatiſsimam ipſe ad metam non tenderet; ſed ab eâ inſuper vltro ſibi occurrente refugeret? Quò vni totus Amori diuino vacaret; quæcunque in primis iucunda & cordi proxima homines habent, ampliſsimas opes, florentiſsimum principatum, ſubiectorum obſequia, Parētum Amplexus, voluptates, Commoda, honores, libertatem, ipſum ſe quoque, voluntarius ac libens, dimiſerat. Quid itaque? Impendioſiſsimo hoc fructu repentè priuari, nonne idem videbatur; ac ſeipſum rurſus amittere: tantòque grauiori iacturâ, quantò ipſe pretioſior iam erat, ex quo ſe ſe primò abdicauerat?

Sed, tot licet oppugnaretur vndecunque tentamentis atque artibus: tot blandiſsima licet tormenta & dulces machinę vrgerent: quamquam animus ipſe, inſolitâ vi labefactus, cæleſtem ad Æmulum plùs quàm mediâ Sui parte transfugerat; perſtitit tamen in pugnandi Propoſito, erectus, inuictus, immotus: cęloque plaudente, & vel ipſo ad inſolentis adeo conſtantię miraculum attonito Amore, nudus, nec integer, tam intimum, tam inſuperabilem, tot opibus copijſque pollentem Aduerſarium ſuſtinuit, repreſſit, auertit: nobile illud ſibi elogium promeritus, quo Herculis, in Oetæo rogo morientis, Suprema cothurnatus poeta (a) exornauit: *Et flamma victa eſt. Vrere ardentem putes*. Intentatas ſiquidem animo, & arcanis defixas præcordijs, charitatis ardentiſſimæ faces tam conſtanti inuictoque tolerauit rigore; vt non ipſe quidem torreri, ſed vrere potiùs videretur ſe vrentem Amorem.

a Senec in Herc. Oet. Act. 5.

Tantæ decus victoriæ parū ego videar agnoſcere, ſi cum vllis vel ſummorum ducum adoreis & palmis comparandum exiſtimem. Iampridem eas omnes Aloyſius exceſſerat, cùm ambitioni luxuriæque iugum impoſuit: queis immanibus belluis ipſe etiam tot monſtrorum domitor Hercules laniandum ſe præbuit: queis teterrimis hoſtibus ipſi quoque Alexander, & Cęſar, belli fulmina, terrarumque victores, ſuccubuerunt. Hoc poſtremo certamine, plus aliquid auſus, non aliorum ſolummodo bellatorum triumphos, ſed & ſuæ omnia virtutis monumenta obſcurauit: inuictumque cæleſti Aduerſario ſe præbens, quod vnum ſummæ laudis ad faſtigium ſupererat, ſecum ipſe de gloriâ contendit, ſeipſo quoque fortior apparuit. Cæteras ſiquidem, vt vt maximè inſignes, victorias, præterquam quòd de ignobiliori hoſte, non ſolus, *nec ſine Theſeo*, (a) ſed, Amore adiuuante, retulerat. Hic ipſum Amorem, conſuetis nudatus auxilijs, & vel a mediâ Sui parte relictus proditusque, deuicit. Quòd ſi nullis bellicorum tot facinorum titulis parem ſibi Ageſilaus rex fortiſſimus gloriam promeruit; (b) ac ſingulari eâ moderatione, qua legitimis patriorum magiſtratuum imperijs eſt obſecutus: dum a Perſico bello, vbi tanta palmarum illi ſeges, iuſſus diſcedere; felicibus retro ſignis conuerſis, maluit ſe Patriæ, quàm ſibi Aſiam ſubijcere: ſi ex omnibus victricium copiarum ſuarum bellatoribus vnum maximè Cyrus laudauit centurionem Chryſantam, (c) eò quia, cum Aſsyrijs fortiſſimè dimicans, inten-

a Plut. in Vitâ Theſei.
b Id. in eius Vitâ.
c Xenoph. l. 4. de Inſtit. Cyri.

tentum iam hoſtili iugulo enſem, ſimul ac receptui buccina ceciniſſet, ab ictu inhibuerat, non pugnam inuadere alacrior, quàm promptus victoriam dimittere; quidni compreſſos & ego charitatis flagrantiſſimæ impetus, reductamque ab exercitatione pulcherrimà in obſequium Moderatoris ſui mentem tranſactis quibuſque Aloyſij victorijs, & rebus laudabiliter geſtis anteferam? Quidnì, quod, Cæſaris victoris clementiam deprædicans, cunctabundè & ſubtimidè Romanus Orator (a) vix protulit; clarà ego voce, apertiſque, vt dicitur, tibijs de Aloyſio proclamem, ipſam ab eo ſuperatam fuiſſe victoriam? Ita profectò. Alibi hoſtes; hìc ipſam ſuperauit victoriam: dum Amore fortior fuit, quo vno priores illius omnes continebantur victoriæ. Immo non ſuos modò vniuerſos, ſed quoſcunque præterea, toto æuo, & quibuſuis ex hoſtibus, ſacer Amor duxit triumphos hac eàdem moderatione, qua ipſi leges impoſuit, viſus eſt ſuperaſſe. Quemadmodum enim collectas omnes a Magno Pompeio tot per orbem terrarum, tamque varijs certaminibus palmas, vnico in Pharſali ictu, felix Æmuli magnitudine, Cæſar demeſſuit; ſic diuini quæque Amoris ornamenta & præconia in id tantùm valuere; vt illuſtriori Aloyſius potiretur victorià, totamque Aduerſarij potentiſſimi gloriam vnius in triumphi decus colligeret.

Age igitur, congruentem iam habemus decempedam, qua immenſas herois noſtri laudes metiri fas ſit: habemus manubias, quibus dignum maximoque par victori excitetur trophæum. Memini Paulum Æmilium, rege Perſo

a Cic. in Or, Pro M. Marc.

ſeo deuicto, (*a*) marmoreas columnas, quas ſuis ille triumphalibus ſtatuis exornandas parauerat, in eiuſdem profligati monumenta vertiſſe: vt hoſtilis magnificentiæ Apparatus Victoris pompam augeret: quæque ſuarum virium Inſignia, non expectato communis Martis arbitrio, Macedonicus faſtus erexerat; conculcantis Macedoniam ſubactam Romani ducis ſimulacrum altiùs extollerent. Quid ſupereſt, niſi vt hinc mihi exemplum deſumam, ſtatuendi Aloyſio ſingularis cuiuſdam, & quale tantam deceat victoriam, trophæi: præcipuis quibuſque deuicti Aduerſarij monumentis ac titulis in ipſius triumphantis ſplendorem gloriamque traductis? Placet enimuero conſilium. Iamque adeo vniuerſa, quæ vbiuis terrarum ac gentium præſtantiſſimus ille animorum expugnator fortitudinis ſuæ indicia reliquit, immenſiſſimam rerum atque Decorum ſeriem, obeliſcos, arcus, columnas, pyramides, ijſque ſuperaddita Virginum lilia, Bellatorum palmas, comminuta in regum manibus ſceptra, reuulſa e Cæſarum frontibus diademata, euerſa ſolia, laceros faſces, ſordidatas trabeas, reſperſa cinere Flammea, nuptiales faces extinctas, quidquid in ſummâ ſpoliorum cæleſtis vnquam Amor e Mortalibus retulit, in vnius longè pulcherrimi ornatiſsimique trophæi ſpeciem compono. Neque verò de inſcriptionis formulâ diu eſt ambigendum. Præbet hanc Septimius Seuerus: qui, Amicis hortantibus, vt, quod Romæ ſupererat, Peſcennij ſui hoſtis elogiũ eradi iuberet; (*b*) Meliora verò, inquit. Quid enim,

a Liu. lib. 45.

b Spartian in Vita Peſc. *Si talis fuit; ſciant omnes, qualem vicerimus. Si talis non fuit; putent omnes, talem viciſſe. Immo ſic ſit, quia fuit talis.*

enim, niſi noſtræ decus victoriæ, in laudibus Aduerſarij delerem? Maneant immo illæ potiùs in æternam Poſterorum memoriam, perennique ſint omnibus teſtimonio, talem eum fuiſſe, quem vicimus. Nihil in rem noſtram opportunum & accommodum magis. Splendidiſſimo igitur illi maximoque trophæo, quod ex congeſtis ſacri Amoris Inſignibus ad noſtri ornamentum Victoris extruximus, hæc omnibus par elogijs apponatur epigraphe: *Talem ſciant omnes fuiſſe, quem heros fortiſſimus Aloyſius Gonzaga deuicit.*

Sanctitas prodigioſior, quia nullis conſpicua prodigijs. (a)

ORATIO VIII.

De Beato Aloyſio Gonzaga.

NEminem Veſtrum eſſe mihi perſuadeo, Auditores, qui, Aloyſij Gonzagæ ſingularia Promerita curioſiùs perpendens, arcanum Diuinæ Prouidentiæ conſilium, in Adoleſcentis præclariſſimi vità nullis rite illuſtrandâ patentium miraculorum Inſignibus, cum grauiſſimo viro, Roberto Cardinali Bellarmino, magnopere demiratus non ſit: quique adeo, ſi quod etiam huiuſmodi de ornatiſſimo Iuuene afferri poſſet exemplum; nouam id genus excellentis illius gloriæ appendicem non ſecundiſſimis auribus, libentique cumprimis animo exciperet. Quapropter, non minimâ ineundæ apud vos gratiæ, paratique meæ orationi fauoris cum ſpe, ad dicendum hodie progredior. Niſi enim concepta me fallit opinio; in Herois laudatiſſimi vitâ prodigium inueniſse mihi videor, & nemini dubium, & omnibus vniuerſis, quæ populari admiratione celebrantur, nobilius. At quod illud tandem, dicetis: cùm, plurima, & memoratiſſima inter Aloyſij viuentis præconia, nihil tale fama vnquam iactauerit: & quantamcunque in terris adhuc agens ille

a Animaduerte, Lector, non omnia in Aloyſio viuente hìc negari miracula, ſed ea ſolùm, quæ, manifeſta, & vulgò patentia, ſanctimoniæ illi famam per ſe poſſent adiungere.

ille laudem obtinuit, quæ ampliſsima certè fuit, vnius ſibi comparauerit Merito & ſuffragatione virtutis. Nolo expectationem veſtram diutiùs ſuſpendere. Hæc ipſa, quàm modò attigiſtis, nil portentis illuſtribus debens ſanctitatis abſolutiſsimæ gloria portentum illud maximum eſt, quod mihi celebrandum in præſentia ſuſcepi. Quemadmodum etenim triumphorum omnium inſtar Octauiano Cæſari fuit, eò dignitatis creuiſſe; vt, teſte Romanarum rerum ſcriptore, (a) *triumphos iam poſſet contemnere*; ſic omnibus, quæ in Aloyſij commendationem recenſeri poſſent, miraculis non coæquandum ſolummodo, ſed anteferendum etiam exiſtimo, talem eum nudæ virtutis excellentiâ fuiſſe; vt miraculorum aſcititijs fulgoribus ad nominis claritatem minimè eguerit. Adeſte igitur animis, dum paradoxum, iuxta verum, ac mirum, pro ingenij mei tenuitate, planum facere inſtituo, Sanctitatem videlicet, eò prodigioſam vel maximè, quia nullis in vulgus conſpicuam manifeſtis prodigijs.

Neque verò in rationum ad id conducentium quæſitu laborandum diu habeo. En commodùm adeſt, ingeniorum nobiliſsimus phœnix, & Africę ſol, Auguſtinus, eiuſdemque celeberrimi ſui argumenti pręſidio confirmationem meam inſtruit; orthodoxæ quo Religionis præſtantiam non ſolidè, quàm acutè, minùs aſſeruit: (b) nullo eam illuſtriori portento approbari potuiſſe demonſtrans; quàm ſi orbis terrarum obſequium, ſine vllà portentorum illuſtrium commendatione, extorſiſſet. Cùm enim liquidiſsimè pateat, ſummà quadam, & pror-

a Flor. l. 4. c. 12.
b Vide lib. 22. de Ciu. Dei c. 5.

& prorſus diuinâ vi opus fuiſſe, humanum vt genus, veteribus ſuis, quà vitijs, quà erroribus repentè abdicatis, in nouam, abſtruſiſsimæ iuxta fidei, ſeueriſsimæque inſtitutionis, religionem volens iuraret: cùmque, omnium confeſſione, admirabiliorem & prodigioſam magis ea virtus ſe probet, quæ maximi res negotij ac moliminis minore inſtrumentorum apparatu ad effectum perducit; reuocari certè in dubium non poteſt, Chriſtiana quin Fides, vel Numinis Dexteram, in felici adeo de orbe terrarum victoriâ, teſtatiſsimis longè miraculis ſibi allaborantem habuerit; vel, ſi refractariam humanarum vim mentium, citra eiuſmodi machinas, ſuæ nudo veritatis aſpectu in obſequium coegit; hæc ipſa efficacitas, pro externis quibuſque miraculis plenè adeo ſibi vna ſufficiens, multò præſtantiſsimum fuerit, & Diuinę, ſi quod vnquam, tribuendum virtuti miraculum.

Age iam, conficientiſſimum id pro Religionis mirabilitate argumentum ad illam, de qua nobis eſt quæſtio, Aloyſij virtutem traducite. Falſi Notam mihi inuri non abnuo, niſi totum hic quoque firmitatis ſuæ robur manifeſtò obtinuerit. Nam quæ tandem, in propagando per orbem terrarum Sui cultu, catholicæ Veritati negotium faceſſebant difficultates tam arduæ; vt, eas ſine prodigiorum auxilio explanaſſe, luculentius haberi poſſit & maius victricis Fidei prodigium? Duæ, ni fallor, dicetis: Præceptorum aſperitas ſcilicet, humanam grauiſſimè imbecillitatem deterrens; & myſteriorum obſcuritas, naturalem vſquequaque intelligentiam effugiens. Quid porro? Si affinia eiuſdemque prorſus generis impedimenta & Aloyſij ſanctimoniæ, ad inſignem ſibi gloriam pa-

ran-

randam, obſtitiſſe monſtrauero; an non, iis ſuperatis, tantò & ipſa præclarius miraculi ſpecimen edidiſſe cenſebitur; quantò ab eximiis perpetrandis miraculis longiùs abfuerit? Cenſebitur planè: idque adeo ne cui dubium ſuperſit; ad congenerem illam ſimilium vtrobique difficultatum rationem, totius controuerſiæ vbi Summa, oſtendendam, diſputationis me ordo iam aggredi iubet.

Et primò nunquam ierim inficias, duriſſimos legum auſteritati peruadendos obices eſſe, quò plenam apud vulgus commendationem inueniat. Sed neque illud, credo, quiſpiam negauerit, eamdem multitudinis gratiam nihilò faciliùs & proniùs a morum ſanctitate obtineri. Si enim, arctioris diſciplinæ comprobandis Præceptis, tardiſſimum ideo, maximèque difficilem humanus ſe animus præbet; quia, quantum iis legitimæ poteſtatis tribuerit; tantum ſibimetipſi de aſſuetà viuendi libertate ſe ſubducere intelligit: nequaquam auſuro innatis iam cupiditatibus fræna permittere, quin truci confeſtim, horridæque maieſtatis pleniſſimo vultu minabunda lex adſit, ſuppliciorumque terroribus, & obiurgationum aculeis ad aſperrima quæque reſtitantem compellat; quidni eamdem omnino ab illuſtribus quoque exemplis ſeruitutem formidet, parique adeo cum naturæ obluctantis reniſu in eorum venerationem, fauoremque conſentiat? Num leniùs humanam hęc ſegnitiem extimulant? Num ſeueræ ad virtutis labores remiſſiùs impellunt? Immo etiam vehementiùs atque acriùs. Legum ſiquidem imperiis admiſſis, non deſunt vel tum callidæ artes, quibus redarguenti conſcientiæ palpum obtrudant, & ſuam ſibi ignauiam Mortales excuſent: iam corporis animique fragilitatem ne-

nequitiæ obtendentes ; iam comitum numero ad improbitatis patrocinium abuſi : perinde quaſi vel nullum , vel naturæ potiùs , quàm voluntatis , ſit crimen , ea iura imminuere, quibus nequaquam reſpondere humani generis vires , tanta delinquentium multitudo confirmet . At egregiæ virtutis exempla nullum,non ad defenſionem modò , ſed neque ad defenſionis ſpeciem , prauitati locum relinquunt:dum, palàm reuictam, omnique denudatam prætextu, his vrgere quodammodo vocibus , his quaſi conuicijs aſſiduè inſectari videntur . Quid peccandi licentiam ſolatijs inanibus foues ? Quid falſis criminibus naturam , atque legem infamas ? Tune id grauius , quàm humanis pro viribus , iactes , cuius tam multa ſocio paſſim in genere documenta intueris ? Si natiuis implicitam tenebris tuam nondum fœditatem vidiſti ; alienis iam obiectam fulgoribus perſpice. Noſtrà palàm luce detegeris ; noſtræ ream virtutes te peragunt : noſtra tuam in infamiam redundant præconia . Quamdiu fides nobis, atque honor conſtabit ; nulla tibi ſpes veniæ, nullum excuſationis perfugium ſupererit. Quarùm ex increpationum continenti moleſtiâ id ſanè conſequitur ; vt, cùm ſuas ſibi ſordes ita in oculos proijci , ſeque a molli vitiorum complexu duriorem ad viuendi rationem tam violenter traduci , ceu quamdam conſcientię tyrannidem , intolerantiſſimè vulgò homines ferant ; ægerrimè itidem ſuum inducant in animum , eas pro veris recipere , quas, vbi receperint , ſuæ adeo quieti importunas experiuntur, Aliorum virtutes : omneſque propterea ingenij Conatus , ad earum ſeu fidem oppugnandam , ſeu magnitudinem minuendam , conuertant : ſuſpicionibus , & calumnijs vel in ipſa

pe-

pectorum adyta immiſſis, quò nimirum, ceu ſcenicam ad oſtentationem ſubornata, detrectent, quæ in Alijs ſpectanda ſe offerunt Decora: nec plus ibi ſolidæ atque intimæ laudis, ſed maius duntaxat ſimulandi artificium voluntario ſibi errore perſuadeant. Præſertim verò, quòd eiuſmodi ad cauſam momenti quoque plurimum conferunt in nata cuiuslibet ſenſibus anteſtandi cupiditas, & liuoris ingenium, melioribus ſemper infeſtum. Quo duplici fræno quis hominis animum iudicandi a benignitate retardari cohiberique non perſpicit: vereri coactum videlicet, ne ſibi detractum eat, quidquid Alteri exiſtimationis conceſſerit: neu, dum Alios extollit; ſuomet ſe ſe calculo, vel infra eorum dignitatem conſtituat; vel ex principatùs ſaltem faſtigio ęqualitatis in gradum demittat? Quapropter, ſi extraordinario labore conatuque opus erat, Chriſtianam vt Religionem tam dura imperantem humanum vltro genus reciperet; non impari expugnandum fuiſſe videtur molimine, vt Herois quoque noſtri virtutem, ad omnia Chriſtianæ perfectionis officia imperioſiſsimâ exemplorum vi compellentem, pleno idem conſenſu & fauore approbaret.

At deerat hic fortè, quæ altera humanam ibi fidem retardabat conditio, ſacra nempe quædam propoſitæ veritatis obſcuritas, auguſto circumfundentium ſe vndique ineluctabilium vmbrarum velamine amicta, ſui Secreti mirificè tenax, noſtræque comprehenſioni omnino inacceſſa. Non ita opinabitur certè, quiſquis Chriſtianæ hinc religionis, ſanctimoniæ hinc diſcrimen, in ſuâ vel vtcunque obtegendâ, vel defodiendâ penitùs luce, compertum habuerit. Religio nimirum, cùm & certò cognoſci ad ſalu-

Intem, & latere ſimul quadamtenus ad Meritum debeat; tali vtrumque temperamento permiſcet; vt manifeſtam quidem Sui ſpeciem vel inquirentium obtutibus deneget; ſubluſtrem aliquam tamen repoſitæ interiùs veritatis imaginem vel nolentium ob oculos mittat: diurni ſyderis more, quod, humenti nebularum ſyrmate multoties obductum, refractis per caliginoſum obicem radijs, latet ſimul, & lucet. At ſanctimonia, cùm neque alienæ ſalutis ratio qualemcunque Sui notitiam neceſſariò requirat; & priuata Meritorum compendia omnimodam potiùs ignorationem deſiderent; non modò incurioſis ſe mentibus delibandam non ingerit; ſed vel indagantium obſeruationi vſquequaque ſubducit: auriferis montibus ſimilis, quorum interiores diuitias ſqualida & inops ſuperficies diſſimulat: aut grauidis vnionum fœtu conchylijs, quæ, cæleſti, vbi rore ſinus intumuit; ſub profundos natalis elementi receſſus, vix citra naufragium auaritiæ inueniendà, merguntur.

Et verò quis famam fugientem ſtudioſiùs captauit; ac Aloyſius ſe captantem effugit? Quis ignobilitatem & tenebras vehementiùs perhorruit; ac ille exquiſiuit? Illuſtres apprimè titulos naſcendi conditio detulerat: generoſo reiecit faſtidio. Splendidiſſima Infantem exceperat domus: in religioſæ humilitatis ſe latebras abdidit. Rectorem expetebant populi: Priuatus maluit ſubeſſe. Nequidquam pronum ad honores ampliſſimos iter, Aula, oſtendiſti. Nequidquam auitorum totam Decorum ſeriem fugientis ob oculos, Superbia, explicaſti. Nequidquam, magnanimo heroi placitura, tuis omnibus te ornamentis, Gloria, compſiſti. Vlyſſem aliquando eſtis nactæ, ſirenes nequiſſimæ,

qui

qui fallaces blanditias, eò tenaciori, quò intimo magis, nexu reuinctus, eluderet: quique vel terreſtrium coniugio Dearum, & promiſſæ inter homines immortalitati ſanctioris Ithacę (a) Secretum præferret. Niſi tam eſſetis amentes, quàm veſtros a rectâ mente ſectatores conſueuiſtis deducere; iam tum licebat vobis prę̄ſcire, quàm ſuperuacuum, in iuuene hoc aggrediendo, inſumeretis laborem; cùm eum, vel a puero, vel in opum florentiſſimarum complexu, adeo Euangelicæ demiſsionis ſtudioſum vidiſtis; vt vulgari, & lacero ſæpe veſtitu ſuæ ſtirpis fortunæque ſplendorem gauderet obnubere. Iam tum vos penitùs victas, publicèque triumphatas deduxerat; cùm, in equeſtri primariorum iuuenum pompà, popularis famę rumuſculos, & faſtùs principalis tumorem gregario ignobilique iumento protriuit.

Quamquam quid ego cum aulà, eiuſque familiaribus aſſeclis, ſuperbià, atque glorià, tamquam hic præſentibus, loquor: quarum vt non modò conſpectui, ſed vel memoriæ ſe Aloyſius ſubduceret; ad religioſa hæc latibula fugam arripuit? Vos potiùs ſanctiſsimi Iuuenis demiſsionem teſtamini, auguſtæ huiuſce vrbis compita, quæ toties mendicabuli more, Victum oſtiatim conquirens, circumijt, generoſiore multò ambitu, quàm veteres olim Candidati centuriarum ſuffragia conſularibus in comitijs prenſarent. Vos noſocomia, quorum abiectiſsimas ſordes non in laboris loco, vt Augiæ ſtabulum Hercules, ſed in delicijs potiùs animique oblectamentis ducebat. Vos Gregoriani collegij parietes, a quibus aranearum

(a) Homer. l. 5 Odyſ.

rum labores deijcere natâ illâ moderandis populis Dextrâ conſueuerat: eò etiam libentiùs puluerulentæ futilique texturæ diſsipandæ operam nauans; quòd humanæ vanitati, eâ velut in imagine,ſe illudere arbitrabatur. Neque vobis etiam peramplus maximèque ſpectabilis promendi locus teſtimonij deeſſet, philoſophicæ exedræ, quas publicum, vt in Academijs fieri ſolet, ingenij profectùſque ſui ſpecimen præbens, per artificioſam ſimulationem inſcitiæ ad altiorem ſapientiam erudire in animo habebat, niſi præclariſsimæ huic voluntati Maiorum intercesſiſſet authoritas.

Quòd ſi, ex laudum humanarum faſtidio,fortunæ ſuæ, naturæque ornamenta, inferioris licet ordinis Decora, tot artibus tegere, tantoque diſsimulationis ingenio laborauit ſupprimere; qua illum ſedulitate arbitramur connisſum, vt ſanctimoniæ præſtantiam, decus ſupremum, decus immortale & Diuinum, Aliorum notitię publicęque admirationi ſurriperet? Nolite,Auditores, Aloyſij contemplationem ijs ſolummodo ſpatijs circumſcriptam putare, quibus publicas templorum ad aras producitur. Quis nocturnas tot horas, arcano in conclaui eidem impenſas, quis illius tunc animi ardorem, quis ignita ſuſpiria, quis vberrimas lacrymas, quis rerum diuinarum liquidiſsimos ſenſus, tenebris omnia profundoque ſilentio inuoluta, commemoret? Nolite in veſtium nitore atque cultu, quibus ex Parentum imperio illius pueritia inſignitur, nimiùm morari. Indumenta hæc Aloyſij cenſetis? Velamenta rectiùs dixeritis occultæ, in excruciando calcaribus ferreis corpuſculo,ſeueritatis. Nihil eſt, cur ea vos decipiat, quæ blandiùs excipere quieſcentem videtur, ſumptuoſi cubilis molli-

tics.

ties. Scenicam prorſus, viſuique oblectando, quàm artubus delicatè fouendis, opportuniorem noſcetis, ſi anguloſa lignorum fragmenta, clandeſtinum ad ſomni ſupplicium inter plumas recondita, perſcrutari libuerit. Ne ipſius quidem ſimulatis honeſtiſsimè vocibus fucum vobis fieri ſinatjs, dum ſuę vix credibilis abſtinentię rigorem in curam, neceſsitatemque valetudinis transfert. Quaſi verò vllius medicinę ſeueritas arctiſsimo duarum vnciarum Dimenſo quotidianum hominis Victum definiat: aut ſolicitam admodum tuendę valetudinis curam ſit exiſtimandus geſsiſſe, qui, perpetuum & inexpiabile ſui corporis odium profeſſus, cruentis verberationibus, aliàque omne genus aſperitate in tantum illius vires attriuerat; vt, tot vitam in ſupplicijs duraſſe, miraculo quàm ſimillimum fuerit. Omnia hęc, omnia profectò artificioſa quędam inuolucra fuerunt, latere affectantis, & debitos ſibi honores pià fraude eludentis, virtutis. Vt meritiſsimò ſanè pręnobilis illa Hetruſci Carmeli heroina, Magdalena de Pactijs, ad contemplandam Aloyſij iam immortalitate fruentis, quantam ſuo nunquam opinatu ſibi finxerat, gloriam aliquando propiùs admiſſa, interioris eum Martyris titulo, pręter alia ſummę laudis pręconia, cohoneſtandum putauerit.

An non ergo iuſtiſſima metuendi eſſe ratio videtur, ne ſanctiſſimi Adoleſcentis demiſſio Propoſiti ſui compos euaſerit: neu genus humanum, quod, partim deſidiæ, partim liuoris ſuaſu, vel perſpicuæ Aliorum virtuti prauum adeo æſtimatorem, malignumque ſe iudicem præbet; hanc, & imitatu tam arduam, & tantâ diſſimulatione obſcuratam, libens neſcierit, ſuiſque voluntarijs in latebris negle-

ctam, illaudatam, ingloriam reliquerit? Ita certè non nemo, communi duntaxat ratione æſtimatâ, verebitur. Sed meliora concipere nos animis iubent, diſertiſſimèque importuno huic timori reclamant tot publici plauſus, quibus nomen Aloyſij ſubuectum, triumphantis ritu atque pompâ, venerabundum latè Orbem circumvolat. Reclamat Mántuani Ducis obſequium, apud quem in grauiſſimi certaminis cauſà plùs explorata illius ſanctitas, quàm principum quæuis virorum authoritas, potuit. Reclamant Hiſpanicæ aulæ ſuffragia, cuius vnanimis prædicatio Caſtilionenſem dynaſtam, honorarium ibi ephebum, a communi lutulentæ carnis materiâ vſquequaque ſincerum, & nobilioribus, quàm hominum reliquos, coagmentatum elementis ferebat. Reclamant tum illuſtrium (a) virorum iudicia, eum ab ipſis pueritiæ rudimentis perfectum, diuinæ gratiæ firmiſſimo iure & perpetuâ quaſi poſſeſſione donatum, dignumque, qui etiam tum viuens ſolenni ritu inter Cælites referretur, teſtantium; tum cæteri vulgi, promiſcuæque Mortalium multitudinis veneratio, tam exaggerata, tam profuſa, tam penitùs in animis fixâ; vt ad eum contuendum paſſim affluerent, digito prętereuntem notarent, & Habitum, vultum, inceſſum, viſibilis tamquam Angeli ſpeciem, pari cum admirationis, & iucunditatis ſenſu obſeruarent. Ne ſuis digna virtutibus gloria viuenti Aloyſio defuerit, quiſquam putat verendum? Quęnam, rogo, & quos illa apud homines gloria? Si non grandes natu aulici tantùm, ſed veterani etiam cœnobitę neſcio quam ſibi ab arcanâ pręſentis ipſius reverentiâ maioris in agendo grauitatis, mo-

a Rob. Bellarm & Hieron. Plat.

modeſtię, ac circumſpectionis quaſi neceſſitatem experiebantur imponi? Si, vel extimam eius ſpeciem qui contemplati fuiſſent; occultis quibuſdam igniculis ad rerum cæleſtium amorē inflammari rapique ſe ilico fatebantur?Si, quos in ſanctioris vitæ tyrocinio contubernales habuit, adoleſcentes lectiſſimi non ipſum modò, ceu perfectæ probitatis exemplar, imitandum ſibi proponere; ſed, quæ inſuper tractata ab eo eſſent, religioſis oſculis, tamquam ſacra, venerari conſueuerant;Patrum verò grauiſſimi, quas de diuinis ille rebus protuliſſet, ſententias palàm, vbi res poſceret, non ſecus ac cæleſtis cuiuſdam oraculi Effata, vſurpabant? Si denique, ipſius obitu audito, nemo ferè Domeſticorum fuit, qui Sodalis integerrimi, & communi perſuaſione iam cælo recepti opem non ſibi implorandam putaret: quique aliquod ex rebus ad eumdem ſpectantibus pignus,inæſtimabilis tamquam pretij theſaurum, non magnopere expeteret?

O nominis celebritatem,vel in Thaumaturgo aliquo, qui nouum elementis naturæque ordinem pro imperio dediſſet; nedum in adoleſcente, qui ſolà morum animique præſtantià ſuperior naturà ſit viſus, eximiam! Et dubitabimus etiamnum, inſolitum illud nobiliſſimumque prodigium, Hipponenſis quod præſul Chriſtianæ Religioni aſtruebat, ſi debitum ea ſibi a Mortalibus honoris fideique vectigal abſque vllo prodigiorum choragio extorſiſſet; ſuis penè omnibus lineis integerrimàque repręſentatione hìc expreſſum fateri? Nonne, quemadmodum ibi legum ſeueritas, & myſteriorum obſcuritas; ita hìc ſanctimoniæ tum præſtantia imitationem deterrens, tum diſſimulatio notitiam eludens publico aſſenſui fauorique

conſequendo maximopere obſtabant? Nonne; quo armorum paratu ad oppoſitas perrumpendas difficultates in arenam ibi veritas deſcendiſſet, nuda videlicet, natiuoque ſuo tantùm, pro externis quibuſque adiumentis, robore inſtructa; eumdem & virtus in hoc ſuo tantæ molis certamine adhibuit, inermis omnino, ac plenè integrèque ſibi vna ſufficiens? Nonne demum, qualem illius tunc admiraremur de orbe terrarum in Sui obſequium coacto victoriam; tali hanc etiam triumpho atque pompà venerantium per ora populorum circumuectam ſuſpicimus? Nihil eſt, nihil prorſus, quod planiſſimæ rei approbationem moretur. Siue impedimentis impedimenta, ſeu præſidijs præſidia, ſeu ſucceſſus conferantur ſucceſſibus; egregiè alijs alia reſpondent: idem vtraque in admirabilitatis genus conueniunt: omnibuſque æſtimatis, certo tandem certius relinquitur, Aloyſij Sanctimoniam præſtantiſſimum ideo fuiſſe miraculum, communium quia nihil miraculorum patrauerit: id nimirum ſine illis per ſe ſe aſſecutam, quod non niſi eorum conatu ac præſidio obtineri conſueuit. Quemadmodum enim, paucioribus inſtrumentis ad Effectum operis vti, excellentioris potentiæ ſpecimen eſt; ſic nullis, diuinæ.

Quid iam igitur Labienum mihi Seneca (*a*) oratorem miratur, citra quæuis ſeu fortunæ, ſeu gratiæ ſubſidia, immo & maxima per vtriuſque impedimenta, *confitentibus magis hominibus, quàm volentibus, ad famam ingenij* prouectum? Quid Attici ſui lucubrationes Tullius (*b*) commendat, ceu *ornatas hoc ipſo, quòd orna-*

men-

a L. 5. Controu. in Præf.
b L. 2. Epiſt. ad Att. Ep. 1.

menta neglexerant, fœminarum ritu, *ideo bene, quia nihil oleant, olentium*? Quid Romanæ pater hiſtoriæ (*a*) Quintium Capitolinum concelebrat, *vitâ omni conſulariter actâ* promeritum, vt plus penè in ipſo, quàm vel conſulari in honore, authoritatis apud populum foret? Quid Curtium Rufum, tamquam ſuâ, non Parentum, claritate ſpectabilem, *ex ſe* ipſo *natum* Tiberius Imperator (*b*) deprædicat? Omnibus ego ijs Adoleſcentem noſtrum opponam, maiores ad gloriam difficultates ſolâ inſignium Meritorum prꝑſtantiâ eluctatum, in ipsâ cæleſtium ornamentorum nuditate ornatiſſimum, prodigialis ſanctimoniæ excellentiâ prodigiorum cuiusquemodi admirabilitatem transgreſſum, nec mortalem ad vitam, ſed perennem ad famam ex ſeipſo prognatum. Non ſolus poſthac iactari(*c*) Marcus ille Sergius merebitur, quòd, vel ſine Dexterâ, duodenas, eoque ampliùs palmas, inuictus pugnator, meſſuerit. Non ſolus Scipio Æmilianus, (*d*) quòd illius, velut ampliorem rerum geſtarum, quàm pediſſequorum Comitatum ducentis, *non mancipia, ſed victoriæ numerarentur*. Non ſoli Mæcenas (*e*) atque Salluſtius, quòd, ſenatoriam infra dignitatem contenti ſubſiſtere, *multos* tamen *Triumphalium, conſulariumque potentiâ anteiuerint*. Non ſolus Athenienſis Socrates,quòd nullius profeſſione ſcientiæ ſapientiſſimi cognomentum ſit nactus (*f*). In Aloyſij quoque vitâ

 illu-

a Liu. L. 4.
b Tac. L. 11. Ann. c. 21.
c Pl L. 7. Hiſt. Nat. c. 28.
d Val Max L 4. c. 3.
e Tac. L. 3 Ann. c. 30.
f Plat. in Apol. Socr.

illuſtres coronæ palmæque ſuis abſque inſtrumentis relatæ ſpectantur: famulantium oſtentorum loco heroicorum ſeries facinorum numerandam ſe obijcit : ſplendidiſſimi nominis fulgor externis Inſignibus tituliſque nil debet : & virtus ob id ipſum portentoſiſſima agnoſcitur ; quòd nullo perilluſtri portento confeſſa unquā apud vulgus ſe fuerit. Nimirum, ceu in regno naturæ, quàmuis ordinaria lex ſit, ne fructus niſi prauijs naſcantur ex floribus ; nonnullas tamen arbores cernimus, (*a*) quæ horum partione ad illorum prouentum nil egeant ; ſic in cæleſtis item Gratiæ Republicâ, communi quàmuis more videatur ſancitum, ne præſtantis ad gloriæ vbertatem ſanctimonia perueniat, ni admirandis priùs oſtentis floruerit ; aliquam tamen exiſtere ſanctimoniam decebat, quæ, his etiam ſine floribus, eos ſibi fructus inſolitâ & ſingulari fœcunditate produceret.

En itaque, quò tua demum, Aloyſi, reciderunt modeſtiſſima vota. Optabas tu quidem, obſcurus vt vitam atque inglorius traduceres; nullâ eorum Decorum pompâ exornari, ſuos quibus Familiares propalam inſignire Numen conſueuit. Ratæ preces fuerunt. Annuit tuis potiùs Optatis, quàm Meritis, Cælum. Quo tamen euentu? Nempè, vt, ritu topazij, viuidiùs per noctem micantis (*b*), quantò minùs aduentitiâ circumfundebaris luce; tuam tantò pleniùs exprimeres: & celeberrima egregiæ ſanctitatis tuæ tabula, non ſecus atque illa æmulo Protogenis, Apelliſque penicillo exarata (*c*), conſpectius inde foret diuinæ cuiuſdam artis prodigium,

a Pl. L. 16. Hiſt. Nat. c. 25.
b Diod Sic. L. 4.
c Pl. L. 35. Hiſt. Nat. c. 10.

gium, quòd *nihil contineret aliud, quàm* ſubtiliſſimas, & *Viſum effugientes* intimarum *lineas* virtutum, admiranda *inter multorum opera inani ſimilis, & eo ipſo magis alliciens, omnique opere nobilior*. Non prouidè ſatis, da veniam, rationes iniſti. Nimius latendi te ardor in errorem induxit. Si præclaras animi dotes cordi erat obnubere; depoſcenda potiùs videbantur miracula. Hæc diuinæ ſuæ maieſtatis eminenti faſtigio luminibus tuis fortaſſe obſtruxiſſent: aut aliquam ſaltem corriuaſſent ad ſe ſe illius admirationis partem, quæ totam ſe modò vnius in virtutis vectigal profundit: quodque, extimo dignitatis ſuæ cultu abdicando (*a*) Liuius olim Druſus fertur quæſiſſe; nihil in te agnoſcit te ipſo preclarius. Meminiſſe Hipponici poteras, in faciendo magni ſumptùs monumento, (*b*)Polycletum renuentis opificem: cùm vix vllam munificentiæ ſuæ famam eo in opere præuideret futuram, vbi omnium in ſe ora menteſque celeberrimi ſculptoris ingenium conuerteret. Callidior profectò tuà iſtà in ſignis cæleſtibus repudiandis modeſtià Catonis ambitio fuit, ſtatuarum contemptrix (*c*). Neglexit ille viſibilia Sui monumenta, ſplendidioris ex hoc ipſo neglectu prouenturæ ſpe famæ: Tu, vt extima ſanctitatis Inſignia deprecareris, ſubterfugiendæ ſpe famæ es inductus. Si ille tecum errauerat; ſimulacri ſtudioſior fuiſſet: si tu cum illo euentum proſpexeras; cæleſtium ſignorum ſecurior. Conſilij tamen ab eo initi laudem præſcientia diminuit: Propoſiti tui gloriam igno-

a In Lib. de Vir. Illuſtr. Plin. vel Probi. *Nullis Inſignibus vti voluit, ne quid ipſo eſſet inſignius.*
b Ælien. L. 14 c. 16.
c Plut. in Apophth.

ratio cumulauit. Celebrentur quocirca, prout libet, ad Aliorum ſanctitatem publicæ admirationi tradendam, coactæ peregrinari rupes, ſolis curſus medio in ſpatio defixi, tranata ſiccis pedibus maria, exhauſti rediuiuis cadaueribus tumuli. Nouum hoc de te prædicabitur, & maius miraculum, Sanctitas, vel ſine vllis huiuſcemodi miraculis clara.

*

VIK.

Virtus, per ipſam mortis immaturitatem, Reipublicæ vtilior.

ORATIO IX.

De Beato Aloyſio Gonzaga.

ALoyſium Gonzagam, immortalitate digniſſimum iuuenem, neſcio quo rerum eximiarum, penè dixerim, fato, oſtenſum humano generi veriùs, quàm præſtitum, cùm incredibilem apud omnes expectationem Sui commouiſſet; e medio ſpei noſtræ complexu, ſpecioſum veluti quoddam ſomnij lætioris ludibrium, repentè auolaſſe, quoſque terris promiſerat, florentiſſimæ ſuæ indolis fructus ante diem ſepulcro infodiſſe, vetus eſt Plurimorum querela, & longè poſthumus dolor. Quàmuis enim, transgreſſus ille animo ætatem, longioris vitæ Defectum incrementum ſibi fecerit gloriæ: ijſque breuem iuuentam ſignauerit perfectæ ſanctimoniæ veſtigijs, quæ non ipſius nomini tantùm, ſed & noſtræ familiæ vniuerſæ immortali ornamento eſſe poſſint; tamen hæc ipſa velociſſimę virtutis compendia eiuſdem medio in curſu interceptæ deſiderium exaggerant: cùm nihil penè aliud videantur oſtendere, niſi quod numeroſiſſimo populorum, & ducum, vndecunque in Pharſaliam accitorum, conuentu Romæ oſtenſum fuiſſe Poeta (*a*) conqueritur; quantum nempe decus & columen vnius diei

 aleà,

a Lucan. Lib 7 *populoſque, duceſque conſtituit campis per quos tibi, Roma, tuenti oſtendat, quam magna cadas*

aleà, vnius capitis impendio a miſerimus. Vt propterea non deſint, qui ſupremum illius, longèque nobiliſſimum facinus, mortem nimirum, celeriùs, quàm naturę lex poſceret, impendendà ægrotantibus opę accerſitam, multò editum nolint, & tantùm non improbent: quàm ipſi videlicet ad laudis æternitatem magnificum; tam nobis & Reipublicæ ad abſolutionem conceptæ ſingularis ſpei perincommodum. Me verò, generoſiſſimi conſilij momenta omnia ſedulo cogitatu expendentem, vſque adeò communis querimonia non tangit; vt in Aloyſio nihil amem impenſiùs, quàm Aloyſij morientis iacturam: parumque ideo habeam, cum antiquo Deciorum laudatore(*a*) in dubium vocare, *vtiliùsne* tantum heroem Societas *habuerit*, *an amiſerit:* ſed illius vitam vel propterea fructuoſiorem contendam fuiſſe; quòd celeriùs perierit: non aliud, ſi quo repręſentanda mihi ſymbolo foret, eiuſdem propoſiturus exemplar; quàm cryſtallinum artis ſubtiliſſimæ opus, Pliniano(*b*) cum lemmate, *Ipſa facit fragilitas pretium*. Ne tamen, dum erepti Boni iacturam, præcipuis gratulationibus proſequor; in eiuſdem vel neglecti, vel parciùs æquo ęſtimati, quo nullum a me crimen longiùs abeſt, inuidiam conijciar; ita orationem inſtituam; vt ex ipſo potiſſimùm vitę ineſtimabilis pretio mortis gratia & vtilitas conſtet: tantòque Aloyſij pręcipitem Obitum importunum minùs accidiſſe publicis rationibus liqueat; quantò, quę illum vita pręceſſit, largiores in poſterum fructus, plenioremque Sui Vſum promiſerat.

Nullum eſſe inflammandis ad virtutem Mortali-

a Val. Max. l. 5. c. 6.
b Plin. in Procem. lib. 33.

talibus exhortationis genus validius; quàm ipſa ſit virtus illuſtribus in exemplis propoſita, rationis, experientięque raro alibi fidelior conſenſus perſpicuè apertèque demonſtrat. Si certiſſimę rei veritatem intueri adhuc planiùs quis cupit; Pompeianos en milites videat, fortiùs in Africà fugientes; quàm in Pharſalià pugnaſſent. Vnde, quęſo, tantum victis conſtantię; vt ad bellum reparandum grauiora ipſo bello pericula exhaurire non dubitent? Quis, Serpentum per loca, per aquarum penuriam, per cęli torridiſſimos ęſtus, per ſabuli fluctuantis procellas, tot mortium ſecuros, tot oblitos diſcriminum rapit? Num Romanę aliquis pater facundię, oraculum fori, ſuadęque vox, Tullius? Immo, quouis Tullio diſertiùs perorans, quia ex imperatore anteſignanus & vexillifer, Cato. Illius (*a*) veſtigijs potiùs, quàm verbis, trahentibus, per quidquid metuendi infeſtique, pro Cęſare militans, obijciat natura, nedum alacres ſubſequuntur; vel pręire ſuum ductorem contendunt. Par & Macedonum, quia ſimili reuocata incitamento, ſtrenuitas: cùm, aſſiduis fatigati victorijs, totque hoſtium per omnem latè Aſiam exquirendorum pertæſi, iam patrios ad focos reſpicerent, iam cum otio colloquerentur, iam, conuerſis penè retro vexillis, non ab inuicto magis duce, quàm a fortunâ ſuâ gloriàque defectionem pararent. Vbi tunc Alexandro, quas didicerat puer, rhetorum artes, & Ariſtoteles eloquentię magiſter? Actũ erat propemodũ de orbis terrarum imperio. Quos ambitioni effuſiſſimæ terminos definire Natura nequiuerat; tumultuantis

a Luc. lib. 9. *Cogit tantos tolerare labores ſumma Ducis virtus.*

tis fòrs vulgi conſpiratio fixiſset; si resides priſtinęque alacritatis oblitos verbis, quàm exemplo, caſtigandos duxiſset. Simul ipſum, dimiſso Bucephalo peditem, per infeſta hyeme loca turmas præcedere, neſciaſque vinci ſolibus niues anhelitu reſoluentem viderunt; ſtimulos (*a*) omnibus pudor admouit: miteſcere protinus visi peregrinę militię labores: rediere animis conſuetus belli ardor, & ſacramenti religio, & certamen virtutis. Totidem Alexandros dixiſses. Nemo non plures Mundos popoſcit: nemo non sibi dux, & duce penè ipſo promptior fuit.

Neque id mirum profectò. Nam & (*b*) *ſegniùs irritant animos demiſſa per aurem, quàm quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus*; & nequidquam honeſtatis præſtantiam diſerta proponit oratio, ni eamdem humanis quoque expoſitam viribus congenerum exemplorum euidentia probauerit. Adde, quòd perſuadere palàm aggreſſos non ſine quodam præiudicio, inſidiarumque, & affectati animorum noſtrorum imperij formidine audimus: paratique propterea, & ad reſiſtendum toto pectore intenti, nihil accuratiùs cauemus; quàm ne obnoxiam ijs videamur libertatem feciſſe, quorum Dicto audientes fuerimus: cùm e contrario illuſtrium authores facinorum, ceu de ſuà magis laude, quàm de noſtrarum expugnatione voluntatum, ſolicitos, nedum aduerſis ſuſpicionibus vacui, ſed favore inſuper & admiratione occupati ſpectemus: quin illa ipſa, quæ oratorum ſuaſiones contumaciùs repellit, naturalis anteſtandi cupiditas ad horum imitationem nos maximè impel-

a Curt. lib. 5. *Erubuerunt non ſequi*.
b Horat. de Arte Poet.

impellat, tamquam eà ſolùm ratione inferiores futuros, ſi præeuntium conſectari veſtigia abnuerimus. Quo ex æmulationis ingenitæ ſenſu nouum adhuc argumentum conficitur, cur Factis expreſſa, quàm verbis inculcata, virtus efficacitatis ad perſuadendum plus habeat. Cùm enim hanc audientes externo duntaxat alienæ facundiæ vrgeamur impulſu; illam verò ſpectantes domeſtico noſtræ mentis inſtinctu excitemur, ipſiquemet adeo ſuadendi partes & oratoris munus apud nos obeamus; dubitari certè non poteſt, quin, quantò vnuſquiſque ſibi proniùs, quàm alteri, obſequitur; tantò etiam validiùs perſpectis exemplis, quàm auditis moueatur hortatibus. Sed cur pluribus in confeſſà re immorer? Tam fieri citra inſigne miraculum nequit, futilibus vt ex verbis actuoſæ procreentur virtutes; quàm enormi abſque monſtro nunquam Orbis aſpexit, geſtatrices fulminum aquilas ex columbis imbellibus naſci. Nonniſi per ſimiles Partus cauſarum propagatur fœcunditas: &, quidquid alterum gignit, ſeipſum regenerat. Vnius ſupremi authoris atque opificis eſt, immotum mouere. Quamquam & ipſe ſuis nunquam promptiores imperijs nos habuit; quàm, cùm ad præſtanda, quæ imperauerat, noſtrorum conſors laborum, deſcendit: Bethlemioque e præſepi, ſuis potiùs Factis, quàm Lactantij (a) verbis, vnicuique Mortalium viſus eſt inclamare: *Prior vado per ea, quæ ſuſtineri non poſſe prætendis. Si præcipientem ſequi non potes; ſequere antecedentem.* Tunc, ſi vnquam, licuit agnoſcere, quantò duci faciliùs, quàm impelli, ſe homines ſinant: quantòque authoritatis plus habeant deſcriptæ

a Le-

a Lib. 4. Diuin. Inſtit. c. 24.

a Legislatore in ſuis moribus, quàm mortuis in tabulis, leges. Traxerunt volentes exempla, quos Edicta contumaciores reddiderant. Libuit imitari peractum, quod exequi præceptum piguerat: nec grauis videri vltra potuit ſubiectio, poſtquam nihil aliud obſequi erat; quàm ſequi: nihil aliud imperata facere; quâm imperanti ſe ſimilem fingere.

Longiùs me, quàm fortaſſe par erat, materiæ amplitudo prouexit: non abs re tamen, nec præter Inſtituti mei fines. Cùm enim & abunde hinc conſtiterit, nullo æquè dicendi conatu, ac illuſtrium exemplorum obiectu, perſuaderi virtutem; & fateri aliunde cogamur, nullum eſſe in omni vitá nobilius, quàm, quod oppetendá fortiter morte præbetur, exemplum; manifeſtum iam vtique ac nemini dubium relinquitur, quantùmcunque Aloyſius ſuperſtes, ſeu linguà, ſeu conſilio, humanis rationibus commodare potuerit; tantùmdem, nec largo ſine fœnore, tunc profuiſſe, cùm Ægrorum ſolatijs lectiſſimam æui partem, creſcenteſque adhuc annos, pretioſa charitatis euangelicæ victima, impendit. Vt, quiſquis profectò nobiliſſimam illam, totque fructibus grauidam, ſupremæ virtutis de ſupremá neceſſitate victoriam reſpexerit; multò ibi poſſit juſtiùs, quàm ſi celebrem alteram contempletur Perſarum & Macedonum pugnam; (a) *Sæculi prope modum res in vnum diem cumulatas* mirari.

Nam, quid tandem hoc vno facinore, ad excutiendum degeneris ignauiæ veternum, ad ſublimes heroicoſque infundendos animis ſenſus, & fortiſſima quæque inſpiranda conſilia, efficacius?

a Curt. lib. 4.

cius? Quantum hinc ſtrenuitatis & virium religioſo cuique bellatori ſuggeritur, ut nihil difficultatum, nihil perhorreſcat diſcriminum, ſed in omnem rite aleam paratus, Suique vtiliter prodigus, lucri genus exiſtimet, quem naturæ ſpiritum debet, reddidiſſe virtuti? Quiſquamne ſummæ laudi minùs per ætatem ſe idoneum cauſetur; cùm Aloyſium, ſub ipſa florentis æui primordia, ſecurum atque hilarem occurrere ſuis fatis aſpiciat? Quiſquamne diuturniorem ſui capitis Vſum Reipublicæ neceſſarium iactauerit; cùm tam raræ ſpei atque indolis iuuenem videat, omnem deſtinationum ſublimium, rerumque laudabiliter gerendarum, & totius venturi temporis ſeriem ſibi vltro abſcidiſſe? An non, vbi quiſpiam in vitæ ſanctioris curriculo, ſeu genij blandientis ſuaſu, ſeu minantis periculi metu, ſeu quauis demum naturæ imbecillitate obtorpuerit, hoc tam forti monumento propoſito, excitari ſe protinus ad omiſſi Decoris ſtudium, integrari ſibi animos, ſuccreſcere alacritatem, nouo robore pectus impleri perſentiet? Non illi ſtatim Aloyſius occurret, omni prorſus Sui curâ ſepoſitâ, & Aliorum in ſalutem traductâ, perculſos in triuijs Ægros, vitali penè ſpiritu exhauſtos, pædore macieque coopertos, teterrimi halitùs contagione vitandos, ad noſocomia deferens, fomentis ſalubribus corpora, verborum benignitate animos recreans, extergendis ſpirantium cadauerum ſordibus, concinnandis lectulis, ingerendis in ora cibis manus, operam, totum ſe commodans, fraternâ omnes charitate complexus, incredibili ſedulitate omnibus præſens, quidquid facto ſit Vſus, promptiſſimè occupans, quò res cunque poſcat, primus accurrens, nulla demum ſibi reliqua erga miſeros

fae-

faciens, quæ vel a Propinquorum fidiſſimis, vel a ſerunlorum poſtremis repræſentari eo in cardine poſſunt officia, & grande tot laborum ſtrenuique adeo miniſterij pretium exiſtimans, quam in venas inde traxit, peſtiferam luem? O mortis contemptum, quo nulla ſtimulandæ ſocordiæ, provocandæque generoſitati eſſe poſſit validior, toto licet artis, toto ingenij apparatu ſuccincta, flexanimæ orationis facundia! O inuictæ fortitudinis ſpecimen, quantocunque redimi dignum vlterioris ætatis diſpendio, & cui conuenientiùs, quàm antiqui ſculptoris monumento, ſubſcribat poſteritas, *Opus præclarum, etiamſi totius vitæ fuiſſet* (a)! Vtpote quod omnia vnum emolumenta atque Decora, ex integro vel Neſtorei æui curſu ſperanda, ne quid dicam amplius, æquauerit, mirumque ceu quoddam in compendium collecta exhibuerit: non aliter, quàm vniuerſum (b) naturæ decus in gemmis coarctatum ſpectari, gemmarumque penè omnium colores in opalo vno permiſtos fulgere, naturalis ſcriptor hiſtoriæ teſtatur. (c)

Et querimur adhuc, non extremos vſque ad Canos productam fuiſſe Adoleſcentis præſtantiſſimi vitam, quò diutiùs ac pleniùs ſuperſtitis authoritate, vſu, voce, ſapientiâ, conſilio inſtitui, excitarique ad virtutem poſſemus: cùm in maturiori eius obitu perpetuam habeamus, & quibuſuis luculentiorem Præceptis, quibuſuis efficaciorem hortatibus integerrimæ diſciplinam virtutis? *Audio quæ facis: nec tantùm intueor, ſed mihi videre ipſis manibus loqui*, attoni-

a Plin. l.36. Hiſt. Nat. c.5. de Scopa.
b Id. in Proœm. lib.37.
c Id. c. 6. eiuſd. lib.

tonitus exclamaſſe Demetrius olim Cynicus fertur, (a) cùm celebrem pantomimum ſcitiſſimo corporis flexu, miràque geſtuum dexteritate ſingulas quaſque propoſitæ ſibi fabulæ partes, ad vocis inuidiam, ſine voce recitantem ſpectaſſet. Videamus, ne indecorum ſit, minorem nos in virtutis operibus enargiam, loquendique facultatem agnoſcere; quàm in hiſtrionis ille motibus ſibi viſam jactaverit. Quin potiùs, animaduerſo, nihil Aloyſium, dum obiret maturiùs, feciſſe; niſi vt docendi perſuadendique partes, geſticulatoris illius ritu, ad manus a linguà, ad actionem ab oratione transferret; eos illi, pro vitæ mimo tam commodè ſcienterque tranſacto, feſtiuos morienti plauſus reddamus, quos ſupremo die a Familiaribus ſuis Auguſtus (b) ſibi Cæſar popoſcit: fateamurque, adeo illum, cùm loqui & viuere deſiit, non deſiſſe aſcetici præceptoris officium peragere; vt huiuſmodi munere tunc vel maximè diſertiſſimèque ſit functus. Quemàdmodum enim crudelis atque impia Romani Oratoris cædes, vel ipſis quatuordecim Philippicis acriùs, contra interfectorem Triumuirum viſa eſt perorare: quia ſcilicet, prout acutus abſeruat epigrammatum ſcriptor, (c) tot, pro vno ſublato, illius accuſatores excinit; quot ſeu Præſentium, ſeu Poſterorum reprehenſuri tam indignum facinus erant; ſic fortis & ſtrenua Chriſtianorum mors heroum multò, quàm eorum quæuis oratio, vehementiùs, contemnendam pro honeſtate eſſe mortem, humanoſque adeo terrores vniuerſos, per-

---

a Lucian. de Saltat.
b Suet. in Octau. c. 99.
c Martial. lib. 5. Epigr. 70.

perſuadet: quia nimirum, ceu initio confirmationis oſtendimus, tot, extincti hortatoris vnius loco, qui ad contemptum eiuſmodi ſemetipſos exhortentur, ſubſtituit; quot præclarà exempli ſui luce ad eiuſdem generoſitatis æmulationem ſpectatores ſuccendit. Quocirca, ſi aduersùs ſuperbam Antonij crudelitatem exclamare ibi licuit Poetæ, *Quid proſunt ſacræ pretioſa ſilentia linguæ? Incipient omnes pro Cicerone loqui*; licebit haud dubiè aduersùs inconſultas nonnullorum querelas & mihi hîc colligere, ſupremum nil nobis obfuiſſe Aloyſij ſilentium, cùm nos omnes ad perorandum diſertiùs, quidquid honeſti & egregij ab eo audire potuiſſemus, impulerit.

Video tamen, & iamdudum præſentio, quid hoc loci obiecturus ſit quiſpiam: heroem videlicet noſtrum, ſi iuſta eſſet nactus ſpatia viuendi; non Monitis præceptionibuſque ſolummodo; ſed multò plùs etiam ſpectatiſſimis quarumcunque virtutum exemplis perutilem humano generi operam nauaturum fuiſſe: quam omnem bene de Republicà merendi materiam mors illi præmatura ſubduxerit. Bene habet, Auditores. Gratiam obijcienti non minimam debeo. Monet me quippe, vt pleniùs abſoluam, quod demonſtraturum me initio recepi: nec vtiliter ſolùm Reipublicæ Aloyſium obijſſe confirmem; ſed tantò etiam vtiliùs; quantò certiorem vlterioris dein vitæ, ſummâ cum laude communique adeo cum ampliſſimo fructu exigendæ, ſpem fecerat.

Age igitur, vt huc denique oratio deueniat; vndenam iſta, rogo, tam ampla integerrimæ fructuoſiſſimæque ſanctitatis, ſuperſtitem illius vitam exornaturæ, ſpes ducitur? Nimirum ex ipſo, dicturum vnumquemque arbitror, ſu-

pe-

perioris ætatis tenore atque curſu, qui, a primis pueritiæ ſtipendijs ad nouiſſimum vſque diem per omnimodam honeſtatem traductus, argumentum ſat locuples, minimèque dubia videbatur promiſſio perquàm ſimilis in reliquum mox tempus virtutis: quemadmodum fax prima exorientis diei, ſi lucis diues, ſi nullis vaporibus ſordeat; liquidum meridiem, & adulti iam Solis defæcatam ſerenitatem portendit. Veriſſimè quidem, ſed nec minùs ad meam propoſitionem appoſitè: cùm palàm hinc fiat, eodem ex principio, vnde maior extendendæ Aloyſij vitæ præſtantia colligitur; maius etiam feſtinatæ illius mortis pretium deduci. Abſolutiſſima ſiquidem traducti pridem æui perfectio conſequentium perfectionem annorum non apertè magis promiſit; quàm abunde penſauit: quantòque luculentiora illius pignora exhibuit; tantò eamdem minùs nobis neceſſariam ad exempli vtilitatem effecit: id viſa nimirum præſtare, ne diuturnioribus conſummatiſſimo iuueni opus fuerit ſpatijs viuendi, quò Chriſtianæ totius ſanctitatis in ſe normam exprimeret, Poſteriſque imitandam relinqueret.

Et verò, fac, noſtra pro illius incolumitate ſecundaſſent Superi vota. Fac, auerſo mortiferæ contagionis diſcrimine, duplicata ipſi ætas fuiſſet, quin & omnes humanæ longæuitatis vltra metas producta. Quamnam ille toto iſto adiecti ſibi temporis ſpatio repræſentare vnam poterat, non ſpectatiſſimis tranſactæ ſuæ vitę in exemplis iamdudũ præmonſtratam, virtutem? Num rerum mortalium fluxæque totius ſortis Contemptum? Quaſi verò aut prorſus cæleſtem ignoremus, quam in aulis, toto vſque animo remotiſſimus, vitam traduxit; aut

æternùm memorabilem fugam, qua ſe inde, perfractis, vbi primùm licuit, honorum compedibus, paternique principatùs ſarcinà excuſsà, haud vnquam rediturus, proripuit. Num paupertatis Euangelicæ ſtudium? Eſto, niſi illam toto lautiſſimæ domûs cenſu redemerat: niſi tam eximiè deinceps coluerat; vt, non modò viliſſima quæque in cubiculo, veſtituque, ac cæterà ſupellectili exquireret: non modò nil priuatim, ſiue ad pietatem, ſiue alios vitæ ad Vſus ſpectantium admitteret rerum; ſed neque ingenij ſui fœtus, theologicarum commentationum libellos, quas nemini, vel Mortalium pauperrimo, facultates Egeſtas ſua inuidet, perfectæ nuditatis ergò, apud ſe retinere voluerit. Num communis diſciplinæ cuſtodiam, & religioſi alacritatem obſequij? Non ita illius præſides ſenſerint, qui nulla deprecantem audierunt imperia. Non ita Cardinalis Roboreus, cui colloquium flagitanti domeſticà ſilentij ſe lege impediri excuſauit. Ne ipſe quidem Aloyſius, rigidiſſimus quamquam Sui cenſor, hac mente eſſe poterit: cùm, ex tanto noſtrarum preſcriptionum & conſuetudinum numero, nullius imminutæ vnquam conſcientià ſe tangi, iam iam moriturus, prodiderit. Quis illo in ſenſibus coercendis ſeuerior? Tam anguſtos intra fines oculorum libertatem concluſerat; vt neque trita familiari vſu loca internoſcere; nec per vias, vt vt maximè celebres, abſque ſocij dirigentis auſpicio certus ingredi poſſet. Quis ſilentij tenacior? Legitima colloquendi extra tempora non taciturnum modò; elinguem prorſus dixiſſes. Adeo certè, vel vbi quid dicto opus eſſet, moderabatur ſermoni; vt, verba numerare, & aurarià quodammodo ſtaterà videretur perpendere

dere: grande facinus, magnoque piandum ratus, ſi vel vnum, præter caſtigatiſſimæ neceſſitatis menſuram, imprudenti excidiſſet. Quis terrenis a curis ſolutior? Conſanguineorum profanum amorem tam funditus ex animo abſciderat; vt neque fratrũ numerũ affirmare noſſet ex tempore; neque, Parentis obitu audito, aliã, niſi piæ gratulationis, vocem emiſerit. Paruane intimę cum Deo conſuetudinis documenta prębuerat: cui maturè adeo ſe addixit; vt, vix loqui per ętatem, atque ingredi potens, in ædium Secreta pias ad preces ſe abderet, eumque ibi tandem, diu alibi fruſtra quæſitum, geniculis humi fixis, ac ſpirante cælum vultu, Familiares deprehenderent: quam in tantum dilexit, cæteriſque potiorem curis omnibus habuit; vt, illi diebus, illi noctibus vacans, non aliam arbitrari ſe oſtenderet vitam, niſi quam nobiliſſimo huic celeſtiquæ ſtudio impendiſſet: ex qua demum tam vberes arcanæ lucis radios, tantam hauriebat liquidiſſimæ voluptatis, & amoris flagrantiſſimi vim; vt, ſenſuum diuinorum vehementiam caducis impar membris atque viribus ferre, per ſuſpiria, per lacrymas, per abruptas ſingultibus voces, cogeretur profundere, vitalis qua ſpiritus iam iam obrui periclitabatur, immenſam plùs nimio, nec anguſtis continendam præcordijs, dulcedinem? Parumne ad voluntariam humilitatem ſuo nobis exemplo præiuerat, ſeu cùm, noſtræ authoratus militiæ, Victum per compita oſtatim exquireret, abiectiſsima quæque munia vltro occuparet, irrogatas præter Meritum pœnas, nullo innocentiæ ſuæ prodito indicio, gratulanter ſubiret; ſeu cùm, in ipſiſmet aulis, vbi nullum niſi ambitionis & pompæ certamen; debita Principi ornamenta reſpue-

pueret: quin & lacero detritoque ſub amictu, contemptiſſimam ibi omnium perſonam, Pauperem ageret? Quidquamne in afflictationibus corporis ad extremam ſeueritatem ſibi addendum reliquerat, quem adeo cibi parcum, pœnarum appetentem, ſanguiniſque fuiſſe prodigum conſtat; vt a pluribus & culpæ datum ſit, quòd tam inclementer ſeipſum habuerit; & vix non miraculo aſcriptum, quòd tam continenti in ſæuitiâ prorogare diu vitam potuerit? Ignorat enimuero Aloyſium, cui obiſſe ille citiùs videtur; quàm ad perfectum omnimodæ Inſtar ſanctimoniæ effingendum ſat foret: qui præmaturum potiùs illius finem, quàm præfeſtinam maturitatem exiſtimat: quique, poſt tot vitæ laudatiſſimæ exempla, quidquam in eo deſiderare iam poteſt, præter illud, effundendâ quod fortiter vitâ nouiſſimæ maximæque laudis ſpecimen proditur. Hanc ille tam eximiam coronidem, ne quid vltra reſtaret, magnæ tandem animæ prodigus, editorum a ſe pridem facinorum cumulo adiunxit: cùmque ad cæteras quaſque virtutes prætuliſſet nobis facem viuendo; ad ſupremum quoque culmen virtutis moriendo præluxit: dignus adeo, cui, ob vniuerſam futuri ſpem temporis tam felici optandoque conſumptam euentu, gloriosiùs, quàm Lucanus (*a*) Pompeio, infinitas ſpes proſequi vetito, acclamemus, *Quid fueris, nunc ſcire licet.*

Nec verò negauerim, expoſitam oculis, perque illuſtria ſe quotidie prodentem facinora ſuperſtitis Aloyſij virtutem præclariſsimas ſuo aſpectu potuiſſe opportunitates ſocijs afferre. Quàmuis enim, cum Tacito, (*b*) haud neſciam,

a Lib. 7.
b Lib. 4. Hiſt. c. 62.

ſciam, *diutiùs durare exempla, quàm mores*; neque illud tamen me latet, inflammandis ad imitationem animis, illuſtrium exemplorum plùs præſentiam valere, quàm memoriam, aut famam. Sed totus hic, quantuſcunque demum ſit, fructus intra paucos duntaxat ſtetiſſet vnius æui, atque loci, Mortales: adeo vt cum ijs minimè comparandus videatur emolumentis & Commodis, quæ ex vnico fortiſsimæ illius mortis exemplo vniuerſas in ætates, ac gentes fluxerunt. Diutiùs præſens, plura coætaneis & conuictoribus ſuis ſanctimoniæ oſtendiſſet exẽpla. Celeriùs occumbens, validiora tum nobis, tum Poſteris omnibus ſanctimoniæ incitamenta reliquit: tantò certè hinc vtilior cenſendus; quantò Bonum, ad vniuerſos communiter pertinens, priuato quouis eſſe Bono diuinius, ipſamet, vel tacente Philoſopho, (a) Rationis Naturæque vox clamat.

Quamquam cur ego ſuis ſaltem comitibus profuturum largiùs fuiſſe ſuperſtitem Aloyſium conceſsi? Ne ijs quidem plus egregij adque laudem incitantis exempli, vitam longiùs ducendo, potuiſſet prębere; quàm, mortem animosè irritando, præbuerit. Cùm enim, ceu veriſsimè Thucidides (b) ſenſit, *virtutem vita ſolùm ſignificet; mors planè declaret*: cùmque nihil, teſte Iuſtino, *difficile* (c) *ſit perſuadere perſuaſis mori*; qui difficillimum, & heroe maximo dignum ſupremæ neceſsitatis prouocandæ ſpecimen dedit; næ is longè pulcherrimam conſummatæ totius honeſtatis in ſe ſe repræſentauit effigiem: quique ſuo ſocijs exemplo, vt vi-

a Ariſt. l. 1. ethic. c 2.
b Lib. 2 in Orat. Periclis.
c Lib. 2.

vitalis quoque ſpiritùs atque lucis vſuram virtuti poſthaberent, perſuaſit; nihil ſanè officij & virtutis, quod non vnà tunc operà iiſdem perſuaderet, reliquit.

Quiſnam igitur tam inſigni, tam heroico, tam vtili exitu interciſam potiùs, quàm congeminatam, Aloyſij vitam fuiſſe arbitretur? Quis illum, generosè adeo Supremis ſuis obuium, non iuſta impleuiſſe æui ſpatia, priùſque, quàm communis opportunitas poſceret, e Medio ſublatum queratur? Audiat, ſi quis eiuſmodi eſt, prudentiſſimas Oratoris Romani (*a*) voces, *neminem parum diu* affirmantis *vixiſſe, qui perfectæ virtutis perfecto functus ſit munere.* Intelleget, præclariſſimum Adoleſcentem diu ſatis vixiſſe, vel ideo, quia citiùs deceſsit: cùm, citiùs decedendo, nihil aliud, quàm perfectum perfectæ virtutis munus impleuerit. Vulgaris craſsique iudicij eſt, *dierum numerum comparare, vbi quæritur pondus:* (*b*) perinde quaſi virtus ignoret, tantum æſtimationis & fructùs iis addere; vt ſinguli, ceu de Tuſculanenſi Varronis otio ſcriptum accepimus, (*c*) *vitæ inſtar* poſsint *putari*: immo, vt eorum quilibet vel integram Plurimorum vitam excedat, quemadmodum Rhodiani coloſsi *digitos pleriſque maiores ſtatuis fuiſſe* (*d*) antiquitatis monumenta teſtantur. Deceſsit ſanè Aloyſius, ſed Solis ritu, innumera ſuum per occaſum ſydera toto cælo accendentis. Interijt, ſed frumento ſimilis, tunc in aruis fœcundo, cùm moritur.

---

a Cic. 1. Tuſcul.
b Plin. l. 7. Hiſt. Nat. c.40.
c Cic. lib 9. Epiſt. Fam. ep. 6. *Hos tuos Tuſculanenſes dies inſtar vitæ eſſe puto.*
d Plin Hiſt. Nat. l. 34. c. 7.

ritur. Cecidit, ſed vt ille ad Maſsiliam, qui hoſtili deiectus incurſu, (*a*) *procubuit, maiorque iacens apparuit, agger.* Nec illi fas ſit, morituro cum Epaminonda, (*b*) tunc ſe natum iactare; cùm adeo glorioſè occubuerit? Nec illius nos exequias eodem triumphi apparatu ducendas putemus, quo mortuum Traianum exercitus ſenatuſque in Vrbem deduxit? (*c*) Feratur enimuero, feratur & ipſe, poſt deuictam potiùs, quàm obitam, mortem, laureato procul eminens curru, inſuetáque tam feſtiui funeris pompâ omnibus monſtret, *fortes viros feliciùs ſepeliri; quàm viuere ignauos.* (*d*) Quòd ſi antiqui ducis in tumulo ea olim legebatur inſcriptio, (*e*) *Hic iacet, cuius ætas multorum annorum fuit; ipſe non plùs annos ſeptem vixit;* herois noſtri monumentum oppoſito prorſus ſignetur elogio, *Hic iacet, cuius ætas paucorum annorum fuit; ipſe tamen æternitatem vixit:* doctus nimirum, animoſis progreſſibus curta ætatis ſpatia meliùs extendere; quàm expoſtulantem de gladij breuitate filium, promoto eam fortiter gradu (*f*) ſupplere, Spartana mater docuerat. Adſit huc Martialis, longos admiraturus per operum emphaſim dies, qui (*g*) *longa* per inanem periſſologiam exploſerat *diſticha*: vtque antea, Decianum cum Catone comparans, dixerat, (*h*) *Nolo virum,*

K *fa-*

---

a Lucan. lib. 3.
b Val. Max l.3.c.2. *Nunc enim Epaminondas naſcitur, quia ſic moritur.*
c Sext. Aurel. in Epit.
d Val Max lib 5. c. 2.
e Xiphil. in Epit. Dion.
f Plut. in Apophth. Lacon.
g Lib. 2. Ep. 77.
h Lib. 1. Ep. 9.

facili redimit qui ſanguine famam : hunc volo, laudari qui ſine morte poteſt ; ſic eum vtrique nunc pręferat, cuius potuerit & vita ſine morte laudari ; & mors ſempiternam ad laudem per ſe vna ſufficere. O vitam, æquè immenſam Meritis, ac temporibus breuem : quęque adeo, cùm vni virtuti ſuam omnem amplitudinem debeat ; tantò, dum concluderetur, amplificata ſit magis ; quantò maiori eſt virtute concluſa ! O mortem, ſi anni, quos terminauit, numerentur ; intempeſtiuam : ſi perpendantur ; omni ex parte maturam : quęque propterea, tantò minus nobis Boni rapuerit ; quantò pretioſiorem ſuſtulit vitam : immo quę Bonum, quod rapere *viſa* eſt, multò cumularit impenſiùs : dum tot atque tantis perfectiſſmæ fructibus vitæ non tam finem impoſuit ; quàm ſupremum complementum adiecit ! Hoc eſt virtutis, cæterarumque diſcrimen rerum. Illæ poſſidentem nil iuuant, niſi quamdiu præſto adſunt : cùmque adeo fructum Suî omnem præſentiâ definiant ; quò iucundiùs oblectabant ſuperſtites ; hòc ęgriùs deſiderantur amiſsæ. Virtutis fructus perpetuus eſt, quemadmodum memoria ſempiterna : vt proinde, cùm vel abſens iuuet exemplo ; generoſam per mortem tantò euadat vtilior ; quantò, dum Suî Aſpectum ſic eripit ; plus exempli relinquit. Faceſsant ergo ab hoc funere voces illæ deſiderij inexplebilis teſtes, quas ſuo a laudatore (*a*) Traianus accepit, *Tolerabilius fuiſſe* tanti Principis *experimentum negari, quàm Vſum*. Denegatam nobis Aloyſij longiorem vſuram nihil æquè, ac præteritum eiuſdem experimentum, tolerabilem reddit.

Fa-

a Plin. in Paneg.

Faceſſat ambiguum quoque illud, quod Septimio de Cæſare ſenatus olim tulit iudicium, (*a*) *Aut non naſci eum debuiſſe; aut non mori.* Iuuenis noſter & naſci iure optimo debuit, vt exemplum fieret peculiaris cuiuſque virtutis; & morte defungi, vt ſpecimen daret conſummatæ honeſtatis. Quin ideo viuere laudabiliter debuit; vt moreretur vtiliter: ideo mori feliciter potuit; quia laudatiſſimè vixerat.

a Spatian. in Vita Seueri.

Poſthuma Virtutis gloriæque abſolutio.

ORATIO X.

De Beato Aloyſio Gonzagà:

Cùm feſto eius die Societatis vniuerſæ, ad nouum eligendum Generalem Præpoſitum, comitia inirentur.

QVod in votis oratores potiſſimùm habent, prçcipuoque ſuarum niſu virium conantur; vt, de re peruulgatà dicturi, argumentum & ſuàpte naturà magnificum, & nouitatis lenocinio fauorabile inueniant; id mihi, repetita iam toties Aloyſij Gonzagæ prçconia reuocare huc in Medium paranti, citra omne ſeu temporis, ſeu laboris impendium, hodiernæ lucis felicitas, gratuito, &, quantùm vix optare auſus eſſem, ſingulari munere, obtrudit: dum ſanctiſſimum Iuuenem in inſolitam quamdam eminentioris dignitatis ſpeciem refingit, nouiſque ignotorum ante Decorum titulis, ad ſplendidam vſque prioris Aloyſij, vt ſic loquar, inuidiam, exaggerat. Neque longo ſanè circuitu poſthumç huius, tamque vberis gloriæ indagandus cuiquam fons eſt. Ex vobis vniuerſa promanat, lectiſſimi P. P., hoc potiſſimùm die ad eam deliberationem coactis, qua nulla eſſe poteſt maioris in rem noſtram publicam momenti atque ponderis: vtpote quæ auſpicatiſſimis veſtris grauiſſimiſque ſuffragijs nouum Ignatio ſucceſſorem decernet, nouum Societati Parentem reſtituet. Tantæ rei patro-

trocinio ad Aloyſium in præſentia delato, ne adeo congeminata illius dignitas eſt, adeo correcta præmaturæ mortis iniquitas, adeo immenſus & quantæcunque amplitudinis capax ipſi orbis recluſus, ſuam vbi virtutem, anguſtioribus olim æui ſpatijs cohibitam, explicare iam omnimodis poſsit; vt neque ipſam, quæ vna defuiſſe antea videbatur, requirendam in eo iam putemus longiorem ætatem: & fateri cogamur, hac demum fauſtiſſimâ luce tum noſtræ de illo expectationi par complementum, tum illius immortalibus Cœptis ſuę vltimum conſummationis acceſſiſſe faſtigium. Quandoquidem igitur priſtina ęternùm memorandi Iuuenis Decora, publicis quà literarum monumentis, quà oratorum præconijs abunde illuſtrata, nobilitatis famæque non indigent; ex hoc,ad pręteritæ laudis Summam nunc primùm adiuncto, recentiſſimæ gloriæ prouentu dicendi materiam mihi libet deſumere, ſepoſitoque in præſens Aloyſio, qualem ſeipſe olim viuens totius ad exemplum honeſtatis formauerat; talem potiùs oſtendere, qualem hodierni iam conuentùs celebritas vniuerſæ ad poſteritatis commendationem effinxit: ſeipſo nimirum, ſuâque veteri famâ multò tantò maiorem, & omnibus ijs Meritorum numeris perfectè abſolutum, quos ne penitùs antea, pro ſuę indolis magnitudine, expleret; mors nimiùm feſtinata interceſſit.

Animaduertitis, puto, Auditores, propoſitum hoc mihi argumentum duas in partes diſtribui: quarum prior immaturę mortis iniuriâ præreptam Aloyſio fuiſſe conſummatę plenitudinem gloriæ; altera verò, quidquid ipſius hactenus defuit, prę̨ſentis diei beneficio cumulari abſoluique pronuntiat. Sed quis ille

ex aduerſo cooritur, meque, quod primo poſueram loco, explicare aggredientem, indignabundus obturbat? Itane verò (exclamantem mihi videor audire) perfectam Aloyſio vltimorum conſummationem progreſſuum mors illa interceperit, quæ, diuinę charitatis feruore accerſita, integerrimę honeſtatis ad cumulum, vel ſola, ſufficeret? Itane Iuuenis ille, qui vel primis veſtigijs extremas, penè dixerim, ſanctimonię metas ſignauerat, & ſingulas quaſque mortalis ęui partes ęternitate Meritorum compleuerat: cuius virtus pueritiam neſciuit, pueritia ſenectutem tranſcendit, ſenectus ętati nil debuit, ætas tot famę ſibi ſęcula adiunxit; immortalium quot Factorum miraculis claruit: Itane, inquam, huiuſmodi heros, cum ipsà propemodum maturitate ſuà natus, in hæc vſque tempora perfectionis ſibi debitæ complementum diſtulerit: nec quantaſcunque ſpes hominum velociſſimis potiùs exceſſerit incrementis & curſibus; quàm vlterioris quidquam profectùs in ſe ſe deſiderandum reliquerit? Ignota videlicet, hoc loci præſertim, & apud religioſam hanc panegyrim ſunt veteranæ illa ſanctitatis prodigia, quibus, ne vltimam ante canitiem interceptus videatur, promeruit: ſeu numerus ineatur; tam multa; vt, quod de bellicis Sicinij Dentati ornamentis antiquus prodidit ſcriptor, (*a*) *legioni, nedum militi*, abunde ſufficiant; ſiue pretium æſtimetur; tam rara; vt, iuxta nobile de Lyſippi ſimulacris elogium, ęternam authori *claritatem dare poſſint vel ſingula*? (*b*) Obliti ergo ſumus principatùs fortunam maiori côten-

a Val. Max l.3.c.2.
b Plin. Hiſt. Nat. l.34.c 7.

tentione euitatam; quàm ventoſis a ſuperbiæ mancipijs quęratur: cùm alieni Hęc ſanguinis pretio illius ſibi ſoleant poſſeſſionem redimere; ſuum Ipſe per ſuſceptas vltro pœnas prodegerit ſanguinem, paterni vt dominatùs abdicationem liceret tranſigere? Defluxit ex animis humanæ illud glorię tam inſuetum, tamque vehemens faſtidium; vt vel ipſam, quatenus cum honore coniunctam, propemodum auerſaretur virtutem, quam non niſi huiuſce dotis gratiâ Mortalium plerique amplectuntur? Admirari tam citò deſijmus virginalis caſtimoniæ nitorem, nullo vnquam pruriginoſi corporis ſenſu, nullo impuri cupidinis halitu tactum, (*a*) ſupernorumque adeo ſpirituum integritati ſimillimum: niſi quòd plus etiam commendationis meretur, non hęreditarium nempe generis decus, & communis patrimonium naturę, ſed ingentibus partum Meritis pręmium, heroicæque priuilegium virtutis? Non menti recurſat affligandi corporis ſtudium, adeo legitimos penè vltra fines progreſſum, & vix non mactatę innocentiæ ſuę reum; vt nullum ad hyperbolem locum laudatori relinquat, excuſandumque ſit potiùs, & orationis artificio eleuandum; quàm exaggeratis pręconijs, & ſuperiectionum licentiâ in maius augendum? Non illam cęleſtium contemplationem rerum, diuinæque charitatis dulcedinem vnquam audiuimus, tam perpetuam, tam ſuauem, tam intimam; vt hoc vno planè ſpiritu ſuſtentari videretur Adoleſcentis ſanctiſſimi vita: cùm tamen immodica eiuſdem contentio vix non vitam pluries extinxerit? Et quem, tam eximijs cohoneſtatum cęli muneribus, nec admirari ſa-

a In Vita B. Aloyſij.

tis dignè Iuuenem poſſumus; eum tu, egregie laudator, Apelleā illā potiùs cum (*a*) Venere ſupremo defraudatum complemento queraris; quàm, vt lunę deficienti mos eſt, (*a*) pleniſſimo ſuę lucis in cumulo extinctum deprędices?

Perturbarer enimuero, Auditores, tam immeritę accuſationis inuidiā, coniectumque prævaricatoris in me crimen moleſtiùs exciperem; ni Aduerſarium viderem ijſdem omnino argumentis oppugnatum propoſitionem meam ire, quibus aſſerendam ipſe mihi, & rite comprobandam ſtatueram. Quid itaque ineam conſilij? Refellam, quę attulit? Lucere ſolem in meridie negauerim. Dicturum plura interpellem? Nihil vſquam meę cauſę opportunius vel ipſe repererim. Age, pergat vt cœpit, ſuſceptumque argumentum, me propitio & fauente, ad calcem peroret. Adero in ſubſidijs paratus, quæque plura iam productis atque plura addi poſſunt, vltro libens declamanti ſubijciam. Addat claritudinem generis, externum apud cęteros decus, ſed ab Aloyſio inter propria vel ideo adoptatum; generoſo quòd neglectu alienum ſibi ſemper putauit. Addat primam ętatem, inter luxum atque opes tam ſeuerè integrèque traductam; vt præter Euripideum *Miſogyni* agnomen, (*c*) quod, vitato fœminarum vel aſpectu, ſibi proprium effecerat; Angelus paſſim, luteæque carnis expers audiret. Addat erga Maiores obſequium, vſque adeo religioſum & efficax; vt illorum imperijs & a Numinis conſuetudine, quo nihil adamabat im-

a Plin. l. 35. Hiſt. Nat. c. 11.
b Id l 2. Hiſt Nat. c. 13. *Luna deficitur, non niſi plena.*
c Athen. lib. 13.

impenſiùs, diuelli; & corpori ſuo, quo nihil penè oderat grauiùs, mitigari potuerit. Addat iuuandorum omni ope Mortalium ardorem tam penitùs in pręcordijs infixum; vt, quandoquidem ſanguinis Barbarorum pro ſalute effundendi non dabatur facultas; animam ſaltem in Ægrorum miniſterijs feſtinarit profundere. Attollat, ſplendidiſsimum veluti Chriſtianę demiſsionis trophæum, obſoletos & ſemilaceros pannos, quibus vel in medio Regiarum faſtu lautiorem diſsimulabat fortunam, iam tum nobilis Euangelicę inopię Candidatus, nec minùs illâ ſpecie dedecoris lętus; quàm eamdem vel inferioris loci alter ſibi erubeſcendam duxiſſet. In arcanos irrumpat eorum conclauium receſſus, quibus etiam tum puer ſuam dilecto cum Numine aſsiduam penitiſsimamque conſuetudinem gaudebat obuoluere: non pleraque tantùm diei tempora ſacro illo in otio traducens; ſed & magnam hybernarum partem noctium eidem ſeminudus impertiens: maiore neſcias mentis interim gaudio, quod frequens a ſenſibus fuga, perpetuique ſuauiſsimarum imbres lacrymarum prodebant; an corporis cruciatu & labore, cui prorſus confecto exhauſtoque ad ducendum vix anhelitum ſupererant vires. Producat in Medium clandeſtina illa (cuiuſnam tandem, niſi ſummę innocentię?) tormenta: conciſa inęqualiter aſſerum fragmina, quibus lectulo inſertis nocturnam ſibi exaſperabat quietem, minùs dulces exiſtimans ſomnos, quos cruciatũm in amplexu non duceret: equina calcaria, quorum diradiatas aculeis prominentibus ſtellulas nudo lateri affixas gerebat, illuſtri documento, ne ipſa quidem amare ſe ſydera, niſi ferirent: nodoſos funes, ferreaſque catenas, quibus ter in ſingulos dies ſuos ar-

artus atterere,immaniterque cruentare conſueverat, obliviosſus cęterà corporis, niſi quatenus ab eo pœnas repeteret. Iubeat huc lances afferri, ad ordinarij colligendam illius victùs menſuram, quæ intra malignum vnciolę pondus ſtetiſſe a Domeſticis traditur: vſque adeo cibatu, quaſi medicamento, vtebatur, ad drachmas & ſcrupulos illius modum examinans: cùm præſcripta e contrario à Medentibus pharmaca,ſorbilium margaritarum inſtar, ſenſim ductimque ad patientię delicias hauriret. Ne multa. Cęlum ipſum, oratori quoad licet, recludat, ſupernæque illas glorię diuitias Auditorum ob oculos explicet, quibus eum Magdalena olim Pactia largè adeo immensèque cumulatum aſpexit; altiſſimo vt ſtupore defixa, nec admirationem ſuam capiens, quę Aloyſij vnius foret, ſummam quodammodo & totam cęleſtis ſibi Regię beatitatem videri, exclamaret.

Quid igitur? Huiuſmodi omnia,idque genus complura poſtquam plenà manu, & quantouis cum verborum ſplendore congeſſerit Decora; nonne illud ipſum denique euincet, quod mea pridem affirmauit oratio, neque debitam hactenus contigiſſe Aloyſio exaggeratę ſuis omnibus numeris amplitudinem glorię; neque ipſum latiſſimę, quam prouocauerat, hominum ſpei paria in totum feciſſe? Euincet haud dubiè. Quot enim ex Iuuenis laudatiſſimi vità emeritę ſanctitatis argumenta protulerit; tot pignora adducet ſupremi illius complementi, quod, magnificis adeo initijs promiſſum, per intempeſtiuam ipſe mortem haud potuit adiungere: vt ſuas nimirum tot pulcherrimas dotes ex eminentiore, ac digno ſe loco vberiùs diffunderet: noſtramque familiam non exemplis duntaxat Priuatus inſtrueret; ſed authoritate

prę-

prçterea & conſilio, primarijs prçfecturis admotus, dirigeret.

Et verò paruamne ille, vel a primo ſanctioris vitç ſuç tyrocinio, perfecti olim moderatoris futuri expectationem commouerat? Non iuſtiſſimç iam tum aderant cauſç, cur ad magiſtratus ſupremos tacitâ omnium prçſenſione deſtinaretur, ſimul ac çtatis tempeſtiuç maturitas ſuum communibus calculis addidiſſet ſuffragium? Vt externa mittantur ſplendidiſſimorûm ornamenta Natalium, ex quibus tamen nemo eſt, quin intelligat, quantum authoritatis pondus regimini accedat: inſitâ Mortalium pectoribus arcanâ quadam erga eos reuerentiâ, hæreditarijs quos Faſcibus & maiorum titulis claros ipſamet genuiſſe ad imperandum videtur Natura: vt hçc, inquam, miſſa penitùs fiant; quàm eximium prudentiç, mirçque pertractandos ad hominum animos dexteritatis olim ſpecimen dederat: cùm excitata, non ſine graui Reipublicç motu, Mantuanum inter Ducem, ac Rodulphum fratrem diſſidia, quibus tollendis nequidquam ſeſe omnia laſſauerant ſiue Amicorum Monita, ſeu principum virorum officia; ipſe vnus momento compoſuit, inque ſubitum otium, & iucundiſſimç tranquillitatis alcedonia conuertit? Quo conatu atque ſtudio curandis ſe impendiſſet Societatis progreſſibus, qui vel paternâ eam domo potiorem habuerat, perque fortunarum principalium repudium, & intimos quoslibet fortiſſimè proculcatos Affectus, ad illius caſtra euolauerat? Quo animi ardore, quàmque vigili curà ſartam tectam tueri domeſticam Inſtituti diſciplinam connifus fuiſſet, cuius vel minutiſſimos apices diligenti adeo cuſtodiâ ſeruauerat; vt, ſi religioſarum, quibus vtimur,

mur, legum omnia prorſus monumenta intercidiſſent; ex illius tamen moribus, ordinariàque viuendi ratione, tamquam e viuo exactiſſimoque quodam tabulario, deſcribi quàm plenißimè poſſent? Reuocate in memoriam ſingulare illud pectoris robur, quo vitæ religioſæ Propoſitum per tot moras atque obices deſtinatum ad finem perduxit, quoque Chriſtianæ omnia ſanctitatis officia, vel inter profanos diſsimillimorum hominum greges, tam ſecurus tamque palàm impleuit; vt ambiguum reliquerit, minùſne ipſe improborum oblocutiones; an improbi magis cenſoriam ipſius in obiurgando libertatem metuerent: facite hæc, inquam, vobis veniant in mentem fortiſſimæ documenta pietatis; num firmitudinem animi, contra quoſuis terrores inuictam, inque perrumpendis rerum atque hominum difficultatibus, neceſſariam apprimè imperium gerenti, conſtantiam deſiderabitis? Si nulla, ceu Sapiētum (*a*) ex Dictis, eque Annaliū monumentis colligimus, ad formandos Reipublicę mores, efficacitatis plus habet, quàm illuſtrium diſciplina exemplorū, eique Moderatori libentiſsimè obtemperant populi, quem obtemperando imitantur; quantùm, rogo, penes Domeſticos illius iubentis valuiſſet authoritas, qui longè ſeueriùs, ac proditum de Lycurgo (*b*) acceperimus; nihil alijs præſcripturus officij erat, cuius non ipſe in ſe pridem documentum

a Homer. Il. 10. Tac. l. 3. An. c. 56. & l. 14. c. 24. Plut. in Apophth. Lac. & in Artoxerſe, & in Dion.

b Iuſtin. L. 3.

tum dediſſet: quemque cum Cyro (*a*) *viuam quamdam* Reipublicæ *legem*, cum Alexandro Seuero (*b*) tacitam morum cenſuram ſubiecti agnouiſſent? An non, prout de Poetis, ſuo Lectores concitantibus motu, a Platone (*c*) obſeruatur, impertitam ſibi diuinitus facillimè in ſocios propagaſſet virtutem: &, ferreo, quem magnes tetigerit, circulo ſimilis, miram illam repræſentaſſet plurium annulorum, arcanam vim primi ſequentium, catenam: (*d*) *vnus vbi ex vno dependet, ſubter adhærens, ex alioque alius lapidis vim vinclaque noſcit: vſque adeo permananter vis perualet eius?* Si legitimo parendi vſu ad bene imperandi ſcientiam perueniri Philoſophus (*e*) docet: ſapienterque ideo Veſtalium ita virginum miniſteria Romani diuiſerant (*f*); primo vt decennio Sacrorum ceremonias addiſcerent, ſecundo exercerent, tum deinde rudioribus traderent; parumne hoc nomine inſtituendis gubernandiſque ſe alijs idoneum noſter Iuuenis finxerat, cui vnum volendi ſemper fuerat agendique principium, Maiorum voluntas? Si, iuxta veriſsimum Romani oratoris (*g*) Effatum, nihil eſt negotij multitudinem continere, multitudinis vbi rector ſe continet, ac ſuis moderari cupiditatibus didicit: optandumque propterea idem alibi (*h*) aiebat, ſimiles vt legibus forent, qui legum excubarent

a Xenoph. L. 8. de Inſtit. Cyr. *Statuebat, optimum Principem viuam legem eſſe.*
b Lampr. in Alex. *Prorſus cenſuram ſuis temporibus de proprijs moribus geſsit*
c In Ion.
d Lucr. L. 6.
e Polit. L. 3. c. 2.
f Dion. Halic. L. 2.
g Lib. 1. ad Qu. Fratr. Ep. 1.
h Lib. 1. de Offic.

barent cuſtodiæ, priuatâ procul vel inuidiâ, vel gratiâ, ſolius æquitatis ponderibus mobiles; an non, cuiuſmodi fingebat voto præſidem, in Aloyſio ſibi oblatum dixiſſet: qui perduelles animi motus eò vſque rationi ſubiecerat; vt, quibus ex quotidiani conuictûs aſſuetudine perſpectiſsimus erat, nullum in eo perturbationis, nullum non compoſiti moderatiſsimique affectûs veſtigium ſe vnquam deprehendiſse affirmarent? Si poſtremò diſciplinæ noſtræ parens atque author Ignatius eximiarum, quas in ſupremo Societatis Præfecto requirit, virtutum principem, & quaſi ſummam ſummarum, intimam cum Deo neceſsitudinem facit, optimè gnarus, quantam ex eo Bonorum omnium fonte tum lucis in animum ſuum affluentiam, tum beneficiorum ac munerum in vniuerſum Reipublicę corpus deriuare plenitudinem poſſit; an non hinc vel præcipuè feliciſsimam illius gubernationem fuiſſe arbitremur futuram, qui Regnatori ſupremo tam intimâ charitate adhęrebat; vt eum vnum ſuis omnibus haberet propoſitum votis, ſtudijs, amoribus, curis: tantâ porrò viciſsim eiuſdem beneuolentiâ vtebatur; vt profeſſus ſit palàm, nullâ de re vel minimâ vnquam preces ei nuncupaſſe; quin ad vota ſucceſſus congrueret?

Negate iam igitur mihi, defuiſſe Aloyſio in hunc diem perfectionis gloriæque ſuę integram Summam, cùm exercendarum ex loco ſe digno, promendarumque tanto Reipublicę Bono tam inſignium facultas virtutum defuerit. Egregię mentes, ac ſummorum capaces haud totas, niſi in maximis paribuſque negotijs, ſe explicant: neque ſatis fatentur, quid ſint, dum minora tractant, quàm poſsint. Quid famâ Scipionis plæclarius, quàmdiu ſtantem ex aduerſo,

ſo dignum ſe Æmulum, Hannibalem, habuit? Tunc ille Imperatorum ſummus, Italiæ ſeruator, columen Patriæ, ſui ſæculi decus. Tunc iuxta Romulum poni, & Statori propemodum Ioui adæquari. Poſtquam, verſis Africæ fatis, debellatoque vltimùm hoſte, omnia infra Victorem Fortuna poſuerat; ipſe etiam infra ſe fuit, tantò priori Scipione minor iam viſus; (a) quantò muneribus ijs, quæ gerebat, ſuperior. Tua quoque, o Hebræorum regum fortiſſime, indoles quàm ſimili penè iacturâ Bethlemios inter greges perierat, niſi te illinc ad tantis paria lacertis certamina Prouidentiæ nutus vocaſſet, e belluarum immanium domitore immaniorum gigantum debellatorem futurum: vt, cui vnius ouilis ſecuritas ſupremum antea facinorum erat; liberatæ mox gentis tuæ, propulſatique a Patriæ ceruicibus Philiſtæi iugi decus accederet. Adeo ad rem plurimùm pertinet, cuiuſmodi eadem virtus in loca atque munera incidat: adeoque non minimâ Sui parte mancam atque debilem feceris, ſi campum, qui ad illius amplitudinem ex æquo reſpondeat, negaueris. Quin igitur ſeipsâ minorem fuiſſe, debitoque capacitati ſuæ complemento fraudatam Aloyſij fateamur virtutem: quæ, priuatâ maior tantò cùm eſſet; priuatam intra ſortem perpetuò ſubſedit? Quin acerbam plùs nimio & ppropperam mortem vocemus, quæ tot illius memoranda facinora, tot noſtras ſpes atque vota in ipſo pubertatis ſuæ flore intercepit? Adeptum ſtatim vltima, & omnia contendere, hominis ſit, nequaquam pro dignitate æſtimantis, quę impendiò maiora in futurum promiſerat. Tantum illi me-

a Liu. L: 38. *Cum ſeneƈtâ res quoque defleruere, nec probitas eſt materia ingenio.*

Meritorum atque Decorum abſuit; quantum ex illius capaciſsimâ indole, ſuo demum in lumine collocatâ, & parem ſibi materiam ſortitâ, expectare potuimus. Si vulgaris tantummodo & translatitię ſanctitatis ediderat ſpecimen; nullum penè non tempus morituro idoneum fuiſſet. Parum in illius Supremis deſideraſſet Reſpublica, quia non multum de ſuperſtite potuiſſet ſperare. Nunc ab Aloyſio Aloyſium repetimus. Parum eſt. Ab Aloyſio Priuato Aloyſium moderatorem repoſcimus. Quantùm Imperantis virtutes Priuati virtutibus Commodo, & dignitate antecellunt; tantò plura ex eo deſideramus; quàm quæ in illo obtinuimus: tantò illius amplitudini plus glorię pręreptum eſt, quàm cōtigerit.

Sed pręreptum ſanè hactenus fuerit: iam & ipſum tandem contingit. Iam optata lux adeſt, interciſas quę laudes abſoluat, pręmaturę mortis crimina emendet, ſublatamque medio in curſu virtutem, ad totum vſquequaque perfectionis ſuæ modum explendum, nouo quodam ceu Natali reſtituat. Mirabilis adeo ſubitique complementi rationem exquiritis? Aperiſſimam & nemini dubiam ſolennis hic Conuentus ſuppeditat, Aloyſij ceu Feſto inchoatus; ſic patrocinio fideique commiſſus. Cùm enim publice rei procuratio totus ille vlterioris Meriti cumulus ſit, quem ętas contractior abſolutiſſimo cetero quin Iuueni eripuit; quotus quiſque non videt, cum grauiſſimæ deliberationis auſpicijs ad ipſum delatis, pleniſſimam ei ſimul facultatem offerri, vt id etiam, quod vnum ſupererat, tum Ordini noſtro deſideratiſsimum tandem munus exhibeat; tum ſuæ veteri gloriæ præſtantiſsimum longè decus adiungat? Quis non intelligit, ad generalia hæc comitia tam in-

ſigni

ſigni cum honore euocato patentiſſimum explicari gerendæ nunc Reipublicæ campum: nihilque iam obſtare, domeſtici quin regiminis curas pro virili ſuſcipiat: &, ſi minùs ſeipſum, at ſimillimum Sui (quod perinde in muneribus valet) Societati Præpoſitum annuens, per Alium iam denique efficiat, quod quia per ſe olim efficere viuens haud potuit; citra perfectam Meritorum integritatem deceſsit? An ille, officiorum omnium tam exequens, ſupremi hanc perſoluendi Reipublicæ Debiti opportunitatem ſecurus atque immunis transmittet? An, tanta, cùm adſit conſummandæ virtutis occaſio; vltimam in eà terminationem ac lineam diutiùs patietur requiri? Fuerit ſingularis modeſtiæ, a publicis abhorruiſſe capeſſendis muneribus; quæ tandem modeſtiæ lex prohibet alieno eadem miniſterio capeſſere? Remiſſum a Cratete philoſopho luculentis facultatibus nuntium, tamquam ſapientię nō vulgaris exemplum, periIluſtri meritàque commendatione antiquitatis monumenta deprædicant. At mari demerſam, quam nummorum inde, Summam, redegerat, adeo non probauit Lactantiùs (a); vt in criminis adhuc loco poſuerit. Quorſum enim inconſulta iſtiusmodi, & vecors profuſio? *Si tantus*, inquit, *eſt pecuniæ Contemptus; fac illam beneficium, fac humanitatem. Potes & pecuniam effugere, & tamen bene collocare.* An ergo non eiuſmodi aliquid de Aloyſio itidem queri poſſet Societas, ſi illius gubernandæ honorem, a quo ſuſcipiendo alieniſsimum ſemper animum geſſit; in alterum nunc, quem eodem digniſsimum nouit, ſuo transferre patrocinio negligeret? Nonne, quod religioſæ demiſsionis olim laudem

a Lib. 3. c. 23.

dem tuliſſet; ſegnioris nunc aduersùs Reipublicæ Commoda voluntatis ſpeciem referret? Sed negligentiæ remiſsiorisque hoc ſtudij piaculum in Iuuene communis longè Boni amantiſsimo nefas eſt ſuſpicari. *Non committam*, aiebat Mæcenas, (*a*) *vt ſeſtertio centies obiurgandus ſim*, ſi tantam videlicet Summam inutili veſanâque largitate prodegerim. Neque ille profectò cõmittet, vt vniuerſis, quas ſuo in animo viuens collegit, heroicarum virtutum obiurgari nunc poſsit diuitijs, ſi totum hunc cenſum perijſse nobis funditus ſinat, nec publicis emolumentis atque vſibus, quà licet, impendat. Quin immo cumulatioris eam gloriæ opportunitatem libens arripiet, quam Suetonio Tranquillo, delatam ſibi præfecturam in Propinquum ſuum transferenti, gratulatus eſt Plinius (*b*): vt demandando nunc alteri, quem ſibi pridem magiſtratum promeruit, geminam ſanè ampliſsimam laudem, eximios honores & promerendi, & donandi, vtram alterà præſtantiorem ambiguum, in ſe ſimul coniungat: & Iſocraticæ gnarus ſententiæ, (*c*) quæ adoptandorum ius Liberùm vicariam orbitatis quaſi ſobolem vocat; per opportunam digniſsimi adoptionem Præpoſiti, ne magnificum communis Parentis nomen, cum quodam ſterilitatis ceu probro, in ſe vltra deſiderandum videatur, proſpiciet.

Parcamus quocirca cum morte iam deinceps iurgari, quòd præcoci nimiùm rapinâ deſtina-

tis

a Apud. Sen. L. 4. de Benef. c 36.

b Lib. 3. Epiſt. 8. *Video, cùm ſit egregium & mereri beneficia, & dare; vtramque te laudem ſimul aſſecuturum, ſi, quod ipſe meruiſti, alijs tribuas.*

c Iſocr. in Æginetico. *Cùm legem hanc orbis parentibus lege Liberùm eſſe intelligatis.*

tis Aloyſium præfecturis ſubduxerit . Hic illam æquiſsimus dies famoſi adeo furti abſoluit inuidiâ : quo nempe inchoata , pro communi renuntiando Parente , ſub Aloyſij auſpicijs comitia alterum gubernaculis publicis , & Societati vniuerſæ, iuxta optato, atque celeri partu, Aloyſium reſtituent . Aloyſium alterum , inquam . Neque enim fas illi , vel opus , quod Auguſto (a) de Cæſare popularis rumor iactauerat , deterioris comparatione ſibi gloriam aſſerere . Quin potiùs , cum Neruâ , Traianum Sui loco adoptante (b) , tunc ſummam ſibi apud Poſteros commendationem atque gloriam parabit ; cùm, in altero ſe ſe ſuam nobis virtutem reſtituens , ne longiùs deſideretur, prouiderit. Nulla etenim perfecta beneficentia , quæ adhuc requiritur : nec , quantum poterat , præſtitit, qui pleniorem Sui fructum poſteritati expetendum reliquit . Quæ meum ego apud animum reputans , non dubium ſanè omen concipio, excuſatum iam iri ſanctiſſimo a Iuuene diutinum, quo hactenus fatigauit nos , Sui deſiderium : comitiorumque adeo hæc Solennia non ſecus animatus intueor ; ac ſi rediuiuum ijs intereſſe Aloyſium viderem : quin hòc etiam plùs gaudens , bonæque ſpei plenus ; quòd, ſi præſens ipſe adforet ; vnus facilè ex omnibus electioni ſuæ reclamaret : nunc verò, ijſdem e cælo aduocatus, ſuo cùprimis veluti prærogatiuæ ſuffragio illius electionem conficiet, in quo exactius Sui Inſtar, configuratamque perfectiùs ſuarum effigiem virtutum agnouerit .

Te igitur in extremâ hac orationis meæ parte compello , Aloyſi , non tam obteſtandi gra-

tiâ ,

a Tac. L. 1. Annal. c. 10.

b Plin in Paneg. *Eo ipſo charus omnibus & deſiderandus , quòd proſpexerat , ne deſideraretur .*

tiâ, vt Societatis ſpes, de te olim conceptas, nunc denuo inſtauratas, ſecundes; quàm gratulandi de ſupremâ coronide, quam cæteris tuis immortalibus Meritis nouum hoc beneficium adijciet. O comitiorum auſpicia prouidentiſſimo planè conſilio tibi hodie commiſſa, qui comitiorum ſuffragijs nihilò minorem, ac ipſe ſis, præſidem tamdiu debuiſti! O diem XI. Kal. Quint., ſuper vetera nomina, recenti nunc titulo tam tibi, cuius gloriam; quàm nobis, quorum vota feſtinat complere, lætiſſimum! Solennibus illùm equidem gaudijs publica iampridem initiauit religio. Iamdiu uenerandus & ſacer in faſtis exoritur, honoratiſſimamque tui Natalis memoriam anniuerſarijs populorum gratulationibus refert. Sed tantò iam auguſtior & ſanctior conſequentium per annorum ſucceſſiones redibit; quantò vberiorem posthac gaudij materiam, geminum ſcilicet, feſtiuiſſimo vtrumque celebrandum triumpho, Natalem tuum exibebit: alterum, qui te, nobis eripiens, ad perennis æui gaudia produxit; alterum, qui, perennis citra vitæ iacturam, humanis poſtliminio commercijs reſtituit. Primus, quàm tuæ tempeſtiuus virtuti; tam publicæ omnium expectationi acerbior eſt viſus; alter, iuxta vtrique maturus & commodus, quò ſeſe diutiùs promiſit; hòc iam repręſentat iucundiùs. Ille prioris tuæ vitæ Promeritis præmium exoluit; hic extremum culmen adiungit. Illum hactenus celebrauimus; hunc hodie celebrare incipimus, nunquam deſinemus. Illi Apelleum (a) *Faciebat* ſublatæ ante diem virtutis deſiderium aſcripſit; huic redditæ ad perfectam conſummationem virtutis gratulatio fauſtiorem apponet epigraphen, *Fecit*.

Exi-

a Plin in Praef. Hiſt. Nat.

Eximiæ felicitatis, heroicæque Fortitudinis Fœdus.

ORATIO XI.

De Beato Stanislao KoſtKâ.

PEriniquum virtuti humanum eſſe genus, quis abnuat? Non eam a nobis duntaxat ignauè repellimus; ſed & in Alijs malignè æſtimamus. Si quid ſingulare, ſi quid heroicum, ſi communi quid modo ſublimius per ſummam laudem patrauit; totum penè, ipſi detractum, caſuum temeritati aſſignamus, ad fortunæ indulgentiam traducimus. Siue enim imbecillitatis humanæ ſit, ex ſuis viribus alienas metiri; ſiue ignorantiæ, vbi mirum quidpiam ſe offerat, ad altiores communeſque cauſas confugere; ſiue deſidiæ, imitari quod piget, voluntatis extra arbitrium ſtatuere; ſeu inuidiæ poſtremò, a quibus obſcuritatem timet, prænimios alienæ gloriæ nitores imminutum ire; in morem iam venit, ceu, magnum illum Africæ domitorem huiuſmodi a calumniâ defendens, (*a*) Polibius conqueritur, vt ampliſſima quæque facinora, felicitas, non virtus, vocentur, quique illa geſſerunt, fortunatorũ potiùs hominum famam, quàm fortium heroum laudem inueniant: perinde quaſi, quieſcentibus ijs, (quod, ad Timothei (*b*) Athenienſium Imperatoris præclariſſimi eleuandam gloriam, Aduerſarij pinxerunt) Fortuna rem totam conficiat, ſollertique

a Lib. 10.
b Plut. in Vita Syllę.

que collectas aucupio victorias, triumphos, adoreas in dormientium, ac vix tale aliquid vel ſomniantium gremium effundat. Quocirca timendum haud iniuria videtur, ne iudicandi hæc iniquitas propoſitum quoque hodierna luce tum publicæ gratulationi, tum meæ laudationi Adoleſcentem ſanctiſſimum, Stanislaum KoſtKam; perſtringat: neu quis, admiranda & eximia diuinæ in eum largitatis argumenta ſuſpiciens, vniuerſum tam illuſtris ſanctimoniæ curriculum, cæleſti Gratiâ aurigante, ab eo penè ignaro & ſopito arbitretur confectum, nullaſque hic propemodum fortitudinis partes fuiſſe, omnes felicitatis. Sed tantam heroi noſtro veræ laudis Summam decerpi, quoad per me licet, Auditores, non patiar. Nam, veluti contumacis & ſuperbi videtur, felicitatem reſpuere; ſic ignaui & inglorij, citra vllam fortitudinis curam, in eà conquieſcere: cùm (a) *genus, & proauos, & quæ non fecimus ipſi*, vix noſtrorum ea in cenſu Bonorum Sapientes connumerent. Quemadmodum igitur Iugurthini belli Scriptor (b) Lucio Cornelio Syllæ, quàmuis *omnium ante ciuilem victoriam feliciſſimo, nunquam fortunam ſuper induſtriam fuiſſe* teſtatur, *multoſque dubitauiſſe, fortior eſſet, an felicior*, cenſendus: vtque Plutarchus, (c) geſtarum a Timoleone Corinthio rerum eximiam hinc magnitudinem, hinc facilitatem admirans, non Fortunæ illas quidem, fortunatæ ſed veriùs aſſignandas ſibi duxit virtuti; ſic & ipſe in præſentia felicem cumprimis fuiſſe, ac ſingulari vſum Numinis indulgentià Staniſ-laum

a Ouid. l. 13. metam.
b Salluſt. in Bel. Iugurth.
c In eius Vita.

laum libens aſſentior: ſed illius quantęcunque felicitati parem fortitudinis gloriam, parem laborum tolerantiam acceſſiſſe contendo. Quod orationis hodiernæ argumentum pleniſſimè approbaturum me vobis confido, ſi nullum recenſeri in eo poſſe collati diuinitus extraordinarij chariſmatis genus oſtendam, cui ſanctiſſimus Iuuenis non egregio conatu & pręſtantiâ virtutis reſponderit. Adeo vt, iuxta ſplendidum, vnâque tantùm voce immutatâ conuenientiſſimè huc faciens, Alexandri præconium, (a) *Si magnum Fortuna illum fecit; maius hoc ſit, quòd eâ rectè vſus eſt: quantòque Fortunam plùs laudes; tantò magis extollas virtutem, quæ dignum ſuâ fecit Fortunâ.*

Ad tria, quantùm animo conſequor, capita reuocari poſſe omnis videtur, quam impensè adeo miramur, ſupremi erga Stanislaum authoris benignitas: ad ea videlicet munera, quibus illum vel pietatis in ſtudio confirmauit; vel ad religioſam ſui Filij ſodalitatem acciuit; vel in orbis theatro admirandum atque celebrem reddidit. Num ergo ex ijs vllum licebit proferre, cuius ſingulari pręſtantiæ ſingularium quoque ex aduerſo Meritorum amplitudo nequeat opponi? Vt ſingula eodem, quo allata ſunt, ordine ad æſtimationem vocentur; Viennam tantisper animo & cogitatione proficiſci ne pigeat. En hic vobis Stanislaum, lethali dum ex morbo decumbit, immaniſſimi ſub effigie Moloſſi Tartareo ab hoſte appetitum. Quid tam difficili rerum in cardine agat imbecillus, rudis, inualidus puer? Domeſticorum auxilium inclamet? Diſcriminis Præſentia moram non patitur. Fugiat? Nempe morbo perculſus. Obſiſtat?

a Plut. Orat. 2. De Fortuna, vel Virt. Alex.

ſiſtat? Vbi arma? Vbi vires? Heu, procumbet aſpectu, ne dicam impetu: occidet afflatu, ne dicam incurſu: & in pugnâ tam impari prȩda priùs erit, quàm miles. Nequidquam, Auditores, timemus. Athletæ fortiſſimo certamen tam arduum obtulit Deus, non vt victus procumberet, ſed illuſtriorem vt triumphum inualidus referret atque ȩger. Dum nos trepidamus, periclitantis vicem ſoliciti; iam ille formidoloſiſſimum hoſtem ſalutari Crucis ſigno repulſum, turpiterque profligatum abegit Mira quidem victoria: maiori tamen proſequendum admiratione illius corollarium. Quod enim hoc fuiſſe arbitramini? Serta, torques, armillas, deque hoc genere alia ſeu gymnicorum, ſeu militarium certaminum victoribus conſtituta ornamenta? Apage tam vulgares adoreas. Ipſummet diuini corporis ferculum, immortalitatis beatiſſimȩ pignus, Angelorum miniſterio delatum feliciſſimus pugil accepit. Vllane, quæſo, fingi poteſt ſors lætior? Vllumne tam effuſæ largitati præmium æquari? Scio noſtrȩ Reparatorem ſalutis, cùm, quadragenario debilitatus ieiunio, inferni hoſtis tentamenta atque fraudes ter diuinis repuliſſet oraculis; prodigioſà immortalibus ab ephebis recreatum annonà fuiſſe. Vtriuſque ſed pabuli pretium libeat conferre. Tantò illuſtriori declarata argumento cȩleſtis erga victorem Stanislaum Parentis munificentia apparebit; quantò corporeis quibuslibet dapibus diuina mentis nutricatio antecellit. Ne multis. Mortali Chriſtus, quem ipſemet condiderat, cibo famem ſedauit: ipſomet ſuo ac rerum omnium Conditore in cibum oblato Stanislaus mentem expleuit.

Enimuero ſi hunc ſibi terminum in illius pietate

tate cæleſtibus fouendâ delicijs diuina conſtituiſſet benignitas; quis adhuc eximiam illius felicitatem dubitaret fateri? Sed vel hiſce circumſcribi ſpatioſiſſimis limitibus noluit: vlteriùs ſe adhuc, vlteriùſque inexplebili quodam benemerendi ardore porrexit: non in ſuis parcior largiendis diuitijs; quàm natura in procreandis metallis, quorum *vbicunque vna inuenta ſit vena; non procul inueniri aliam*, Plinius (*a*) affirmat. Immenſum ægrotanti per beatas cæli mentes donum ſubmiſerat; anguſtiori tamen orbe concluſum, & triticeâ quaſi nube inuolutum. Maxima dederat; ſed, quid, & quantum donaret, videri palàm noluerat. Age, remoueatur ſiparium: obiectę mortalibus oculis nubes diffugiant, & Corporati Numinis auguſtiſsima ſpecies non Cęlitum iam in manu, ſed in ipſo Virgineę Parentis complexu intuendam ſe præbeat. Intuendam verò, inquam? Exaggeratum id quidem inſoliti monumentum amoris, & vel ſupra humanæ ſpei audaciam fuiſſet. Infra tamen liberalitatem Deiparæ fuit: quæ, cęleſtem Infantulum ſuo gremio in iacentis cubile demittens, liberam feliciſsimo Iuueni eum propiùs compellandi, perque intimæ familiaritatis officia amplectēdi facultatem indulſit. Quid orator indiſertus hic loquar: aut qua dicendi amplitudine & copiâ tantæ rei dignitatem adæquare me poſſe confidam? Vos potiùs, fortunatiſsimi illius conclauis parietes, loquimini. Vos, tam inſueti admiratores atque teſtes prodigij, quę tunc gaudiorum diluuies Ægrotantis inūdauerit ſenſus, quæ charitatis flagrantiſsimæ incendia pectus cōſumpſerint, quæ vtrinque caſtiſsimorum

L am-

a Plin l.33. Hiſt.Nat. c.6.

amplexuum, ac verborum blanditiæ interceſſe-rint, nobis exponite.

Sed nequidquam mutos ædium parietes ad renarrandas Stanislai delicias prouocamus: qui, ſi ſenſum atque os, vt loqui poſſent, haberent; alia multò crebriora heroicæ ipſius tolerantię prędicarent miracula. Vidimus, dicerent, Stanislaum, & an noſtra in illius artus durities migraſſet, diu dubitauimus: vidimu certè indigniſsimis, ac planè hoſtilibus modis a nimiùm quàm diſsimili fratre laceſsitum, vexatum, exercitum. Quibus ille tentamentis atque artibus integerrimi fratris ſanctimoniam viuendique ſeueritatem non oppugnauit? Exprobrare degenerem indolem, ignauiæ modeſtiam arguere, imputare ſuperſtitioni pietatem, tonare iurgijs, contumelijs ſæuire, verborum inclementiæ Factorum atrocitatem adiungere, Inſontem humi proſternere, & quà pugnis, quà calcibus, extremę quaſi Notę mancipium, contundere. Biennium (quis credat?) experimenti duriſsimi genus obtinuit. Cùm interim fortiſſimus Chriſti pugil, ſcopulis atque rupibus firmior, tot inter domeſticæ tyrannidis furias, nedum nihil quidquam de inſtitutâ viuendi ratione mutauerit, nedum nullâ iracundię nubeculâ pacatiſsimam ſiue oris infuſcarit, ſiue animi ſerenitatem; ſed, quæ croci eſt natura, vt *calcari & atteri gaudeat*, ſuamque per iniurias fertilitatem congeminet; ad nouum ex ijs oppugnationibus robur, & maiora ſanctitatis incrementa ſit viſus proficere. Hæc, & multò ſanè, quàm mihi ſunt commemorata, diſertiùs Viennenſis illa domus referret. Quę ta-

a Plin. l.21. Hiſt. Nat. c. 6. *Gaudet calcari & atteri pereundoque meliùs prouenit.*

tamen, vel ſic obiter ieiunèque propoſita, palàm omnibus faciunt, num ſanctimoniæ curriculum prono ſemper Stanislaus atque facili tramite, ſacras inter delicias, diuinęque beneuolentiæ Complexus, penè dormiens tranſegerit; an per grauiſſimas ſæpius difficultates, per impeditiſſimas ſalebras, per aſperrimos obices ſummâ vi maximoque conatu ſibi iter recluſerit: num, velut (*a*) Hipponico, hebeti quidem ignauoque homini, ſed non aſpernando geometræ, ſuam illam oſcitanti doctrinam in os inuolaſſe Arceſilaus dictitabat; ſic & ſua ipſi glorię amplitudo nil agenti ſit in ſinum delapſa; an, magnis veriùs prouocata Meritis, conuenientiſſimum in eo ſibi locum delegerit: num demum, quæ hactenus collata ipſi a Deo vidimus, dignitatis rariſſimæ munera delicatæ materni cuiuſdam amoris blanditiæ mereantur vocari; an fortiſſimo potiùs bellatori opportuna immanium certaminum vel exhauſtorum præmia, vel exhauriendorum ſolatia: *iniquum exiſtimante cælo, prout Romanus de Lepido etiam tum puero Senatus putauit, nondum bonori tempeſtiuum videri, qui virtuti jam maturus fuiſſet.* (*b*)

Quid alia ſecundo a nobis loco propoſita largitatis diuinæ argumenta, quibus Adoleſcens ſanctiſſimus, non communem ſolummodo ad vitam eximiâ cum virtute ducendam, impenſè eſt adiutus; ſed ad religioſam præterea ſub auguſtiſſimo Ieſu nomine profitendam militiam delectus, inuitatus, perductus? Nonne & ipſa, cum inſigni ærumnarum laborumque perpeſſione coniuncta, nobiliſsimum illud, quod de-

a Laert. in Vita Arceſil.
b Val. Max. l 3. c. 1.

demonſtrare aggreſsi ſumus, eximiæ felicitatis, heroicęque fortitudinis Fœdus pro virili parte conſtituunt? Reuocate in memoriam, vt ſanctiſsima Numinis Parens, graui morbo laborantem dignata peramanter inuiſere, poſt alias effuſiſsimæ charitatis ſignificationes, de ineundâ etiam quamprimùm Filij ſui Societate ſub digreſſum monuerit. Quid eo vocatu benignius? Intuemini, vt in itinere, quod ad exequenda Deiparæ conſilia arripuerat, Euchariſtici panis deſiderio languentem oblata iam denuo cæleſtium Geniorum manu immortalis eſca reficiat. Quid huiuſmodi commeatu pretioſius & lautius? Proponite vobis ob oculos, vt fratris currum atque equos, fugitiuo imminentes, & iam iam deprehenſuros, occulta vis repentè in veſtigio defigat, progrediendique omnino impotes, attonitis ad rei nouitatem vectoribus, & nequidquam fremente aurigâ, retrorſum prædâ vacuos conuertat. Quid hoc opportunius auxilio? Quamquam nil mirum, amicâ & ſingulari adeo Numinis prouidentiâ ſacram Ieſu ad ſodalitatem eum Adoleſcentem perduci, qui, vel priùs, quàm commune Solis iubar hauriret, admirando inauditoque prodigio authoratus eidem iam fuerat. An non enim authoramentum huiuſmodi iure poſsit cenſeri ſanctiſsimum illud Seruatoris Dei nomen, quod Parentis in vtero, cùm ingentem hunc Fœtum plenis adhuc viſceribus ferret, purpureo expreſſum colore, procurrentibuſque redimitum circumquaque radijs apparuit? O miram, in lectiſsimo partu vel ab ipſis naturæ primordijs ſibimet vindicando, Gratiæ celeritatem! O incredibile in tam præcoci gloriæ prouentu Stanislai priuilegium! Vllone manifeſtiùs argumento declararet Lyſippus, aut Phidias, ſingu-

gu-

gulari ſe ſtudio complecti, ſummoque in honore certum aliquod ſuæ artis opificium habere; quàm ſi ex plurimis alijs ſuo illud nomine inſcriberet? Nemo ſanè, vt opinor, non præcipuum in authoris ęſtimatione atque gratiâ locum operi tam eximio tribueret. Neque ideo quiſquam vnus exiſtet, quin & Iuuenem noſtrum, ſimili prærogatiuâ dignatum, ſupremo rerum omnium Opifici ſingulariter apprimèque charum fateatur fuiſſe.

Quidnì ergo tantum id, Stanislae, diuini erga te amoris teſtimonium maximo tibi opere gratulandum exiſtimem? Quidni ex hoc tam mirabili oſtento ampliſsima, & minimè dubia venturæ tuæ laudis preſagia deſumam? Illa quidem iam patent, iam vltro ſe ingerunt, iam ante ipſos penè oculos ſtatuunt, quę magnificis adeo exordijs reſponſura ſint, incrementa. Etenim ſi mos olim Amatoribus fuit, teneris plantarũ corticibus amoris ſui Notas incidere; vt, quantùm mox ipſę, tantùm & amores grandeſcerent; (a) qui tibi necdum nato tam inſignis beneuolentiæ characteres Amator diuinus impreſſit; eos procul dubio tecum augeri, perque ætatis proceſſus vult creſcere. Vnum eſt, quod te monitum velim: non vulgari iam niſu eſſe tibi incumbendum, tam ſplendidę vt electioni pro Merito & dignitate reſpondeas. Nihil a te mediocre, nihil, quale a Mortalibus cæteris, tum cęlum, tum orbis terrarum expectat. Qui extraordinarijs adeo portentis ad ſanctioris vitę genus es euocatus; extraordinarijs item aſſequi conatibus debes, tua ne virtus tuam infra felicitatem videatur conſiſtere: neue admirandum in te potiùs ſit, quod

a Virg Ecl 10 *Creſcent illæ, creſcetis amores.*

acceperis; quàm laudandum, quod feceris. Parum hic igitur, quod in Alijs ſupremum ac totum, patriam domum deſerere, luculentis opibus nuntium remittere, Conſanguineorum tenaces Amplexus reſcindere, delicias, voluptates, Commoda, honores, & quidquid ſpecioſum, iucundum, illuſtre, magnificum, prçclariſsimorum Natalium fortuna ſeu indulſit, ſeu ſpondet, aſpernari, faſtidire, proterere. Nouum tibi aliquod iter tantorum ad Decorum metam eſt inſiſtendum: heroicum, aliquod, & communi fortitudine altius religioſç vitç amplectendç poſteritati debes exemplum. Omnes, age, neruos & curas intende: quidquid eſt virium, quidquid artis ſtudijque in Medium deprome. At o ſtultam meam diligentiam! O ſuperuacuos & inutiles Monitus! Stanislao nempe ſtimulos atque faces conor adiungere? Stanislao? Qui animi robore niſuque inaudito non mea modò vota, ſed & humanam penè fidem tranſcendit? Abite hortationes irriſç, iamque procul præcurrentis a tergo relictç. Tu potiùs, Admiratio, ſuccedas. Tu fortiſsimum puerum, in arrepto ad vexilla Numinis curſu, quot pedum, tot gloriç imprimentem veſtigia, proſequere. Nouum aliquid ab eo expectabamus? Quid, amabo, tam nouum; quàm Adoleſcentem ſpectatiſsimi generis, lautioris in fortunç gremio enutritum, imbecillum çtate, corpore inualidum, longiſſimum, totque infeſtum periculis iter, pannoſi inſtar de triuio mendiculi, ſine vllo vel rhedæ, vel iumenti prçſidio, ſuſcipere? Heroica requirebamus exempla? Quid magis heroicum; quàm nullis eumdem expeditionis tam arduç laboribus frangi, nullis retardari Incommodis, nullis vſquam aſperitatibus cedere: ſed, per con-

confragoſa montium, per abrupta fluuiorũ, per cęli ſęuiẽtis iniurias, millia paſſuũ ad duodecies centena conficere? Enimuero ipſa quoque Admiratio, ęgrè anhelitum ducens, puerilibus hiſce, an giganteis, greſſibus conſectandis fatetur ſe imparem. Et iam ille, magnanimi Propoſiti compos, deuoratis exhauſtiſque peralacri animo tot viarum moleſtijs, Vrbem ingredi properat. Quid igitur? Tacitum, ignotum, neglectum, ſine vllis lætitiæ atque honoris Inſignibus, patiemur ſuccedere? Immo verò ipſe nuntius præcurram, & Quiritium ſtudia atque plauſus illi obuiàm excibo: vt, quales ab Olympico victores certamine (a), non communes per portas, ſed per excitatos ſupra mœnia noui operis pontes, gratulantium ſublati longè manibus ciuium, in Patriam redibant; tali & ipſe, quin tantò plùs nobili pompâ, ſplendidiorum quantò victor certaminum, Romanos intra colles ſe inferat. Huc, o Martię vrbis alumni, ad excipiendum celebrandumque, qualem priſca nunquam Capitolia ſuſpexerunt, triumphum. Non Scipio catenatum Siphacem, non Marius Iugurtham, non Pompeius Tigranem; ſed heros cęleſtis perdomitam reuinctamque cum refractarijs ſuis motibus, atque vitijs Naturam adduxit. An non irruemini, egregium vt Victorem ſequantur, ſuamque non compedibus magis, quàm oris męſtitia, captiuitatem declarent ſuperata imbecillitas corporis, exuta ſpolijs diuitiarum luxuria, protrita nobilitatis ſuperbia, Conſanguineorum amor ſubactus? Vt Cælitum frequentiſſimi ordines incedenti ſe vndique agglomerent, quęque ſummam per laudem vel ſuſtinuit, vel geſſit, immortalibus epini-

a Natal. Mythol. L. 5. c. 4.

epinicijs deprędicent? Quin vos quoque, geſtientibus rite animis, & certantibus ſtudijs, tam eximię gratulationis in partem adeſte, feſtiuoque cum plauſu per laureata paſſim compita effuſi, Quirinales ad arces, ſupremam glorioſi curriculi metam, nobiliſſimum triumphatorem deducite: vbi fixum ęternandę ipſius glorię, tantò dignum heroe, monumentum huiuſcemodi epigraphen pręferat. Stanislao Koſtkę Polono, veteranę virtutis, pluriumque palmarum, quàm ſtipendiorum, Iuueni: quem ad hoc ſanctimonię Capitolium per illuſtria portenta ſingularis cæli beneficentia euocauit, perque admirabiles de naturà victorias ſumma animi fortitudo perduxit.

Verùm, eſto, populari hac a ſpecie remotus, ſoláque inſignis humilitate fuerit Stanislai in Vrbem Ingreſſus; qui tamen peculiari adeo charitate vel Parentis ab vtero illum ſibi ſacrauerat, perque reliquos ętatis dein gradus nouis ſemper amoris eximij pignoribus cohoneſtauerat, Deus; breuiſſimæ poſt militię labores, ad ęterna euocatum ſtipendia, luculentis non in vnius modò vrbis, ſed totius in Vniuerſitatis theatro prodigijs glorioſum, maximèque celebrem reddidit. Quam tertiam ipſius felicitatis partem si accuratiùs ego perſequi vellem; quo eum triumphi poſt hominum memoriam inauditi apparatu hic viſendum proponerem? Veheretur fulguranti ſuper nubes quadrigà conſpicuus, cuiuſmodi quondam Polonia, extremo penè metu ad proximam potentiſſimi Turcarum Imperatoris Oſmanis irruptionem attonita, tantiſque prope impar vel capiendis, nedum repellendis, hoſtilibus copijs, pro ſuà & communi Chriſtianę totius Reipublicę cauſà depugnantem aſpexit. Mortalis geſtamen lau-

laureolę cęleſtium ille orbis radiorum, inocciduique coronamentum fulgoris ſuppleret, quo latè coruſcans pluribus ab exceſſu intuendum ſe prębuit. Pręferrentur argento cęlatę ſeruatarum vrbium imagines, Premisliç, cuius a mœnibus infeſtas atque vltima minitantes Koſacorum copias abegit: Leopolis, quę ne tota conceptos iam in ignes ſubſideret, cęleſti ope intercesſit: Varſauię, Lublini, ac Poſnanię, a quibus, rite inuocatus, peſtilentię terrorem, luctuoſo per finitimos latè Tractus contagio graſſantem, auertit. Traherentur poſt currum horridà, ſed prænobili ſpecie, macilenti, luridi, exangues nullius penè non generis morbi, recreatis plurimorum e Languentum corporibus pulſi: quorum agmen, retusà comminutàque ferali falce, ipſa clauderet Mors, opimis toties ab heroe noſtro ſpolijs exuta. (*a*)

Sed quoniam neque temporis breuitas numeroſisſimæ ornatiſsimæque pompæ explicandæ par eſt; & tam præſtantium admirabilitas Decorum in publicà iamdiu luce verſatur; ſatius erit, opinor, heroicà de animi demisſione aliquid dicere, qua conſecutus eſt Stanislaus, ne vel hæc poſthuma fauentis Dei nobilisſima dona externum ſolummodo decus, & mera in ſe credi felicitas poſſint. Neque verò eas nunc deprimendi Sui artes producam, quas in Quirinali hac palæſtrà virtutis exercuit. Sint eæ religioſis tyronibus vſitatæ & communes. Illa potiùs orationem meam ad ſe vocant admiranda & rariſsima exempla, quorum teſtis Vienna, quæ Dilinga ſuſpexit: cùm ibi quidem maioris a uo fratris furias, ſęuitiam, & verbera non incredibili ſolùm patientià perferret; ſed

 humil-

(*a*) Bartol. in Vita Stan.

humillimis in ſuper, ac ſeruilibus planè obſequijs rependeret: hic verò æqualium in Adoleſcentum conuictu famulum ageret, omnibus ſe dicto audientem præberet, quidquid laborioſi abiectique operis facto Vſus eſſet, promptiſsimè inuaderet, ſummàque cum animi & miniſterij ſedulitate, tamquam ad eiuſmodi tantùm ſordes a naturâ inſtitutus, perageret. O ſubmiſſionem, ipſiſmet, quibus deinde eſt repenſa, tam extraordinarijs prodigijs, admirabilem magis! Quò enim ſe inferiùs abijcere, aut quo rariore virtutis conatu nobilitatis faſtum elidere poterat Iuuenis, in dominatrice familiâ ortus, & Maiorum imaginibus tituliſque per patrium Septemtrionem clariſsimus? Quis vnquam ab alio eiuſdem conditionis, ætatis, atque ordinis homine tale quidpiam faciendum ſperaſſet? Quis, vbi factum audiſſet; non multùm ſe indulgere arbitraretur, ſi crederet? Sed tam altè nimirum iacienda fuerunt gloriæ illius fundamenta, humano quam omni ſurrecturam eminentiùs faſtigio nulla mox obrueret Vetuſtas, nulla non admiraretur poſteritas.

Macte igitur tuis hiſce tam inclytis dotibus, felicior, neſcio dicam, an fortior, ſed vtroque, meliùs dixerim, titulo eximie, vtroque præſtantiſsime heros: quando & felicitas tua penè fidem exceſsit; & felicitatem virtus, ne vlterius quid addam, æquauit. Te Scriptorum calami, te linguæ oratorum, te publicæ famæ præconia, perfectiſsimum veluti cum benignitatis diuinæ, tum humanæ fortitudinis ſpecimen vnanimi conſenſu iactabunt. Nos verò, quibus propiùs inſpicere tantorum complexionem Decorum licuit; nullo vnquam tempore vel extingui, vel otioſam apud nos reſidere illorum patiemur memoriam: ſed huius imitatione

tione illius fructum mereri, quàmque in altero ſimiles, tam alterius capaces euadere pro virili conabimur: illud nobis de te dici arbitrantes, quod de magno Macedone ſuis Demoſthenes Athenienſibus ſcripſit (a), *Si Alexandrum, quòd ei omnia ſucceſſere, fortunatum quis putat; ſuum hic apud animum reputet, laborando eum, audendoque, non ceſſando, fortunatum fuiſſe. Illo itaque extincto, Fortuna* (immo, vt rei noſtræ accommodetur oratio, Dei optimi maximi beneficentia) *nunc alios, quibus faueat, circumſpicit: ijque vos eſſe* (quod etiam hic aptius, propter maiorem Noſtri tecum, quàm Athenienſium cum Alexandro, coniunctionem) *debetis*.

(a) In Epiſt. 2.

Nouus legis Euangelicæ Iacob.

ORATIO XII.

De B. Stanislao Koſtka.

SOlennis plurimoque vſu tritus oratorum mos eſt, ſingularis vt famæ atque Meriti virum publico exornaturi præconio, nobilem quampiam ex rerum aſpectabilium vniuerſitate ſibi imaginem ſeligant, quæ natiuis ſuis dotibus interiora illius Decora luculentiùs depingat, & Auditorum, non animis tantùm repræſentet; ſed vel ipſos quodammodo ſub oculos ponat. Hinc illa, nullis non e roſtris ad inſignium commendationem heroum toties audita, Solis, Palmæ, Nili, Phœnicis, quæque alia longum eſt percenſere, illuſtria cognomina. Nec verò, ſi eiuſmodi morem in hodiernâ præclariſſimi Iuuenis, Stanislai, laudatione imitari mens foret; non plurima mihi, & ſanè quàm ſplendida ad manum ſuppeterent ſymbola:cùm, quòcunque mentis aciem circumfero; ſuos oratori ad eum exprimendum nobiliſſimos Partus certantia vndique elementa videantur obtrudere. En fulgidam, nulliſque ſuperabilem ictibus adamantum duritiem, prima Tellus exclamat. An non graphico emblemmate firmiſſimam in Cœptis vrgendis, Aduerſiſque ſuperandis adumbrabit conſtantiam? En precioſum vnionum candorem, ſonoris admurmurans fluctibus excipit Mare. An non integerrima, & terrenarum cuicuimodi ſordium immunis virginitas ſe hoc velut in ſpeculo conuenientiſſimè

mè intuendam præbebit? Quid contemplationis, præpetes Niſus, æternoque in ſole defixam irretortæ mentis aciem, vllane, ſubdit Aer, expreſſior imago, ac meorum regina ciuium ſuo volatu, obtutuque, ſignauerit? Quid charitatis flagrantiſſimæ ardor, vbinam, Ignis reponit, meo quàm in orbe, viuidius ſimulacrum inueniet? Sed enimuero, vtcunque repræſentationis hoc genus ſuâ laude Meritoque non careat; eo tamen dimiſſo, aliud & præclarius, & appoſitum magis, quo vſum in hiſtorijs conſcribendis Plutarchum reperio, libet in præſentia ſectari. Vt, quemadmodum ille delectos Romanæ Imperatores Reipublicæ cum ſimilibus alijs Græcâ ex antiquitate productis in comparationem vocauit; ſic & ipſe Iuuenem noſtrum in antiquæ aliquo legis heroe, geſtis inuicem geſta, ornamentis ornamenta componens, adumbratum exhibeam. Abeſte igitur, mutæ ac rationis expertes elementorum imagines: tuque potiùs beatorum e Cœlitum ſedibus religioſum hoc in theatrum, Patriarcha Sanctiſſime Iacob, adeſſe tantiſper ne renuas, Stanislai vitam & laudes tuo nobis in exemplo contemplandas daturus. Non erit profectò vel tibi iniucundum, poſthumam Tui effigiem in altero hoc, vt ſic loquar, Euangelicæ legis Iacobo intueri; vel Stanislao parum decorum, virtutis gloriæque ſuę typum tam illuſtri in heroe tot ante ſæculis a Numinis prouidentiâ populorum admirationi fuiſſe propoſitum.

Et certè propoſitus eſt: primaque ipſius quaſi lineamenta celeberrimum illud duxit certamen, quod inter Iacobum, primoremque ortu Germanum vel maternis à viſceribus cæptum, mox ætatis per progreſſiones adultum, innocentiſſimum Iuuenem, ne fraterno dare iugu-

lum

lum cogeretur furori; patria extorrem abegit e
domo. Quis enim non huius in exemplo certa-
minis diuerſiſſimos Stanislai a laxioribus Pauli
fratris moribus mores, hoſtilemque inde exor-
tam grandioris ęuo aduerſus meliorem, tam-
quam noui Eſau rediuiuum in Iacobum, ſæui-
tiam agnoſcat? Enimuero, qui ambos, Vien-
næ in Hæretici hominis domo vnà agentes, in-
ſpexerit; diſſimillimis atque omnino pugnanti-
bus (cuiuſmodi certè per id tempus fuerunt:
nam ſanctiſſimum poſtea Paulus itidem vitæ
genus inſtituit) vtriuſque ibi ſtudijs perpenſis,
dubitare neutiquam poterit, quin Germani tam
oppoſitæ indolis, ſi eodem procreati conceptu
fuiſſent; non leuiori genitales ſinus quaſſaturi
fuerint diſſidio; ac ſuorum gemellum Par fœ-
tuum pręgnantem Rebeccam vexauerit. At ſi
matris ab vtero dimicatio non cœpit; ibi tamen
eſt præmonſtrata. Nam quid tandem ſacroſan-
ctum Ieſu nomen, in ipsà, vbi tum Stanislaus
formabatur, Parentis grauidæ atro prodigioſis
deſcriptum coloribus, niſi futuram incluſi ad-
huc fœtùs ſanctimoniam notauit, vnicam nem-
pe odiorum inſectationumque, quibus ille de-
inceps conflictatus eſt, cauſam? Nonne pręſa-
gium illud quoddam impendentium bellorum,
grauiſſimę ſuſtinendæ militiæ teſſera, ſignum-
que, cui totis à profano dein ſpiritu contradi-
ceretur viribus, fuit? Nonne augurari iam tum
protinus licuit, quem cruentum eiuſmodi ſy-
dus vel materno aſpexiſſet ſub vtero Infantem;
difficillimarum contentionum ei molem ab al-
tero eiuſdem vteri partu imminere? Et Iacob
quidem, tempeſtiuà ſe fugà proripiens, cogna-
ti hoſtis furorem timuit potiùs, quàm ſubijt,
quin & muneribus tandem atque obſequijs pla-
cauit. At cernite, maioribus quantò impendijs
fra-

ſraternum Stanislao odium, ſua nimirū ſteteri virtus. Cernite, vt domeſticus tortor, poſt linguæ acerbitatem amarulentis exprompram, conuicijs, per acerbiora etiam Facta conceptum impotenti animo virus effundat. Cernite, vt Germanum ſanctiſſimum, nullius criminis reum, (niſi fortè ſeuerior innocentię cuſtodia crimen vocetur) infeſtis manibus appetat, Solo deiectum allidat, pedibus proterat, verberibus, calcibuſque contundat. Miſeramini tam indignos, totieſque repetitos inſontis pueri labores? Animum potiùs inconcuſſum, erectum, perque Mala creſcentem miremini. Nimirum laceſſebant Olympum venti, non vt dimouerent, ſed vt omni validiorem aſſultu probarent. Vrgebant palmam onera, non vt deprimerent, ſed vt celſiùs renitentem attollerent (*a*). Sæuiebant in aurum flammæ, non vt abſumerent, ſed recenti vt fulgore illuſtrarent. Maioresne, cælo tonante, atque plures Erythræum vniones concipiat(*b*), curioſi naturæ indagatores exquirant. Illud ego affirmandum in certiſſimis habeo, Stanislai diuinas virtutes magnitudinis pretijque incrementum circumfrementibus a domeſticæ iræ tonitruis duxiſſe. Non ſatis fuit, tot inter procellas ac turbines inſtitutum iter tenere. Et tamen quæ firmior conſtantia? Non ſatis, aggreſſori iniquiſſimo nunquam obſiſtere. Et quæ lenitas mitior? Non ſatis, tam atroces iniurias ſilentio concoquere. Et quę tolerantia robuſtior? Vlteriùs progreſſa eſt admirandi Iuuenis virtus. Sęuiſſimo hoſti, veriùs quàm fratri, nedum nihil ſuccenſuit; ſed amoris etiam in fomitem odiorum incitamenta conuertit:

---

a Plut. L. 8. Qu. Symp. quæſt. 4.
b Athen. L. 3.

uertit: adeoque cum illius immanitate non patientiâ duntaxat, ſed vel obſequio, ſibi decertandum putauit; vt, pręter fraternam charitatem, ſeruilia quoque eidem miniſteria exhiberet: &, cuius tot inſectationes, contumelias, & plagas ſubibat; illius cubiculum, veſtes, ac calceos, mediaſtinorum in morem, voluntariâ humilitate expurgaret: Melititę lapidi ſimilis, (a) qui contuſus mellei ſuccum ſaporis fertur remittere: vel muſicis fidibus, quę pulſantis ad Dexterę Ictus perſuaui iucundoque reſpondent concentu.

Sed nulla in terris ſine ſolatio calamitas: & duo illa, quæ Iouis in limine Grȩcus vates (b) collocauit, Bonorum, Malorumque dolia vix vnquam impermiſtum ad Mortales ſuum liquorem defundunt. Si fratris Iacob odium ſuſtinuit; matris tamen indulgentiam minimè deſiderauit: quæ, peculiari eum amore complexa, tum paternâ in domo, quamdiu tutò ibi licuit conſiſtere, benigniſſimè fouit; tum ex eâdem, cùm capitis immineret periculum, ad Labanum auunculum, ſalutaris fugæ author, dimiſit. Quid Stanislao, nulliſne ſingularis beneuolentiæ pignoribus fraternum ſua Parens odium rependit? Immo largiſſimis, & nimiùm, quàm Rebecca, amplioribus: diuinis videlicet, quæque ſummam Parentem decerent. Iam enim, opinor, de auguſtiſſimâ cæli terrarumque Imperatrice me loqui intelligitis, quam Iuuenis noſter ſuam ſemper & vocauit matrem, & ſenſit, *Philometoris* cognomentum, non vt Ptolemæus (c) per antiſtrophen, ſed genuinum verum-

a Plin. L. 36. Hiſt. Nat. c. 19.
b Homer. L. 24. Iliad.
c Pauſan. L. 1.

rumque iuxta ſenſum, promeritus. Libetne aliquod maternæ illius indulgentiæ documentum aſpicere? Ne ab illâ Viennenſi domo diſcedite, vbi modò fraternas Stanislaum furias ram fortiter excipientem vidiſtis. Quam Dioſcurorum vitam ſuos apud ciues ſe viuere Alcibiades dicebat (a), iam diuinis penè affectum honoribus, iam vltima reorum ad ſupplicia vocatum; eius non obſcuram Adoleſcens ſanctiſſimus imaginem exhibebit, maximis eodem propemodum tempore hinc ærumnis exercitus, cæli inde muneribus recreatus. Intuemini, vt, viribus tot inter, quà externas, quà voluntarias, corpuſculi afflictationes perculſis, æger ac lethali morbo confectus, poſt diuini corporis dapem cæleſtis e miniſtri manu ſuſceptam, extremum iam iam ſpiritum trahit. Defecti robore artus, nutantes oculi, piger ſanguinis Motus, pallor atque macies in genis, tenuis vitæ vmbra, & plùſquàm rudimentum cadaueris. At quænam hæc repentè ſemianimi in vultu lætitia? Vndenam oculorum hic ſubitus vigor? Vnde alacres adeo intermortui pridem corporis Geſtus? Nihil eſt, cur miremur. Salus ipſa morituri ad lectulum adeſt. Ipſa Numinis Parens, coram ſpectabilis, vultu illo, qui cæleſtium non extrema gaudiorum pars eſt, decumbentem ſolatur: quin & virginalis gremij amabilem ſarcinam, diuinum Puerulum, eidem complectendum, ſuauiandum, ad votorum vſque delicias fruendum permittit: tum poſtremò abitura, Quid hic, inquit, Fili diutiùs moraris? Mei te Filij ſodalitas alumnum & contubernalem expectat. Quemadmodum tuo morbus e corpore aufugiet; ſic Tuorum e domo ne cuncteris ipſe

a Ælian. L. 13. c. 38.

ipſe fugam meliores ad ſedes capeſſere. O Parentis benigniſſimæ amorem, vitâ ipsâ, quam breui reſtituit, iucundum & optabilem magis! Habes iam profectò, Stanislae, propenſiſſimi tui aduerſus cæleſtem Reginam obſequij digniſſimum pretium: habes floris virginei, quem, tot excubijs, tot ſtudijs ab impurâ quauis labe ſincerum ſeruaſti, longè ampliſſimos fructus. Hic Cultus, hic candor tam ſingularem diuinæ tibi matris beneuolentiam demeruit: dum alter tuum ad illam animum tranſtulit; alter illius in te formam effinxit. Nulla quippe maternæ benignitatis rapacior illecebra, quàm ſobolis ergà ſe amor, quàm ſua in ſobole effigies. Cui adeò ſe charam, quem adeò ſibi ſimilem cerneret; non eximio fauore, non præcipuâ charitate filium complecti indulgentiſſima ſanè Parens non potuit.

Quod igitur felix fauſtumque; iam mortalis Iacobo Parens, immortalis Stanislao notis fugam e ſedibus ſuaſit. Iam iuſſum vterque, ad Labani Ille, Hic ad Numinis domum iter arripiunt. Agedum, properantes ſequamur. Non deerunt ſimilia inter ſe ſe, quæ vtrobique admiremur, veſtigia. Nam quid, rogo, myſticâ illâ ſomni ſpecie iucundius, quæ ſcalam terras cælo iungentem, alternoſque per illam ſupernorum aſcenſus, ac deſcenſus ſpirituum, quin & Numen ipſum ſupremo eiuſdem vertici innixum Patriarchæ ſanctiſſimo exhibuit? Fortunatum enimuero & optabile exilium, quod eiuſmodi compenſatur muneribus! Felix peregrinatio, quæ paternis ità ab ædibus ſubmouet; vt cælum fugienti recludat! Non tamen hic vſque immorandum, quaſi nihil altrinſecus viſu dignum ſuperſit. En geminum aliud, nobiliuſque adeo ſpectaculum, quod, haud ſomni

per vmbras, ſed manifeſto palàm in lumine oblatum, Stanislai fugam beauit, noſtram ſibi iuſtiùs contemplationem depoſcit. An non enim Auguſtano in itinere beatiſſimas cæli mẽtes, ad eum non ſuâ ſpecie oblectandum ſolummodo, ſed & diuinis impertiendum muneribus, delabentes aſpicitis? An non ipſum Cælitum Regem, quem Hebræus olim Exul longè ſublimem, & futura duntaxat ſibi pręmia ſpondentem fuerat intuitus, vnà pronum adeſſe, ſeque totum in Iuuenis noſtri delicias atque epulas annuentem videtis? Quis tantum hoc munus non quibuſuis ærumnis atque impendijs iure emendum exiſtimet? Quis tuam hanc, viator feliciſſime, ſortem non impensè admiretur, quin & omni admiratione fateatur maiorem? Si Publius Rutilius, quòd Româ proſcripto Aſiæ totius ciuitates Legatos obuiàm miſiſſent, *triũphare potiùs, quàm exulare*, antiquo eſt viſus ſcriptori(*a*); quid de te nos putemus dicendum, quem ſplendidâ illuſtrique adeo cælum ipſum legatione dignatur? Perge itaque alacer, perge, animorum ac roboris plenus, deſtinatam ad itineris metam. Quantacunque ſuſcepto in curſu exhauſiſti, quantacunque dein exhauries Incommoda, vnum hoc ſolatium, vna hæc merces cumulatiſſimè potuit rependere. Eſto, duodecies ferè centena paſſuum numeranda ſint millia, priùs optatum quàm limen attingas. Eſto, feruidioris anni inclementia viarum prolixitatem ac moleſtias congeminet. Eſto, virium atque ætatis infirmitas, nullo adiuta vehiculo, inſuetis, & vel robuſtiſſimum defatigaturis atque exercitatiſſimum corpus, ſe ſe parem

a Val. Max. L. 2. c. 5. *Exulare aliquis hoc loco, an triumphare iuſtiùs dixerit?*

rem laboribus neget. Nulla tanta eſt aſperitas, nulla ærumnarum tam intolerabilis moles, quam abundè non leuet ac mitiget, quod tibi eſt collatum diuinitus, immortalitatis viaticum.

Sed iam nobiles transfugas per conſertum prodigijs atque Incommodis iter amica tandem ad hoſpitia perduximus. Ærumnoſo hic defuncti curriculo quæſitum peregrinationis iam terminum tenent. Hic, curis ſolutos, certaminum & laborum immunes, iam tandem quieſcere, pacatiſſimique inter otij Complexus feriari licebit. Quieſcere, inquam? Erraui, Auditores. Immo nouus vtrumque labor, & grauiſſima hic excipit ſeruitus. Quemadmodum enim ſeptennium, adamatà vt potiretur Rachele, & tantumdem mox temporis, vbi voti compos eſt factus; famularia Labano miniſteria Iacob exhibuit; ſic & Stanislaus, incredibili quodam melioris Rachelis, religioſæ nimirum vitæ amore ſuccenſus, pro illius primò aſſequendis, mox etiam impetratis complexibus, ad ſeruilia quæuis officia ſpectatiſſimam materni, paternique ſui generis nobilitatem inclinare nil renuit. Tuque illum, in tuo, Dilinga, ephebeo, nec tu minùs noſtris hiſce in ædibus, Roma, non ſine dulci admiratione aſpexiſti, alieno totum ex nutu pendere, vbique ad imperia præſto eſſe, nulli, vt vt ſordido, muneri operam ſuam denegare, immo, quæ deſpicatiſſima forent atque infima, libentiùs miniſteria complecti: tantà cum obſequij alacritate; vt viliſſimum quodpiam ruſticani eiectamentum tugurij, aut emptum de lapide videri poſſet mancipium; ſingularis ni quidam ſanctitatis modeſtiæque fulgor, voluntariæ inter vmbras demiſſionis erumpens, heroicæ potiùs indolis feciſſet intuentibus

bus fidem: renouato in diſſimili quàmuis genere veteris illius apud Plinium (a) pictoris ſucceſſu, qui, *humilia ſecutus, ſummam humilitatis adeptus eſt gloriam*: cùm, ordinarius penicilli ipſius labor, agaſones, tonſtrinæ, clitellaria iumenta, plebeiæque id genus effigies maiori taxarentur pretio, quàm ab Alijs effictæ præſtantium heroum, ac Deorum imagines.

Atque vtinam hos inter, primâ ſordidos ſpecie, interiori ſed dignitate clariſſimos, religioſi Famulatûs labores vtrumque illi ſaltem antiqui ſui exemplaris ſeptennium licuiſſet traducere. Non minùs profectò (vt ex illis augurari primordijs fas eſt) cum ad noſtræ decus familiæ, tum ad diuinæ incrementum gloriæ diuturniori contuliſſet pręſentiâ; quàm ad Labani facultates augendas præſens olim ſanctiſſimus gener contulerit. Sed charitatis diuinæ ardor, nuſquam ſibi terminum ſtatuens, mortalis imbecillitatem naturæ non labefactauit ſolummodo; ſed & prorſus conſumpſit. Iamque adeo ad memorabile illud cæleſti cum Æmulo Iacobi certamen, ex quo pugil fortiſſimus Iſraelis quidem inclytum nomen, ſed & vnà debilitatem femoris traxit, inſtituta comparatio deuenit. Quidni etenim colluctationis validiſſimæ genus illi etiam tam arcti tamque intimi vocentur Complexus, quibus Deus hinc, Staniſlaus inde, Hic per amoris incitatiſſimi Niſus, Ille per arcanæ ſuauitatis illecebras, ſe ſe mutuò aſtringebant? O certamen Olympico quouis pugilatu nobilius, nec tam ore mortali, quàm cæleſti referendum eloquio! Nam quid illo vel diuturnius, vel acrius? Si prolixitatem metimur; a primo iam inde orientis rationis dilucu-lo

a Plin. L. 35. Hiſt. Nat. c. 10.

lo cœptum, ad vltimam vſque occidentis vitæ veſperam tenuit. Et plures quidem Adoleſcens ſanctiſſimus nocturnas diurnaſque horas, ab externis feriatus quibuslibet curis, in profeſsâ rerum diuinarum contemplatione exigebat, tantâ flexos humi poplites, erectumque cælo animum defigens conſtantiâ; vt, viribus non rarò conſumptis, ſemianimum ad terram corpus præ nimia laſſitudo extremusque languor deuolueret. Ne tamen, his duntaxat limitibus exercitationis pulcherrimæ circumſcripta illi ſpatia fuiſſe, ſibi quiſquam perſuadeat. Totos ille dies indefeſſus ac peruigil Diuina mente agitabat. Nullis non horis, nuſquam non locorum, caduca omnia pertęſus, Suique adeo immemor, cælo inhærebat, cælum ſpirabat, ſua illic ſolatia, illic animi pabulum, cordis illic requiem nanciſcebatur & vitam: *omne tempus*, ſeniori cum Plinio, ſibi omnino (a) *perire arbitratus, quod non*, vt profanis Ille, ſic ſanctioribus Ipſe *ſtudijs impertiretur*. At interiorem tunc animi Habitum, rapidiſſimos mentis volatus, amoris flagrantiſſimos æſtus quis, non dicam verbis exprimere; ſed tacitâ vel cogitatione aſſequi valeat? Ex admirandis & ſingularibus, quæ foras non rarò erumpebant, indicijs, quam licet, coniecturam deſumite. Quibus enim recreatum arcanis ſpectaculis, quàm intima æternarum in rerum penetralia ſubductum, quàm validis nexibus ſummo authori coniunctum fuiſſe arbitrabimur, qui corporeis à ſenſibus, diuinæ dum conſuetudini operam daret, vſque adeo abalienari conſueuerat; vt neque inclamitantium ſe voces, neque vim concutientium perciperet? Quàm nihil cum terris habuiſſe commercij, quàm

a Plin. Epiſt. L. 3. Ep. 5.

quàm altè in Superùm ſedes auolaſſe illius mentem dicemus, cuius vel ipſam terrenorum artuum molem ab humo toties auulſam interior vis rapuit, & natiui contra ponderis Niſum in ſublimi pendentem detinuit? Quàm vberes cæleſtium radiorum riuos, quas ardoris Seraphici flammas ab æterni Solis præſentiâ in animum deriuaſſe eſt credendus, cuius ipſemet vultus prodigioſis circumquaque coruſcabat fulgoribus: quique tanto vel in extimâ Sui parte efferueſcebat caloris violentiſſimi æſtu; vt iam frigidiorem auram captare; iam laxare veſtibus ſinum, gelidoque humore illius incendia lenire, ægrè anhelitum ducens, ac ſimilis morituro, indigeret? Nil igitur mirum, ſi tam aſſiduam, tamque acrem cum Aduerſario valentiſſimo pugnam imbecilla & fragilis vita durare longùm nequiuerit: ſed, nimio mentis impetu ad extremum perculſa, & gliſcentibus vltra modum arcanis incendijs exuſta, primæuo adoleſcentiæ vernantis in flore defecerit. Quamquam, ſi vitam in certamine Athleta ſtrenuiſſimus poſuit; non ideo amiſiſſe certaminis palmam, minùſque, quàm Iacob, victoris ſibi decus & nomen meruiſſe eſt dicendus: cùm colluctatorem ſuum, Amorem diuinum, tunc maximè, cùm exanimis ab eo eſt proſtratus, in ſuam poteſtatem redegerit. Adeo vt in rem noſtram traducere iure optimo liceat, quod de geminis illis Romanæ arenæ gladiatoribus luſit Poeta (a), *Cùm duo pugnarent; victor vterque fuit*: victor nempe cæleſtis Amor, quia Stanislai corpus proſtrauit; victor Stanislaus, quia per interitum corporis victore ſuo potitus, quàm cùm maximè, eſt: dignus propterea, quem cęli Regnatrix, ſimili & ipſa

a Matt. Lib. Spectac. Ep. 29.

& ipſa exitu terris ſubducta, ipſomet triumphi ſui die immortalitatis ad Capitolium ouantem perduceret.

Reliquum eſt, Auditores, vt, quorum hactenus vitam paribus adeo lineamentis ſibi mutuò reſpondentem aſpeximus; eorum ſimilitudinem, vltrà etiam mortalis vitæ ſpatia productam, ſpectemus. Et verò non vulgare Iacobi decus cenſeri meritiſſimò poteſt numeroſa atque illuſtris poſteritas, in qua ille poſthumam quamdam conſecutis mox ætatibus vitam viſus eſt prorogare, ſepulcro & mortalitati ſuperſtes. Sed neque Stanislao ſua defuit progenies, quæ ipſum, humanis licet rebus nouiſſimà neceſſitate interceptum, Poſterorum admirationi atque famæ præſentem reduceret, eximiæ nimirum ſanctitatis prænobiles Partus, miracula & plurima, & longè clariſſima. Si namque magnus ille Thebanorum Imperator, Epaminondas (a), in ſupremo æui cardine, quàmuis *orbum, non tamen ſine Liberis, ſe mori* iactauit, quòd duas illuſtres cumprimis filias, Leuctram, & Mantineam, immortalia videlicet ſuarum ijs in locis monumenta victoriarum, relinqueret; quidni heros itidem noſter ſuæ inſobolis loco recenſere perquam meritò poſsit tum vniuerſam eorum multitudinem hominum, quibus vitam partim periclitantem ſeruauit, partim iam ereptam poſtliminio reſtituit; tum nobiliſſimas vrbes, Poſnaniam, Lublinum, Varſauiam, Leopolim, quas vel ab immaniſsimorum vi hoſtium, vel ab incendij debacchãtis furore, vel peſtiferæ a luis contagione prohibuit? Hæc certè ſplendidiſsima ſoboles, hæc noua ſemper, numeroque in dies amplior poſteri-

a Val. Max. L. 3. c. 2.

ſteritas eſt, in qua Stanislaus etiamnum ſe teſtatur ſuperſtitem, quæ vel fato functi memoriam interire non patitur, quæque illum ſupremo etiam ab exceſſu Hebræi Patriarchæ quàmſimillimum probat.

Habes igitur, Polonia, Palæſtinæ quem opponas, heroem: habes, Adoleſcentia, quo longęuam prouoces ſenectutem: tuque, Abrahami nepos ſanctiſſime, tuorum hæredem digniſſimum Decorum, tuæ abſolutiſſimam gloriæ imaginem habes. Tu Stanislaum, tantò quàm naſceretur priùs, exhibuiſti orbi terrarum: Te Stanislaus, tanto poſtquam deceſſeras tempore, Orbi reſtituit. In Te Illum viuentem admirata eſt antiquitas: Te in Illo ſuperſtitem mirabunda recens ætas agnoſcit. Ambo fratribus odio fuiſtis, & illius rudimentum materna vtrobique aluus expreſſit. Sed furentem Tu effugiſti Germanum, & obſequio ad extremum placaſti: fraternam Stanislaus rabiem tolerauit biennio, nec vllà, quamdiu ſimul vixit, vel infimà ſubmiſſione delenijt. Ambobus mater præcipitia, Tibi mortalis, Tuo imitatori Diuina. Illa Te ad Labani fratris; Hæc Illum ad Ieſu filij domum dimiſit: vbi vtrumque ſeruitus ac labor excepit: Te, vt Rachelis potireris coniugio; Illum, noſtræ vt ſodalitatis frueretur complexibus. Vterque cæleſti cum Aduerſario luctati: Tu tamen vnicam noctem; Ille perpetem vitam. Sacri vterque certaminis ex arena diſceſſiſtis victores: ſed victoriæ Tibi pretium debilitas; Illi mors fuit. Ambo fatis ſuperſtitem, Tu longiſſimà in nepotum poſteritate; Ille in prodigiorum numeroſiſsimà ſerie vitam duxiſtis. Quid multa? Adeo alteri alterum eadem vtrobique ſpecies, & plùs quàm gemella ſimilitudo permiſcuit; vt, ſublato pe-

nè ætatum diſcrimine, Stanislai Acta perlegentes veteris Mundi Annales euoluere; contrà verò tuæ vitæ ſeriem retractantes in elapſi proximè ſæculi monumentis videamur verſari: & addubitare quodammodo ſubeat, duoſne Iacobos, vel Stanislaos diuerſiſsima tulerint tempora; an idem ſub duplici nomine diuerſiſſimis ſe ſpectandum temporibus heros præbuerit. Eat in omnem Poſterorum memoriam vitæ iſta fortiſque concordia: &, quemadmodum in altero alter per mutuam repræſentationem vixiſtis; ſic vlteriùs porrò, vlteriùſque veſtrorum prorogare imagines Decorum, inque noſtris pariter moribus imitatione quàm ſimillimà geminari ne abnuite. Vnum & ſimplex ab vtroque munus depoſcimus. Si alterutrum imitemur; vnà vtrumque expreſſerimus.

Vir-

Virtus in ſuis perfecta primordijs

ORATIO XIII.

De Beato Stanislao Koſtka.

INter ea opera, quæ conſuetis Natura ſuis viribus quotidie molitur, quęque ſummus naturæ Author, vſitatum præter ordinem rerum, ſuæmet e virtutis officinâ nonnunquam producit, id potiſſimum reperiri diſcriminis, Auditores ſapientiſſimi, noſtis; quòd altera leui priùs informatione adumbrata, quàm vltimis omnibuſque lineamentis exacta, non niſi, poſt multiplices incrementorum, atque temporum gradus, ad maturitatis ſibi debitæ Summam perueniant; altera verò, ſuis confeſtim in primordijs adulta, quidquid ætati poſſent debere, ab artificis manibus ilico accipiant, &, quanta olim euaſura vix eſſent, naſcantur. Cuius rei perquam locuples Noſtrum quiſque in ſe habet exemplum, ſi omnem, a primo ad hoc tempus conceptu, iacentis in Medio æui ſeriem animo & cogitatione percurrat. An non enim totum id relegentibus ſpatium omnia retro infirmiora occurrunt, & inchoatis rudibuſque magis ſemper ac magis ſimilia? Nonne præſens animorum, atque corporum firmitas ex infantiæ crepundijs, cunarumque vagitibus, per plurimos, lentoque ſibi tractu ſuccedentes Progreſſus, ſe fatetur fluxiſſe? At quantò præſtantior primi hominis, hominumque Parentis conditio? Quem quia Vniuerſitatis maximus Conditor, citra inferiorum conſpirationem cauſarum, vnius di-

uinæ ſuæ artis ingenio creauit; vbi primùm lucem aſpexerit; maturum ſtatim ſcimus fuiſſe, integerrimàque ſuarum cuiuſquemodi partium abſolutione perfectum: eodem priuilegij Mortales inter reliquos genere, Athenienſem quo populum, ex gentibus reliquis vnum, *non ſordidis ab initijs ad ſumma creuiſſe*, ſed, *præterquam incremento, etiam origine gloriari* poſſe, Hiſtoricus (*a*) prodidit. Nec verò animaduerſum hoc hactenus aſpectabilibus & corporeis in rebus diſcrimen non in ijs pariter intuendum ſe præbet Effectis, quæ ad interiorem cæleſtis Gratiæ ordinem ſpectant. Quam enim ſacrorum plerique Aſcetarum, communibus diuinæ prouidentiæ ſubſidijs adiuti, ſanctimoniam acquirunt; ea certè, vrſinorum (*b*) partuum in morem, manca primò & informis, *ſpeique rudimentum*, vt Madaurenſi (*c*) cum Platonico loquar, *rei experimento* præmittens, non abſque diutino tum labore, tum tempore, ad conſummationis ſuæ culmen perducitur. Cùm illa è contrario, peculiari quæ Numinis benignitate Diuorum nonnullis infunditur, citra tardos puerperij Nixus, citra crudos pueritiæ Conatus, tota ſimul atque integra, omnibusque ſuis numeris ad plenum coagmentata oriatur: quibusdam Arabiæ partibus ſimilis (*d*), vbi, non priùs promittente, quàm efferente ſe ſole, nulla auroræ eſſe tempora, ſed adultum protinus diem ferunt exiſtere. Tali-

bus

a Iuſtin. Lib. 2.

b Plin. L. 10 Hiſt. Nat. c. 63.

c Apul. Lib. 1. Florid. *Nec quidquam omnium eſt, quod poſsit in primordio Sui perfici: ſed in omnibus ferme ante eſt ſpei rudimentum, quàm rei experimentum.*

d Diod. Sic. Lib. 4.

bus ego typis expreſſam nobiliſſimi Poloniȩ phœnicis, Stanislai Koſtkæ, ſanctimoniam intueor: talemque adeo illum vobis hodierná laudatione demonſtrandum ſuſcepi, ſingulare nimirum Authoris ſupremi opus, extraordinarium diuinæ virtutis oſtentum, Iuuenem denique, in quo, duodeuigeſimum intra annum ſublato, cùm nihil omnino, præter primam ætatem, ac religioſi tyrocinij experimenta, obijciatur laudandum; nullas tamen tyronum, infirmioris nullas æui laudes reperire fas eſt: adeo conſummatiſſimum omnia heroem ſapiunt, veteranam omnia præ ſe ferunt virtutem: adeoque, ceu Nilum (a) Natura, ſic cæleſtis cum Gratia nuſquam ſinit paruum videri. Quod non ſplendidè magis, quàm verè, a me dici promenda iam in Medium Adoleſcentisſpectatiſſimi Decora palàm omnibus facient: ſi tamen, quam paucis ipſi annis colligere totius ſanctimoniæ amplitudinem licuit; vnius illam horulæ ſpatio explicare Oratori licuerit.

Nemo itaque ordinarium & vulgare hic quidpiam expectet. Nemo, quo ſummi etiam heroes ritu laudantur, a rudibus inchoatæ duntaxat ſanctimoniæ documentis ad perfecta & eximia, quoſdam velut per gradus, proceſſuram orationem meam putet. Neſcit conſuetum intra rhetorum ordinem ea virtus includi, qua in effingendá vſitatas diuinus artifex leges præterijt: cùmque vel primoribus Cœptis extremas aliorum metas æquauerit; ab ijs extemplo celebrandis ſuum iubet laudatorem ordiri, quæ vltima eſſe ſolent cæterarum laudationum coronis. Iamque adeo Stanislai ſe prodigia certatim obijciunt, tantò rarioris illa quidem ad-

M 3 mira-

a Luc. 10. *Nec licuit populis paruum te, Nile, videre*

mirabilitatis & pretij; quantò in Adoleſcente ſanctiſſimo frequentiora & magis aſſidua. Occurrunt incendia, quorum rapidiſſimos æſtus, nec humanis eluctandam conatibus vim cæleſti pluries auxilio repreſſit. Occurrunt grauiſſimi & cuiusuis penè generis morbi, quos perculſis ab Ægrorum corporibus, inuocatus, fugauit. Occurrunt ad octona, eoque ampliùs, cadauera, quæ iam tumulis debita vitali rurſus ſpiritu impleuit, deſuetæque ad lucis vſuram reſtituit. Video illum Tartarei iam hoſtis inſultus ſalutari Crucis ſigno abigentem, cæleſti iam luce diuiniſque circumfuſum nitoribus, iam ignotâ caducis corporibus vi ab humo vſquequaque ſublatum. Video beatiſſimas cæli mentes decumbenti aliàs e morbo, iter aliàs agenti pretioſiſſimum Eucharisticæ dapis alimentum deferre. Video magnam Numinis matrem ægrotantis lectulo adeſſe, amantiſſimis vocibus febris tædia lenire, quin & ſuum cæleſtem puerulum in illius vota Complexusque inclinare. Quanta, rogo, iſta ſunt, Auditores, quàmque egregiæ monumenta virtutis? Futuramne ſolùm promittunt; an præſentem iamque integram ſanctitatem demonſtrant? Nonne, ſi tantorum hanc Decorum ſeriem, diſſimulato illius, ad quem pertinent, nomine, vobis expoſuiſſem; eodem ipſius circa ætatem fallere-mini errore, quo mors olim, poeticum Martialis iuxta Luſum, decepta, celeberrimum illum, & Romano toties in circo victorem, aurigam, *Dum numerat palmas; credidit eſſe ſenem* (a): meque ideo haudquaquam de adoleſcentulo imberbi, ſed de cano aliquo potiùs, & religioſis in caſtris emerito cœnobitâ exiſtima-

a Lib. 10 Epigr. 53.

ſtimaretis locutum? Nonne Thaumaturgum huiuſmodi, quicunque is demum foret, tam inſigni apud Deum gratiâ florentem, adeoque portentoſis decoratum cæli muneribus, pro conſummatiſſimæ integerrimæque laudis heroe haberetis? Ita planè, omnique procul dubio, haberetis: neque ſecus propterea de noſtro etiam Adoleſcente iudicandum cenſebitis: cuius ætas acerbior tam eximijs operibus iuſtæ fidei authoritatem nequit detrahere, ſed maioris pretij pondus debet adiungere.

Quæ tamen ad hoc loci prodigia ſuſpeximus, abſolutam potiùs, quàm præcocem, ſanctimoniam declarant: minùsque ideo Stanislai propria videntur: qui, Chriſtianæ perfectionem virtutis non paulatim, vt Plerique, & per partes, ſed compendiario & ſubito quodam prouentu ſimul totam adeptus, non ampliſſimis modò, ſed & præmaturis, vt ſic loquar, miraculis illuſtrari deſiderat. Nec verò illuſtratus non eſt: cùm diuina huiuſcemodi oſtenta illius nedum vitam certarint ambire; ſed vel Ortum feſtinarint præcurrere. Idque adeo reſtatiſſimum omnibus facere Parentis fœtæ vterus poteſt: qui, quo Stanislaum tempore ſua inter penetralia concluſum geſtabat; venerandam diuini nominis ſpeciem, cæleſti penicillo in extimà Sui parte conformatam, exhibuit. O portentum planè inauditum, & tanto, quem prænuntiabat, Infante dignisſimum! Nondum cœli iubar aſpexerat; & cæleſtium iam Decorum luce emicabat. Nondum promiſcuos mortalis vitæ fructus guſtauerat; iam rara & eximia ſupernæ largitatis dona hauriebat. Nondum certum a Parentibus nomen acceperat; iamque, Authoris ſui nomine inſignitus, illud ipſe genitrici imprimebat. Maternis condeba-

tur viſceribus, ſed diurni ſyderis ritu, quod, tenui ſub nubeculâ ſimul latens, & lucens, ſuum magis illuſtrat velamen; quàm ab illo obſcuretur: &, quemadmodum in nonnullis ad Septemtrionem oris noctes ipſę dicuntur(*a*)per æſtatem lucere, quòd ſol altiùs ſe efferens, quàmuis nondum præſens appareat; vicino tamen fulgore cælum illuminat; ſic & ipſe, ob eminentiſsimam quamdam Meritorum gloriæque altitudinem,quàmuis tum abſens, nec plùs, quàm futurus, latere tamen prorſus haud poterat, ſed in lucidis ijs ſuorum Decorum vmbris idoneo cuilibet rerum æſtimatori ſe intuendum præbebat: vt, cuius extimam ſpeciem nondum vidiſſes; arcanam dignitatem liquidò agnoſceres: & priùs, quantus naſceretur; quàm, quis naſceretur, conſtaret. Quid mihi iam vltra futuram Cyri veſtri amplitudinem, ſub palmitis (*b*), materno ſe e ſinu latiſsimè porrigentis imagine oſtenſam, Perſæ, iactatis? Quid bellicam Alexandri tui vim (*c*), in leonis effigie, qua Parentis grauidæ vterum fatidicus inſigniuerat ſopor, adumbratam, Macedonia, commemoras? Quid ſplendidum imperaturi olim terris Auguſti præſagium (*d*), ſolem nempe ex eâdem, qua ipſe claudebatur, aluo viſum erumpere, deprædicas, Roma? Potiori multò iure Stanislaum nobis licet mirari,& iuxta Syllanum de Iulio Cæſare Effatum(*e*),complures in eo, longèque præſtantiores Cyros, Alexandros, Auguſtos agnoſcere: quem non ſopi-

a Pomp. Mela Lib. 3. c. 3.
b Herodot. L. 1.
c Plut. in Alex.
d Suet. In Octau. c. 94. & Dion. L. 45.
d Suet. In Iulio c, 1. *Cæſari multos Marios ineſſe.*

ſopitis exhibitum ſenſibus euanidæ imaginationis ludibrium, ſed vigili obtutu deprehenſa miraculi patentiſſimi fides, nec profana & vulgaris conditarum vlliuſmodi rerum effigies, ſed longè ſanctiſſimum ſupremi Cōditoris atque Principis nomen naſciturum promiſit. Felix enimuero puer, qui, cum Eſaia, gloriari iure optimo potes (*a*), quòd *Dominus te vocarit ab vtero*, quamquam non tuo, vt illum, nomine; ſed ſuo potiùs, vt fortaſſe hactenus neminem. Felix tu quoque, pueri præſtantiſſimi genitrix: quæ, veluti Præcurſoris diuini mater, quòd vatem in vtero ferret, vaticinam mentem concepit; ſic cæleſtium & ipſa donorum, quibus Infantem tuum Deus exornabat, in partem veniſti: cùmque aliæ Parentes, quas informatas in animo habent, rerum imagines cereis fœtuum ſuorum corpuſculis mirabili naturæ artificio ſoleant affingere; auguſtam tu contra, qua tuus præſignabatur puer, ſacroſancti nominis ſpeciem admirabiliori diuinæ prorſus artis picturà tuos translatam in artus vidiſti.

Diutiùs fortaſſe, Auditores, morarer in tam illuſtris ſignificatione prodigij rimādà. Sed hac Stanislaus iampridem abſoluit me curà. Ipſemet præmonſtrati diuinitus ominis enarrator atque interpres certiſſimus fuit: ipſemet venientis ſuæ vitæ præſagium, quàm integrè mox impleuit; tam diſertè explicauit. Dum volucri virtutis citatiſſimæ curſu ætatis moras præuertentem aſpicimus; quid feſtinata, & natiuitatem illius præcurrentia ſanctitatis Inſignia portenderint, liquidò agnoſcimus. Ceù vetus poeta ærumnoſum C. Marij ex Vrbe, quam ſeruarat,

a Eſai. c. 49. *Dominus ab vtero vocauit me: de ventre matris meæ recordatus eſt nominis mei.*

exilium, fœdaſque, nec tutas Minturnarum in paludibus latebras ad futuræ ipſius crudelitatis vindictam non dubitauit referre (*a*): quaſi ille, ſeptimùm deinde *Conſul, & euerſa felix moriturus in vrbe*, patrandorum ſcelerum pœnas iam tum in anteceſſum perſolueret; ſic nobis, vniuersà in Stanislai vità nihil non heroicum, nihil non ſingulare intuentibus, colligere meritiſſimò licet, eximia, quę ipſius Ortum anteceſſerint, ſigna parium, quæ ſubſecuturæ mox erant, virtutum vel argumentum fuiſſe, vel præmium. Atque vtinam his diſtinctiùs pleniùſque exequendis par temporis amplitudo ſuppeteret. Planum equidem omnibus fieret, illius ſanctimoniam tam excelſos inſuetoſque per calles ſuum iter egiſſe; vt ſingularibus adeo prodigijs iure optimo decorari meruerit: immo vt, vel ipſis remotis, ſat tueri admirabilitatem ſuam poſſit, eaque pro aduentitijs potiùs quibuſdam parergis, quàm pro neceſſarijs habere debeat innatæ ſibi gloriæ præſidijs: quemadmodum Ouidianus ille Cygnus, (*b*) vel nudo ſat corpore armatus, caſſidem, clypeum, loricam, non tutaminis, ſed ornamenti ſolummodo gratià, ſe iactabat præferre. Nunc vix pauca obſeruare fas eſt, laudatiſsimo a Iuuene patrijs primùm in ædibus, mox alibi deinceps relicta ſuæ indolis ac virtutis veſtigia. Quæ tamen eiuſmodi ſunt; vt illorum e ſingulis gigantea gradientis magnitudo æſtimari facillimè queat: non aliter, quàm vnius ex pedis menſurà

---

a Lucan. L. 2. *Pœnas ante dabat ſcelerum.*

b L. 12. *Metam. Non hac, quam cernis, equinis fulua iubis caſsis, nec onus caua parma ſiniſtra auxilio mihi ſunt: decor eſt quæſitus ab iſtis.*

ſurâ totam Herculis proceritatem modificatus Pythagoras fertur (*a*).

Et quidem, vt paternâ ordiamur a domo; quàm rarum extemplo admirabilis caſtimoniæ illa ſpecimen intuendum proponit! Audite rem, totius in poſteritatis exemplum mittendam, nulliſque non dignam, nullis non maiorem laudantium præconijs. Adeo religioſus erat Sui cuſtos mortalis huiuſce Angeli pudor, omnemque adeo fœditatis oppoſitæ vmbram, non in ſe tantùm, ſed vel in alijs horrebat; vt, ſi quando genitoris ad menſam liberiores ab hoſpitum quopiam contigiſſet ſermones inſtitui; ſubito primùm totus rubore flagraret: tum, niſi modum aliena ſibi procacitas faceret; lethali ceu vulnere ictus, ſublatis tantisper in cælum oculis, intercluſo mox ſpiritu, ac fluentibus membris, cadaueris in ſpeciem corrueret. Te hic iam appello cum tuorum monumentis Annalium, Vetuſtas. Te huic adeſſe ſpectaculo velim, teſtem futuram, an ſimile quodpiam ſuperior vlla ætas documentum ediderit. Multos, non inficior, licebit in Medium adducere, qui, ne vllam integritas ſua labem ſubiret; intaminatum ſpiritum per quamlibet corporis lanienam profuderint, retinentiores pudicitiæ, quàm vitæ. Sed nihil eſt, cur eorum cuilibet hunc Iuuenis noſter caſtitatis tam eximium amorem inuideat. Si enim Romana illa Pharſalicum apud vatem (*b*) matrona, Pompeio coniuge amiſſo, vſitata quęcunque & vulgaria conſciſcendæ ſibi necis inſtrumenta aſpernatur; remiſſi erga Virum amoris ſpecimen rata, ni vnus prærepti illius

 do-

a Gel. l. 1. cap 1.
b Lucan l. 9. *Turpe mori poſt te ſolo non poſſe dolore.*

dolor ad mortem inferendam ſufficeret; humilioris cur ingenij atque ſpiritùs eum nos arbitremur pudorem, qui ad impuræ labis Obiectum proſternere, ac tantùm non exanimare cultorem ſuum potuit vel ſolus; quàm eum, qui,ſuiſmet minùs viribus pollens, ſine flammis id pręſtare, gladijſue nequiuerit? Pręſertim cùm Alij, ne ſuam prorſus integritatem amitterent; mortem ſubierint: Noſter, ne quid integritati contrarium vel audiret; prope ad mortem acceſſerit. Fuerit itaque hactenus Virginitatis vltimum decus, pro ipsà tuendà vitam vltro per vulnera effundere; nouum iam & illuſtrius fòrs aliud, Stanislao præmonſtrante, exemplum iactabitur, pro pudicitię cuſtodià non alio, quàm pudicitię ipſius, vulnere animam ponere. Tuque, Pudor ſanctiſſime, tot candoris integerrimi lilijs, quibus priora coronarunt te ſæcula, Polonum quoque hunc florem adiungere, quin & reliquis forſan præferre, ac,nobiliſſimum veluti perennis tui ſerui ornamentum,oſtentare iam poteris.

At, ſi maligni cuiuſque intolerantiſſimam halitùs, omnique delicatiorem floſculo Stanislai verecundiam vidiſtis; ne teneram æquè ſanctioris in vitæ curriculo, vrgendiſque laudabilibus Cœptis conſtantiam exiſtimetis fuiſſe. Hic ille profectò adamantinum, hic moueri penitùs neſcium, hic plùſquàm Herculei exhibebat ſe roboris. Oppugnares minis, inceſſeres iurgijs,contumelijs afficeres, vim intentares; eadem permanebat frontis ſecuritas,idem animi vigor, æquè immota Propoſiti firmitas. Et verò quodnam pectus, triplici quàmuis ære munitum, non ea concuſſiſſet fraterni furoris immanitas, quæ ſolidum fere biennium illius innocentiam grauiſſimè exercuit? Nimirum,

quan-

quantùm mores, tantùm animi diſcrepant; nec generis Nexus ſat retinet, quos ſtudiorum vitæque diſſimilitudo ſeiunxit: quin immo, quæ beneuolos & cōcordes tenaciori glutine aſtringit; diſſidentium offenſiones acrioribus ſtimulis irritare conſueuit, germanitas. Hinc adeo, cùm Stanislai, maioriſque natu fratris, meliorem nondum vitam aggreſſi, Inſtituta toto inuicem cælo diſtarent: neque Hic Illum vel ſibi tam diuerſum perferre; vel a ſeueriſſimâ viuendi ratione ad ſuam, cui tunc deditus erat, leuitatem vllis poſſet mollioribus argumentis traducere; credi vix poteſt, quantum animo irarum conciperet, quàm crudelibus in Inſontem exemplis ſæuiret, quoties, verbis peſſimè acceptum, fuſte inſuper cæderet, verſaret, impelleret, ad humum violenter allideret, pedibuſque iam excuſſis feriret, iam impoſitis premeret. Iſmaelem diceres Iſaco inſultare: Eſau putares furoris ſui pœnas a Iacobo repoſcere. Quid interim Stanislaus? Num tempori ceſſit? Num virtutis rigorem molliuit? Num in ſtudio pietatis elanguit? Pudeat vel dubitare. Hæmum citiùs, aut Rhodopen ventorum impetu ſubrui, bacchantium vel vndarum aſſultibus Ægęos labefactari ſcopulos poſſe; quàm illius ſolidiſſimam mentem tam immanibus furijs commoueri potuiſſe, arbitremini. Adeo commota nil eſt; vt plus contra firmitudinis, alacritatis, vigoriſque inde traxerit: luſorij quamdam turbinis imaginem exprimens, cui, *torto* (*a*) *ſub verbere volitanti, dant animos plaga*: veriſſimumque in ſe probans, quod de ocymo fabulati ſunt Veteres, (*b*) ſerentium vide-

a Virg. l. 7.
b Plin l.19.Hiſt. Nat. c. 7. *Cum Maledictis ſerendum præcipiunt, vt lætius proueniat.*

videlicet Maledicta, execrationes, & iurgia pro culturâ illi eſſe, qua lætiorem ad prouentum iuuetur. Nec verò non huiuſmodi eſſe dimicationis exitus poterat. Nam & alijs in Contrariorum generibus, ceu rite Philoſophus (*a*) prodidit, paruum, cum magno congrediens, in illius cedit augumentum; & quantacũque fratris foret immanitas; lõgè infra Stanislai fortitudinem erat: vt nouum proptereà videri non debeat, ſi eam oppugnando auxerit, dumque nititur lædere; validiorem effecerit.

Suprema hęc fortaſſe, Auditores, putatis heroicæ virtutis prodigia. Neſcio tamen, an plus etiam illa ſibi admirationis depoſcant, quæ non multo poſt tempore noſter Iuuenis edidit, religioſę dum vitæ ineundæ conſilium per quaſcunque obuiorum diſcriminum moras fortiſſimè vrgeret. Quid enim? Nonne illum Dilingę intuemini, quò ſe Petro Caniſio noſtræque Societati approbaret; a ſtirpis nobiliſſimæ faſtu generosè degenerem, externorum in Adoleſcentum conuictu humillimam domeſtici Famuli perſonam ſuſcipere, omneſque illius partes ac numeros profeſſo miniſterio, tamquam vnum aliquem e grege Venalium, obire? Nonne illinc Romanum mox in iter, longiſſimum atque aſperrimum, ſe pedibus dare, ignotarum tot viarum ſpatia emetiri, ſęuientis tot cęli intemperias ſubire, tot ſeu caſuum occurſus, ſeu rerum ac locorum difficultates peruadere, iam nimio Solis æſtu retorridum, ſuperfuſis iam imbribus tabidum, hic tenaci cum luto, illic rupium cum ſalebris, fluuiorum alibi cum vadis luctantem, aſpicitis? Enimuero, niſi firmiſ-

a Ariſt. lib. 1. de Gener. & Corrupt.

miſſimum, & experimentis quibuslibet parem Peregrinantis animum noſſem; debitam hic mittentis Caniſij prudentiam requirerem. Itane adoleſcentulum, ſummo editum loco, molliter apud Suos, pro generis fortunæque ſplendore, educatum, nec vel vſu, vel ætate ad labores ſat firmum, tam prolixo, tam arduo, tam periculoſo itineri, ſine vllo ſeu vehiculi, ſeu ductoris, ſeu famuli adiumento, committere? Sed prouidentiſſimus Pater, ad examen vocatis, & geminà quaſi in lance compoſitis hinc aggrediendæ rei difficultatibus, hinc alumni ſui viribus; haud dubiè perſpexerat, primis alteras non ad plenum ſolummodo reſpondere; ſed multis quoque tantis præcellere. Crudam Stanislai ætatem eſſe, at maturam virtutem: teneram valetudinem, at robuſtiſſimam mentem: exiguam, vt in puero, corporis molem, verùm giganteam, vt in heroe, magnitudinem animi.

Iam igitur, maximorum per operum gradus, & nullo vnquam æuo abolenda ſummæ laudis veſtigia, nobiliſſimum religioſę Candidatum militiæ ad tyrocinium deduximus. Tyrociniũ, inquam? Quaſi verò conſummata iam omnimodis virtus vlterioribus probari experimentis indigeat. Ad theatrum dixerim veriùs, vbi magnificentiore cum pompà intuendam ſe præbeat. Hic profectò, Stanislae, campum habes tuæ indoli parem: hic Capitolium es nactus, tuas vbi priores victorias immortali corones triumpho: Si; vel medijs profanorum in hominum turbis, totum adeo te rapuit, tamque omnino ſibi Numen deuinxit; vt, nihil præter ipſum animus ſpirans, terrenarum quouis rerum ſenſu abdicato, iam ſopitum atque hebes humi corpus defereret; iam ſuo inde auulſum

vi-

vigore atque niſu cęlum verſùs attolleret; quãtò liberiorem diuinæ conſuetudinis Vſum terreſtri hoc in cęlo reperies? Quantò hinc velociùs, & crebriùs caleſtem tui amoris ad metam exilies? Immo quantò huc effuſiùs, maiorique cum ſupernorum affluentiâ chariſmatum, tuam ad mentem ſuis complendam muneribus, cælum ipſum deſiliet? Iam latiùs latiùſque ſpes auidas profert: iam ſua gaudia noſter Ordo vix capit: iam noua & inaudita de te ſibi pollicetur miracula. Iam.

Sed quid ego, dum muneris tanti pretium expendo; iacturæ, quę conſecuta eſt, magnitudinem, ad doloris irritamentum, exaggero? O miſeras ſpes, & omina ſucceſſu fruſtrata! O duram, nec naturis ſolùm ſenſu carentibus, ſed & nobis quoque dictam hominibus legem, (a) vt, *quæ ſpectatiſſimè floreant; celerrimè* item ſoleant *marceſcere!* Impleuit, fateor, expectationem noſtram, addo etiam, tranſcendit Stanislaus: ſed citiùs, quàm aut poſſemus ſperare; aut vellemus contingere. Longior fortaſſe illius fuiſſet vſura, ſi minùs velox maturitas. Dum ſæculorum Progreſſus intra dierum ambitum cogit: dum vitæ carceribus ſupremas laudis metas continuat; vtriuſque curriculum, quo iniri ſolet, tempore abſoluit, noſtraſque de ſe expectationes, cùm maximè incitaſſet, deſtituit: Plinianam eam arborem, (b) ceu prouentu, ſic exitu referens, quam iuxta Tiburtes, pomorum quouis genere onuſtam, ſua illa exiguum intra tempus tam inſolens opulentia confecit. Quamquam, ni, præſentibus gaudijs nimiùm indulgens, futurorum

a Plin. L. 21. Hiſt. Nat. c. 1.
b Id. lib. 17. c. 16.

rum viciſſitudines caſuum vel minùs proſpiceret; vel ſibi vltro diſsimularet felicitas; ex quo primùm tempore ſe ille nobis tantum, atque talem donauerat; ſuſpectam ilico habere, ceu fini ſuo proximam, muneris tam eximij præſtantiam potuimus: illius memores apud Senecam (*a*) pueri, quem hac ipsà olim in vrbe, virorum ingentium ſtaturam monſtrosà proceritate adæquantem, *nemo non prudens breui moriturum dixit*, vt qui *ad ætatem peruenire non poſſet, quam præceperat*: cùm, iuxta verisſimum eiuſdem authoris epiphonema, vicinus ibi *appetat finis, vbi incrementa conſumpta ſunt: nec vltimum tempus expectent, quæ maturuerunt in primo.* Augurari iam tum protinus licuit, non diu eam in terris manſuram virtutem, quæ nec deſes conſiſtere ſine aſsiduis progreſsibus poterat; nec, quò ſe ſe iam vlteriùs proferret, videbatur, præter cælum, habere. Poſcenti te igitur cælo reddidimus, conſummatiſsime Iuuenis: priùs quidem, quàm noſtris de te votis gaudijſque ſat fieret; non citiùs tamen, quàm præmaturitas virtutis tuæ poſtularet. Optabilis eras certè Mortalibus; ſed Superis debitus. Illi te, ceu quoddam Sui Inſtar, oſtentare humano generi potiùs voluerunt; quàm fruendum permittere. Cùmque iam tantum tranſegiſſes æui; quantum non ad heroicam comparandam virtutem, (hæc enim vel puero ſe largiſsimè annuerat) ſed ad illius par ſpecimen Orbi exhibendum videbatur ſufficere; grande ſibi repetierunt Depoſitum, terris verò immortalem memoriam admirationemque Tui reliquerunt. Et nobis quidem, tantarum præter laudum propiorem notitiam, illa etiam, ad

a In Conſol. ad Marc. c. 23.

ad leniendum aliquâ ex parte amiſſi Tui deſiderium, peculiaris ſors obtigit, quòd noſtram hanc ex omnibus reliquis domum tuarum eſſe, & immortalium palęſtram virtutum, & mortalium exuuiarum cuſtodem volueris: ſingulari priuilegio delectam, cui te viuens totum addiceres, vbi ſupremum laudatiſſimæ vitæ quaſi Actum perageres, quamque, non niſi ſempiternæ beatitatis cum Regiâ mutandam, vltimis, iam terras relicturus, veſtigijs ſacrares. Quæ nos ſanè veſtigia, non tamquam tyronis, & pueri, ſed tamquam abſolutiſſimi herois, neque vt hominis, ſed vt Cæleſtis alicuius veſtigia, perenni memoriâ, & religione ſeruabimus: teque Poſteris omnibus rariſſimum quoddam diuinę Dexterę, non tam exempla, quàm prodigia effingentis, fuiſſe opus teſtabimur: ideo terris exhibitum, vt documento eſſe omnibus poſſes, quantùm ordinariæ atque humanæ virtuti infuſa diuinitus, eque cælo delapſa antecellat.

Prodigiorum, & Virtutum Certamen.

ORATIO XIV.

De B. Stanislao Koſtka.

QVæ duæ res ſacrorum heroum gloriam inprimis conſtituunt, illuſtrium prodigiorum Præſtantia, & virtutum eximiarum nobilitas; eæ mihi, ſolennem Stanislai Koſtkæ laudationem paranti, non minimum ſanè, Auditores, exhibuerunt negotij: cùm vtraque primas ſanctiſſimo in Adoleſcente ſibi partes præſumeret, vtraque ſe ante alteram poni enixiſſimà vi ſummàque contentione depoſceret. Hęrebam profectò tam flagrantibus ſtudijs, tam diſcordi ambitu obſeſſus, nec, qua demum ratione ſeu contraria flagitantibus facerem ſatis; ſeu ancipiti ex aleà me poſſem expedire, occurrebat. Quid enim? A diſſenſione ad concordiam traducere litigantes conarer? Vnde mihi Agrippę Menenij flexanima & efficax voluntatibus reconciliandis facundia? Iudicis in me partes & prouinciam reciperem? Vbi Phrygij paſtoris toroſę atque craſſæ, inuidioſiſſimum ad onus ſuſtinendum, ceruices? Animo diu per multa verſato, illud tandem author diſſidentibus fui, communem vt controuerſiam, quæ humano prorſus dirimi finirique iudicio nequiret, pugnæ arbitrio decidendam permitterent: &, collatis inuicem ſignis, ambitum in Stanislao principatum, quæ fortior præſtantiorque eſſet, ipſamet ſibi iudex, manu

atque armis aſſereret. Placuit enimuero cõſiliũ: cùmque tum prodigia, tum ęmulę prodigiorum virtutes vel ad corporis rationes ſpectare, vel animi Cultum reſpicere, vel circa nominis famam viderentur verſari; vtraque pars, iuxta triplex eiuſmodi genus, diuidendas trifariàm ſibi copias putauit. Iamque adeo tali apparatu atque ordine inſtructæ,& ineundi quamprimùm decretorij certaminis cupidę hac ipsà in arenà conſiſtunt. Adeſte vos animis, Religioſiſſimi Patres, non tam indiſertę orationis auditores, quàm nobiliſſimę dimicationis ſpectatores futuri: & vtralibet pars victricis palmæ decus retulerit; Stanislao, cuius in gloriam vtrinque decertatur, plauſus meritos date.

Nec mora. En Virtutum eę, quæ ad afflictationem corporis pertinent, quaſque adeo primà in acie collocatas iam vidimus; inferunt ſigna, promouent gradum, teliſque diſtrictis impreſſionem quàm acerrimam faciunt. Parum eſt,crebris ieiunijs tenero Adoleſcenti virium alimenta ſubducere: parum, neceſſarià ſomni quiete, ad pias de nocte vigilias excitum, fraudare: parum,immitibus flagris ad vſque lanienam & ſanguinis profuſionem molles artus proſcindere: parum, ab Æqualium congreſſibus,naturæque oblectamentis abſtractum, in cæleſtium tamdiu rerum contemplatione defigere; quoad, linquente ſpiritu, defectiſque corpuſculi viribus, ſemianimis corruat. Voluntarijs id genus ſupplicijs,& vſitatis torquendi Sui artibus haud quaquam explentur. Alias præterea cum inſolitas magis, tum violentiores adhibent machinas. Fratrem (Quis crederet?) fratrem ipſum in illius vexationem extimulant, naturæque & humanitatis oblitum, atrocibus minis, tyrannico ingenio, & hoſtilibus

libus furijs ad ſæuiendum obarmant: vt, tot vndique fatigatus ęrumnis & laboribus, puer, poſtque ſummam in ſe vltro ſeueritatem expromptam, immo illiuſmet ipſius ſeueritatis gratiâ, nouos inſuper a fraternâ immanitate Cruciatus experiri aſſiduè coactus, queri quodammodo de ſanctimoniâ ſuâ poſſit, quod Cęſarianus de ductore ſuo miles, *Tot mihi pro bellis bellum ciuile dediſti*.(a) O virtutis exercitationes aſperrimas! O pugnas vel robuſtiſſimę ætati, nedum ineunti adoleſcentiæ, nimiùm quàm graues! O Viennenſe Stanislai hoſpitium, ſi ſponte ſuſcepta vitæ auſteriſsimæ ratio ęſtimetur; cum Ægypti Syrięque ſpeluncis æquandum: ſi alienæ ſæuitiæ tolerantia expendatur; vix martyrum a carceribus & palęſtris diuerſum!

Video vos, Auditores, tum iuſtâ miſeratione ob rei indignitatem commotos; tum metu etiam ſolicitos, ne tantæ ſpei atque indolis tyro, & ſi plùſquàm Herculeo animi robore effultus, æuo tamen inualidus, ſub tam immani perpeſsionum aliarum ad alias accedentium mole ſuccumbat, &, quam ampliſsimorum expectationem progreſſuum generoſis adeo initijs commouit, prænimio eorùmdem conamine exhauſtus deſtituat. Non vanus deque nihilo is timor. Athletam fortiſsimum ſuamet infeſta corpori virtus lethalem in morbum coniecit. Lucidiſsimo ſanctimoniæ Soli tantùm non ipſo in auroræ complexu intempeſtiua nox imminet. Poloniæ columen labat. Noſtræ familię ſpes deficit. Stanislaus, lectulo affixus, languet, abſumitur, ad interitum vergit. Quin etiam (O multiplicatam diſcriminum ſeriem!

O in-

a Lucan. l. 5.

O ingentis rapinę nimis auidam mortem!) quaſi concepta viſceribus lues parum roboris viriumque ad maturanda pueri fata attuliſſet; en immanis Moloſſus, nigerrimo pilorum horrore, toruis atque ignem ſpirantibus oculis, enormi vaſtitate membrorum, rabido & ſanguinem ſitiente faucium hiatu, toto demum corporis habitu ad feritatem terroremque compoſitus, (Orci apparitorem & ſatellitem Cerberum non immeritò dixeris) in decumbentem, iam iam deuoraturus, impetum facit.

Hem quid adhuc ceſſatis, Miracula? Quònam vltra veſtram opem, veſtras vires differtis? Vbi tantus ille ardor certaminis? Vbi priſtina vincendi contentio? Niſi, morà poſthabità, ocyùs in arenam procurritis, niſi veſtrum decus atque cauſam tuemini; nę iam ęmulis palmam relinquetis virtutibus: nę plus illas efficacitatis habuiſſe ad profligandam; quàm vos ad ſeruandam Stanislai vitam, propinquum ipſius funus palàm omnibus fecerit. Bene eſt, Auditores: ſui alumni, ſuique Decoris cura cæleſtium primam munerum aciem ad prælium impellit. Aduolat celer ſubſidio: pugnam ſtrenuiſsimè conſerit; aduerſæ parti victoriam penè e manibus rapit. Tartareum irruentis Moloſsi prodigium, ſalutari Crucis ſigno ſemel, iterum, tertiò repulſum, omni prorſus ſui explendi furoris ſpe amiſsà, nequidquam infrendens atque vlulans, præcipiti ſe fugà ſubduxit. Neque hìc modus cæleſtis auxilij. Salus ipſa vltro præſens (quidnì enim hoc nomine ſanctiſsima Dei Parens vocetur?) ipſamet, inquam, manifeſtà in luce aſpectabilis, inuictum humanis opibus morbum, & iam vltima inferentem potiùs, quam minitantem, abegit. Quid plura? Bis modò conclamatus

ac

ac depoſitus Iuuenis e ſuo tantùm non pheretro incolumis & valens ſurrexit.

Atque vtinam ſtabile hoc munus, & plena tam illuſtris victoriæ lætitia permaneat. Sed Stanislaus ſecurè gratulari nos vetat: qui, virtutibus, quàm prodigijs, fidelior, id penè vnum moliri videtur, reparatam vt diuinitus valetudinem grauiſsimis in tenerum corpus imperijs, nimiàque viuendi auſteritate, & nouis aſsiduè ſuſcipiendis laboribus, rurſus imminuat, labefactet, euertat. Quò enim, rogo, illa pertinet tam inclementer repetita ieiuniorum, ac vigiliarum aſperitas? Quò laborioſiſsimum ad religioſa caſtra iter, flagrantiſsimâ ęſtate ſuſceptum, perque decem prope ſtadiorum millia, ſine vllo vehiculi leuamento, tot inter viarum Incommoda Romam vſque perductum? Quò denique illa tum reliquarum virtutum, nunquam interquieſcens contentio, tum diuini amoris potiſsimùm vis, per noua quotidie gliſcentium incrementa flammarum validior? Quò, inquam, hæc omnia reſpiciunt, niſi ad eam extinguendam, quam cæli benignitas illuſtribus adeo prodigijs gemino nuper ab interitu ſalutem eripuit? Et verò nimiùm maturè id peractum. Voſque adeo primi huius victoriam certaminis, non ſine publico luctu, & communi tum noſtrę Societatis, tum Poloniæ iacturà, Stanislai retuliſtis Virtutes. Dum enim corporis ſui, non dicam incurioſus cuſtos, ſed & hoſtis acerrimus, contra delicati illius Cęſaris morem, (a) cui *nulla erat vita, niſi nouas* quotidiè *voluptates exquirere*; nullam ipſe vitam agnoſcit, niſi nouas quotidie ſibi pœnas infligere: dum infirmam ętatem aſsiduis vehemen-

a Lampr. in Vita Heliog.

mentiſſimiſque conatibus,perpetuò ſibi inſtans, fatigat: dum, quod primo toties ab æuo iactare conſueuerat, non terrenis caducisque rebus, ſed cælo æternitatique ſe genitum reputat: dum vobis poſtremò liberaliùs effusiùſque, quàm virium tenuitas pateretur, indulget; in ipſo cum religioſæ vitæ, tum adoleſcentiæ tyrocinio conſumptus, ſtipendia mortalitatis expleuit: relictàque nobis, & poſteritati vniuerſæ cæleſtium ſuorum exemplorum immortali memoriâ, reliqui temporis ſpes, &, quos pollicitus in poſterum fuerat, vberrimos fructus obitu prǽmaturo intercepit.

Sed quid vltra in luctuoſi adeo conflictùs imagine hæremus? Agedum, quò lætiora nos vocant ſpectacula. Iamdiu enim Prodigia, cùm laborantem primâ in acie ſuam cauſam viderent; alterum porrò, ad excipiendam reſtituendamque in integrum pugnam, ſuorum emiſere militum agmen. Hic verò perplexam inprimis, & quàm maximè ancipitem dimicationis aleâ intueor. Non enim, quemadmodum in priori congreſſu, altera pars corporis vires deſtruere; altera ſartas tectas tueri contendit: ſed vtraque ad præſtantiſſimi Iuuenis animum ſuis donis excolendum certatim enititur: eoque velut in cardine diſceptationis totius vertitur Summa; vtra tandem admirabilitatis plus habeant, num extraordinaria inſtrumenta & miracula, quibus ad perfectæ apicem ſanctimoniæ cæleſtis Stanislaum Gratia excitauit; an ſingulares heroicæque virtutes, quibus cæleſti Stanislaus Gratiæ reſpondit. Et primò quàm eximia, quàm rara, quàm longè vſitatum & communem modum egreſſa ſupremus Bonorum omniū largitor e ſecretiori ſuæ liberalitatis theſauro deprompſit chariſmata, illius vt animum, a terrenis

renis quibuslibet curis intactum, ſibi duntaxat, ſuoque & rerum cæleſtium amori ſacraret? Vulgarene quiſquam contemplationis illud munus vocauerit, quod etiamtum puero, & profanâ in hæretici hominis domo verſanti impertiuit: quo tempore tantâ inter orandum liquidiſſimæ voluptatis affluentiâ repleri, altèque adeo in intimos diuinæ familiaritatis receſſus admitti conſueuerat; vt, ſenſibus frequentiſſimo tranſfugio deſertis, totus in ſuperiora emicans animus vel ipſam interdum oneroſi corporis ſarcinam ab humo ſublimem attolleret? Gregarium diuinæ beneuolentiæ monumentum cenſebimus, auguſtiſſima quòd Numinis Parens tum ægro Viennæ ſacroſanctum virginalis ſui vteri pignus obtulerit; tum morienti hac in domo viſendam ſe iterum, vnà cum ſacrarum Virginum choro, ad proximæ immortalitatis auſpicium præbuerit? Quid pretioſiſſimum Diuini Corporis pabulum, cæleſtium miniſterio ſpirituum ſemel, atque iterum eſurienti delatum, plurimne extraordinarium videri poteſt atque inſolens alendæ illius pietati prodigium? An non eiuſmodi munera, quæ vel canam emeritamque Aliorum ſanctitatem admirandam efficerent; in religioſo tyrone, pueroque duodeuiginti necdum annos egreſſo omnem penè admirationem excedunt?

Excedunt haud dubiè: nouàque adeo & inſolitâ quadam eſt vobis contentione enitendum, vt ne hoc ex admirabilitatis certamine inferiores diſcedatis, Virtutes. Totas, eia, vires in auxilium vocate: ſumma quæque, & heroica maximè exempla in Medium proferte. Nil, niſi egregium, ſingulare, & diuinum tantorum Aduerſariorum exigit robur. Sed nullis generoſiſſimæ Amazones vel denuntiationibus

N no-

noſtris, vel Riualium machinis opibuſque terrentur. Alacres & erectæ ad virium experimentum proſiliunt. Quantiſcunque miraculorum præſidijs ſuum cęleſtis Gratia clientem inſtruxerit; nihilo ijs exaggerata & magnifica minùs oppoſituras ſe ſperant abſolutæ ſanctimoniæ miracula. Nec temere quidem, ſi, quibus hæc earum fiducia innitatur momentis, perpendimus. Quidni enim ſumma inter virtutis prodigia eam Stanislai fortitudinem recenſendam putemus, qua fratris contumelias, oppugnationes, & verbera, ne ab inſtituto ſanctioris vitæ curſu latum vnguem diſcederet, per biennium excepit, nulloque non ſolidior adamante ſuſtinuit? Quidni admirabilitatis rariſſimæ inſtar exhibeat virginalis caſtimoniæ ille nitor, obſcœnæ adeo cuiuslibet, nedum intra animum admittendæ, ſed vel auribus percipiendæ, fœditatis impatiens; vt ſola huius mentio integerrimum iuuenem, ceu veneni præſentiſſimi halitus, ſemimortuum proſterneret? Quibus demum conferre ſe metuat portentis diuinæ charitatis ille ardor, puerili quàmuis in pectore tam adultus ac vehemens; interioris vt hominis ſenſibus ſeraphico iamdiu igne ad purum excoctis, vix vllo, ad eum temperandum ſæpius adhibito, ſiue liberioris afflatu auræ, ſeu gelidi humoris lenimento inhiberi ſat poſſet, ne ipſummet corpus cæleſtibus prorſus flammis abſumeret?

En itaque in Medio propoſitam pugnę nobiliſſimæ imaginem. En partis vtriuſque præſidia, copias, & vires. Altera Stanislaum, animo a ſenſibus, corpore ab humo ſublatum, pulcherrimi trophæi inſtar ob oculos ſtatuit; Altera eundem, virginalis verecundiæ deliquio ſemianimem humi deiectum, ceu præclarius & pulchrius;

chrius ſuæ gloriæ monumentum opponit. Illa Superos ad eum inuiſendum e cælo pluries delapſos; Hæc ipſum amoris rapidiſſimi pennis aſſiduè in cælum euolantem dat cernere. Diuinæ Illa menſæ delicias Angelorum bis munere oblatas; fratris Hæc furias per biennium fortiſſimè toleratas ad ſuæ cauſæ firmamentum & tutamen producit. Vtraque demum ſibi laudis principatum aſſerere, quanto poteſt niſu atque ſtudio, contendit. Quid nos, Auditores? Num ijs obſtinatè adeo pugnantibus ad certaminis vſque finem vacabimus? Quin potiùs, quando & ſerus plùs nimio tam ambiguæ dimicationis euentus oſtenditur; & tertia iam acies aduerſis vtrinque ſignis in arenam progreditur; breuiſſimi temporis memores, nonnullam huic quoque contemplationis noſtræ partem ſepoſitam atque impenſam velimus.

Et certè pulcherrimum, nulloque non dignũ theatro ſe præbet ſpectaculum: cùm hinc ſuis Cælum admirandis muneribus Stanislao decus atque famam adiungere; ſuâ hinc Stanislaus ſe modeſtiâ deprimere, mortalique gloriæ ſuffurari nitatur. Sed enimuero, ſi quid mihi ex partium apparatu atque robore de initæ concertationis euentu augurari fas eſt; irrita hìc, Stanislae, demiſſionis tuæ molimina erunt. Iam enim ad Triarios res venit. Nimia Prodigiorum aduerſantium multitudo ſe obijcit. Vehementiſſimè incumbunt; vtque & primi iacturam agminis redimant, & ſecundi ancipitem fortunam expediant; maximâ vndique vi prælium inſtaurant. Eſto, dum Viennâ profugeres, lacernę ignobilis ſordibus, corrogandoque in morem mendicabuli victu paterni generis claritudinem texeris. Eſto, Dilingano in conuictu, famuli perſonam indutus, ad abiectiſſi-

ma quæque miniſteria obeunda eximiæ tuæ indolis generoſitatem demiſeris. Eſto, ſingularia tuum in animum diuinitus congeſta ornamenta ſilentio obſcurare, ne a famà deprehenderentur, potueris. Num etiam tot alia quantocunque virtutis artificio cęlare fas erit pręſtantiſſima Decora, quæ vltro ſe oculis ingerunt, & tuam aſtantium cuilibet ſanctimoniam diſertiſſimà teſtificatione confirmant? Num illos diuinæ lucis radios vmbris inuoluere, vlloque diſſimulationis ſipario velare continget, qui ex tuo Diuina contemplantis vultu, interioris teſtes Solis erumpunt? Fac, adſit facultas: quì eà vti poteris tamen, ſi, longè tunc a ſenſibus profugus, tuæ vnus gloriæ fulgorem non perſpicis? Adde, quòd non ſopitum duntaxat per inſidias aggrediuntur; ſed vel maternis viſceribus clauſum inuadere feſtinarunt Miracula. Niſi fortè nullo ex Domeſticorum relatu accepiſti ſpectatiſſimum illud, & inprimis admirabile oſtentum, quo tuam, priùs quàm te, ſanctimoniam corporatum Numen voluit agnoſci: cùm fœtæ Parentis in vtero auguſtiſsimi ſui nominis ſpeciem, radijs, prout vulgo effingi conſueuit, vndecunque pręcinctam, expreſſit: iam tum palàm faciens, quale ibi lateret cæli Depoſitum, quod tam ſacro nobilique inureretur ſignaculo. Quàmquam, ſi cæleſtia huiuſcemodi Decora Stanislai vel a ſenſibus tantummodo deuij, vel nondum in vitam atque lucem egreſſi oppugnandam ſibi humilitatem ſumpſiſſent; non omnis tunc etiam illorum admirabilitatis conſecuto dein tempore aliquatenus minuendæ poteſtas & occaſio abfuiſſet. Quid, cùm vel exanimem, vltimàque neceſſitate proſtratum oppugnare adhuc pergant? Vllane in tam diſpari pugnà iam ſuperet ſeu vincendi ſpes, ſeu

ra-

ratio obſiſtendi? Actum eſt procul dubio. Iam, non cunctis duntaxat remotis obicibus, ſed vel ipſo ſublato certamine, plenam ſibi gratulantur victoriam, ſplendidiſſimoque per Orbem latè vniuerſum triumpho inuehuntur Prodigia. Iam victrix Adoleſcentis ſanctiſſimi gloria, non Domeſticorum ſolummodo, ſed remotiſſimarum etiam gentium admiratione, atque plauſibus colitur. En Mortalium innumeri votiua illius aris donaria, ex grauibus morbis viteque laboribus mirà ope vindicati, ſuſpendunt. En vel muta cadauera, quam ſimul cum vitâ per eum receperunt, vocis vſuram ſeruatoris ſui laudibus deuouent. En primariæ tot vrbes ſuis defenſam a Tectis ingruentium quà hoſtium, quà flammarum perniciem, ampliſſimis tantorum authori munerum præconijs gratijſque perſoluendis, teſtantur. En Polonia vniuerſa ſuum pridem alumnum, nunc etiam patronum ac vindicem, aerio longè curru ſublimem lętabunda plaudenſque proſequitur: qualem olim memorant viſum, cùm immanem Barbarorum procellam, quam Othomanicus Xerſes, Oſmanus, totius ampliſſimi ſui imperij delectu, ad nominis Chriſtiani vaſtitatem coegerat; a Patrię Europæque ceruicibus, aſſertor præſentiſſimus repulit. En poſtremò Chriſtiana omnis Reſpublica, tot, tamque illuſtria, circumquaque terrarum per orbem diffuſa, ſingularis gloriæ argumenta demirans, in Vrbani VIII. Pontificis Maximi teſtimonium, immo oraculum iurat: & Stanislaum, paruum quidem Adoleſcentem, ſed magnum ſanctitatis Heroem, vnanimi ſuffragatione deprædicat.

Nil iam igitur de Miraculis querimur, quòd mortalem noſtri Iuuenis vitam a Virtutum oppugnatione non ſatis defenderint: dum illius

& animum raris adeo excoluerunt muneribus; & nominis famam immortali Poſterorum memoriæ ac celebritati ſacrarunt. Sed neque vobis, Virtutes, tam ſpecioſum & magnificum fuit ſeu palmam primò in agmine de Prodigijs tuliſſe; ſeu parem in altero vim eorum obieciſſe conatibus; quàm in tertio hoc & nouiſſimo ſuperatas ceſſiſſe: cùm vel ipſa veſtræ laudi Aduerſariorum famuletur victoria, neque tam illi de vobis; quàm vobiſcum, triumphent.

Vnum illud hic ſupereſt; vt, nobiliſſimo iam confecto certamine, tuam tibi, Stanislae, inſignem eximiamque adeo gratulemur felicitatem, cuius in ornamentum ac decus tota hæc de principatu certantium, hinc Prodigiorum, hinc Virtutum conſpirauit diſcordia. Te ſiquidem admirabilis Dei prouidentia ſuæ, cum in largiendâ, tum in remunerandâ ſanctimoniâ liberalitatis ſingulare quaſi exēplum propoſuit: vnde omnis ſecutura poſteritas diſceret, quid munerum e cęlo liceat ſperare, quid officiorum cælo deceat reponere. Fruere his tam præſtantibus titulis, Adoleſcens ſanctiſſime: &, quoniam duo in orbe terrarum ſunt loca, peculiari tibi nexu deuincta, Polonia nimirum, quæ ad vitæ mortalis vſuram te genuit; & Quirinalis hæc domus, quæ ad immortalis æui præmia enutriuit; ita vtrique te diuidas; vt illam, externos contra hoſtes pro Religione pugnantem, tuorum Prodigiorum theatrum; hanc verò, interioris militiæ authoramento Religioni deuotam, tuarum perpetuò eſſe velis palæſtram, atque effigiem Virtutum.

Cæ-

Cælestis vitæ atque indolis ſpecimen.

ORATIO XV.

De Beato Stanislao Koſtka.

PRoducturus in hodiernam panegyrim admiranda & heroica Stanislai Koſtkæ, Adoleſcentis ornatiſſimi, Decora, nullum ijs exprimendis inuenire me arbitror poſſe illuſtrius, ac ſignificantius elogium; quàm, quod ſuis ipſemet ſibi verbis compoſuit: cùm maiori natû Germano, validiſsimis, nec verborum ſolummodo, machinis ſingularem ipſius ſanctimoniam aſſiduè oppugnanti, cæleſtibus, non terrenis ſe genitum curis, aſſiduè reponeret. Nimirum duabus his quaſi lineis totus vſquequaque, cum eximijs ſuis dotibus vniuerſis, Stanislaus iconicè adeo depingitur; vt nullam ipſius abſolutiorem ducere imaginem vel ſummorum oratorum ingenium quibuslibet eloquentiæ pigmentis & conatibus queat. Percurrantur quæcunque terrarum incoluit loca: ſinguli, quos emenſus eſt, vitæ gradus luſtrentur. Nuſquam certè diuerſum, nuſquam hoc diſcrepantem ab exemplo eſt deprehendere. Caducis vbique altior rebus, diuinum vbique ad exemplar effictus occurrit: nec *Mundanum* promiſcuè (*a*), qualem, de ſuâ interrogatus Patriâ & Republicâ, magnificè ſe iactauerat Socrates; ſed, quod multò ſplendidius, ſupremi tantùm Orbis indigenam atque ciuem ſe prodit. Quid multa? Si Erythræis Vnionibus

a Cic. 5. Tuſcul.

Maior eſſe cæli, quàm maris, ſocietas a Veteribus traditur; (*a*) nobiliori hoc in Poloniæ Vnione ſolius nobis obijcitur cæli ſocietas, terrarum nulla. Cur igitur in ſui quæſitu ac delectu argumenti mea laboret oratio, dum tam proprium, tamque illuſtre ſub ipſis vltro manibus naſcitur? Quin hic potiùs conſiſtat: hoc ſe totam effundat in campo: hanc vnicè ſuis curſibus metam proponat: abunde laudatura meritiſſimum Iuuenem, ſi, qualem ſe toties promiſit; talem ſemper vixiſſe, vni factum, atque deditum cælo, monſtrauerit.

Nec verò morata diu ſunt generoſiſſimæ huius, quam propoſui, virtutis atque indolis documenta apparere. Priùs ſe exhibuerunt videnda, quàm ipſe videri Stanislaus poſſet: dum, in maternorum adhuc viſcerum penetralibus latens, auguſtiſſimo, quod vterus præferebat tanti pignoris cuſtos, Seruatoris Dei nomine eſt inſignitus. Quaſi verò immortalis Superùm Regia lectiſſimo iam tum fœtui manus inijceret, nec vllam inde partem alijs deberi, totum diuinum, totum omnino ſuum fore contenderet. Si enim luculentum quoddam futuræ claritudinis omen eſt viſum (*b*), Parentis ita ex aluo Neronem prodiſſe; *vt priùs penè* Solis *radijs contingeretur, quàm terrâ*; ecquis luculentius naſcituri ad ſumma omnia noſtri Infantis præſagium non duxerit, æterni priùs Solis illuſtratum radijs fuiſſe; quàm ab humo, nedum tangi, vel aſpici poſſet?

Deſine igitur recenti hoc in partu quidquam tibi iuris locique, Tellus, promittere. Quid cæleſti de alumno tua ordiris conſilia? Quid herois

a Plin. Lib. 9. Hiſt. Nat. c. 35.
b Suet. in Ner. c. 6.

rois teneri cunas ſordidis abiectiſque, cuiuſmodi vel ſuperbiſſimæ quæque tuæ ſunt, deſtinationibus cingis? Tam eximius, tam præſtans, tam ſublimibus auſpicijs prognatus nihil ad te pertinet puer. Nihil tecum habiturus commercij eſt, niſi quatenus te pedibus proteret. Sub illius eſſe potes veſtigijs: altiùs eniti, ad cor aſpirare, occupare mentem non potes. Experiri rem libet? Ageſis, tuorum quidquid eſt munerum ipſi alliciendo depromas. Mentiar, niſi omnia pro æſtimatione Contemptum, pro gratiâ faſtidium & Repulſam inuenient: niſi omnibus ſe ſe altiorem, penitùſque inacceſſum probabit: niſi inter omnia, non aliter, Titareſius quàm amnis (*a*) inter hoſpita Penei fluenta, vel diuerſos quoſque inter latices oleum, citra vllam confuſionem, ſincerus, intactus, ac ſuperior verſabitur. Ita planè res cecidit. Nihil a terrâ illecebroſi atque ſplendidi omiſſum, quin eo ad capiendum vteretur Iuuenis animum. Lautiſſimas naſcenti opes affudit: pronum ad honores ampliſſimos iter per illuſtrium veſtigia Maiorum aperuit: voluptatibus conciliare tum præſenti earum copiâ, tum ætatis naturæque ſuaſu validiſſimè inſtitit. Nullo tamen ſucceſſu. Nequidquam tot exprompti Conatus: omnia in irritum tentamenta abierunt.

Nam quod vnum ex tot lenocinijs ac donis Stanislai non dicam animum capere, ſed vel oculos potuit allicere? Num auri affluentia? Magna quidem illius vis, rapaces illecebræ, potentiſſimus faſcinandis cordibus fulgor: adeoque paucos eſt reperire, quorum animos nec poſſeſſione ſuâ inquinet, nec in admirationem amoremque Sui rapiat; vt Hebræus

 ille

a Homer. Lib. 2. Iliad.

ille (*a*) Sapiens eiuſmodi quempiam, non ſecus ac eximiæ raritatis phœnicem, ſibi oſtendi depoſcat. Sed habeo, quem ipſi contemplandum obijciam, Stanislaum, largioris fortunæ plùs, quam contemptorem. En (poſſum ſciſcitanti reponere) En, ingenui probique illum oris adoleſcentulum vide: qui, arrepto e Germaniâ curſu, per ignota, & laborioſiſſima itinera, vt vt pedes, & ſudore atque anhelitu exhauſtus, alacer tamen & feſtinus Romam contendit. Quæriſne, quid paternis tam diuerſum a ſedibus rapiat? Quid iter tam aſperum molli puero præſcribat? Quid tot per labores ſeu petat, ſeu fugiat? Breuiſſimè dicam. Suas opes, ſuos cenſus, patrimonium ſuum fugit. Religioſa paupertas optatiſſimus eſt ſuſcepti curriculi terminus. Hanc Alpium trans fines, dena propè ſtadiorum per millia, imbecillitatis ſuæ immemor, Parentum iracundiæ ac doloris ſecurus, nulloque ſeu natalis Soli, cui tergum obuertit, deſiderio; ſeu difficultatum, quæ obijciuntur, metu retardatus, cupidiſſimè inſequitur, & quibuslibet bene redimi putat ærumnarum ac laborum impendijs. Iam igitur, qualem exoptabas, vidiſti, immo etiam maiorem, quàm optabas, heroem. Qui poſt aurum non abiret, popoſceras. Qui ab auro vel refugeret, dedimus. Gratulare, prout decet, tam nobili terrenarum opum faſtidio: ſique ampla & eximia ab ijs ſe ſolummodo continenti præconia parraueras; ampliora & ſplendidiora nunc multò ab ijs etiam abhorrenti perſoluas. Me ſiqui-

a Eccleſiaſt. 31. *Beatus diues, qui inuentus eſt ſine maculâ, & qui poſt aurum non abijt, nec ſperauit in pecuniâ & theſauris. Quis eſt hic, & laudabimus eum?*

ſiquidem conſtituti ad dicendum temporis breuitas in hac tecum extollendâ cæleſtis magnitudine animi prolixiùs immorari non patitur: ſed illud iubet potiùs oſtendere, quàm plenè integrèque propoſito hactenus Decori generoſa illuſtrium titulorum, auitarum imaginum, & mortalis gloriæ auerſatio reſponderit: tantò certè laus excellentior, quantò id, quod negligitur, maioris eſt humana inter Bona dignitatis ac pretij. Cùm honor tanti vel a Sapientibus fiat; vt Hominem illius & appetitione a Brutis ſecerni; & poſſeſſione ad Deorum ſortem quàm proximè euehi, Simonidis ore, affirmauerit Xenophon. (*a*)

Vnde igitur, quæ hoc itidem Stanislao aſtruant vacui a cupiditate tam ſplendidà animi decus, argumenta deſumam? Num Parentis Ioannis Koſtkę indignabundas & minaces proferam literas, quibus indecoram Natalibus excellisſimis humilitatem, Romanumque illud iter, plebeij erronis in morem, non ſine fœdiſſimâ totius ſui generis labe ſuſceptum, filio exprobrauit? Num terrenæ cuiuſque dignitatis magnanimum transfugam ex hoc, in quem vltro ſe abdidit, religioſæ demiſsionis ſeceſſu producam, deformi coopertum illuuie, nihilque a mediaſtini vilisſimi ſpecie diuerſum, qualem, dum infimis culinæ miniſterijs operaretur, a Cardinali Comendono accerſitus, Eminentisſimo Eccleſiæ Principi parabat ſe ſiſtere, multò voluntarijs ſuis ſordibus, quàm natiuæ conditionis apparatu atque Inſignibus latior? Num Viennam, vnde abijt, reuertar: & hoſtilibus fratris iniurijs ſeruilia reponentem obſequia, illius verrentem cubiculum, illius calceos pur-

a In Hiero.

gantem exhibeam? Immo, his omnibus, deque hoc genere alijs tranſmiſſis, Dilingam libet potiùs cum ipſo diuertere: vbi præſtantiora, multòque ſingularia & heroica magis proculcati faſtùs exempla intueri fas fuerit. Nam quid, rogo, tam rarum, maiorique admiratione dignum, quàm Iuuenem, ſenatoris ampliſſimi filium, eumque religioſo nondum ordini aſcriptum, ſed ſui tum etiam arbitrij, externoque nil habitu profanorum ab hominum turbis diſsimilem, nobilium in Adoleſcentum collegio, qui tum ſplendorem ipſius generis noſſent; tum omni ab humilitatis ſpecie abhorrerent; communis famuli titulum atque munus complecti: &, quidquid profeſſionis tam abiectæ ratio præſcriberet, ad omnium imperia,ſub oculis omnium, peragere? Talemne, Koſtka, & tuo ſic diuerſum te nomini aſpicio? Hæccine illa ſunt munera, quorum in ſpem te Parentes aluerant? Hiccine debitus ſtirpi, fortunæ, conditioni præclariſsimæ Cultus? Itane ad eas vltro ſordes deſcenderis, quarum vel gregarios homunciones puderet? Itane nihil veritus ſis, ne tam ignobili miniſterio a maiorum generoſitate videreris deficere, neu ſpectatiſsimam paterni, maternique claritudinem ſanguinis indecori Notà pollueres? O animum (libet hic exclamare) vel ijs, quæ celſiſsima humi ſunt, altiorem! O virtutem, cui nulla eſſe par poſſit gloria Mortalium, cùm omnem, quantacunque eſt, gloriam Mortalium deſpectam irriſamque ſub pedibus habeat!

Eſto tamen præclara & egregia iſta ſint cæleſtis cuiuſdam indolis ſigna; non ideo terrena quæuis heroem noſtrum euaſiſſe contagia iam probant. Poſt diuitiarum, atque honorum repulſas illecebras, tertia adhuc ſupereſt, pari

gene-

generoſitate aſpernanda, flexanima in primis, & adoleſcentiæ fatalis propemodum, ſiren: voluptas nimirum, cuius inſidioſiſſimum viſcum, nedum minores auiculas, vel ipſos perſæpe ſublimium aquilarum volatus captiuat: quæque, vt Athenienſi Socrates diſputabat in carcere (*a*), trabalis inſtar claui, luteo immortalem animum corpori penitiſſimè affigit. Hinc adeo, periculi tam præſentis aleà commotus, & hanc eſſe Homericam illam Scyllam (*b*) interpretans, aduersùs quam nulla virtus, vnicumque ſit fuga præſidium; Stanislai vigilantiam excitare iam in animo habebam, fallaciſſimæ vt peſtis inſidias omni ſtudio caueret: venenatis ab illius delinimentis ſe totum auerteret: ſollerti noxiarum conſuetudinum fugà, peruigili ſenſuum cuſtodià, internecino cum prauis cupiditatibus bello, acri & ſeuerà vel inſontis corpuſculi afflictatione omnem illi ad capiendum ſe anſam præcideret. Sed pudet enimuero, pudet, quòd huiuſmodi tam inanibus curis ad animum aſpirare permiſerim: meique illam ſedulitatem timoris damnare, ceu prorſus ſuperuacuam & inutilem, cogor. Quid enim ad improbæ voluptatis vitanda commercia eum ſit opus hortari, qui tamquam corporeæ concretionis omnino expers, nullo erga ipſam, niſi odij, niſi horroris, afficitur ſenſu? En, vt ad quemlibet inuerecundi ſermonis Afflatum nauſeà totus & faſtidio tabeſcit, animoque deficiente, humi ſemiuiuus procumbit. En, vt fraternis quibuslibet furijs, contumelijs, verberibus ſe mauult per biennium ſubijcere; quàm vel permiſſas

a Plat. in Phœdone.

b Homer. Odyſ. 12. *Immortale Malum, nec expugnabile: nec vllum eſt auxilium: fugere ab ipsâ* [illegible]

miſſas oblectationes genio indulgere, de quæ ſummâ innocentiæ cuſtodiâ,& virtutis circumſpectione tantillum remittere: duplici ſanè Merito ac nomine victima pudicitiæ vocandus, cum ob intimum ſui animi angorem, quo, ipſam violari audiens,penè ad mortem conficitur; tum ob alienæ furorem ſæuitiæ, quo, ipſius omnimodæ ſecuritati proſpiciens, durè adeo immaniterque torquetur. Nam cæteroqui,ad vexandum ſubigendumque corpus quod pertinet; adeo graue ipſi bellum indixit, adeo in illud cruentis verberationibus ſæuit, tantum feſſo & languenti de tempeſtiuà ſomni quiete, deque neceſſarij cibatùs alimento ſubducit; vt fræno potiùs, quàm ſtimulis, egeat: &,niſi ad feſtinandum ſibi Obitum præcipitare currentem velimus; mutanda cum illo agendi ſit ratio, nec ad Sui afflictationem importunis vrgendus hortatibus, ſed, vt nimiæ modum ponat ſæuitiæ, natiuæque imbecillitatis rationem habeat, monendus.

Bene igitur eſt. Nullum in Stanislai pectore iam tellus ſibi vindicat locum. Omnes illius Nexus euaſit: omnes, qui ad ima propendent, Affectus neſciuit veriùs, quàm exuit: omnibus labentium rerum ſe curis intactum probauit. Quid ſupereſt, niſi,vt totus a cælo vſquequaque occupetur, puriſſimæque inſtar flammulæ, ab oneroſis quibuſque ſincerus contagijs, ad debitam ſibi ſupremam & nobiliſſimam Mundi euolet ſedem? Aliud tibi regnum, Fili, quæras,oportet: nam te Macedonia noſtra non capit (*a*), Philippi fuiſſe Regis verba traduntur, heroicum, nedum virile, in Alexandro puero ingenium mirantis. Iuuat heroi quoque noſtro ſimi-

a. Plut. in Alex.

ſimiliter plaudere. Alium, Stanislae, tibi Orbem, alium tuis affectibus campum require. Infima hæc vulgarium animorum domus, pereuntium hæc corporum humilis Patria nimiùm infra tuæ altitudinem indolis iacet. Non capere tantam virtutem, non æquum poteſt aperire tam nobilibus ſtudijs theatrum. Illa illa ſempiternæ beatitatis, ac Numinis Regia te vocat. Suos illa tibi vltro ſinus recludere, ſuis ad plenum cumulare te muneribus geſtit. Illic æuum deinceps, nequidquam obſtante iſtius, alieni veriùs, quàm tui, corporis luto, immortalium vſque ſocius & contubernalis ſpirituum traduces. Nemo quippe diuinorum capacior, quàm, qui ab humanis & inferioribus maximè vacuus: vtque Volucrum generi, quas ob pedum vel paruitatem, vel Defectum Apodas vocant (*a*), infimæ illius partis præſidium maiore tum alarum ſpatio, tum volandi pernicitate compenſauit natura; ſic & hominis animo tunc maioribus licet alis ad ſumma & cæleſtia ſe attollere; cùm nullis in imo terrenarum cupiditatum quaſi pedibus nititur. Ita ſanè, Auditores, Stanislaum alloqui poſſum. Hos illi ſuæ integritatis pulcherrimos fructus, hanc cum Superis conſuetudinem habeo promittere. Promittere autem? Immo gratulari, ceu iampridem conceſſam. Neque enim mera iſta quis putet ſpei humanæ argumenta, venturæque tãtùm ſortis præſagia. Sed multò penitiùs, quàm ego vel augurari mente poſſem, vel verbis exprimere, mortalium contemptorem Bonorum in æternæ ſuæ lucis ſacraria, beatiſſimamque ſuo-

---

a Ariſt. L. 1. de Hiſt. Anim. c. 1. & Plin. L. 10. Hiſt. Nat. c. 39.

ſuorum conſortionem ciuium ſummus Orbis admiſit. Cuius rei expreſſiorem notitiam ſi a ſingulis vrbibus, ipſius olim hoſpitio illuſtratis, hic vellem exquirere; quæ, quàmque eximia de illo promentes teſtimonia audiretis? Vidi ego ſanctiſſimum Hoſpitem (referret Vienna) bene magnam dierum, noctiumque partem in diuinis contemplandis traducere, adeo a ſenſibus deuium; vt, ni flagrans in vultu ardor, & auulſum ab humo corpus ſuſtentantis vt cùm maximè animi, ſpirituumque plus etiam quàm vitalium certam fidem feciſſet; de illius peracto iam interitu poſſem non iniuriâ metuere. Vidi cæleſtes Genios ad eum, coniunctiſsimum ceu ſodalem & collegam, inuiſendum deſcendere, morboque, ſed diuini plùs panis deſiderio, languenti ſacrum illud animi pabulum, & pharmacum immortalitatis afferre: cùm tam viuidam interim ſeraphicæ cuiuſdam charitatis atque indolis ille ſpeciem præferret; vt ſolius febris diſcrimine, vtrinam inuiſerent, vter inuiſeretur, liceret dignoſcere. Vidi. Sed externos quid teſtes audire, tamque diſſito in Orbe propoſitæ rei veſtigia indagare ſit opus: cùm eâ ipsâ verſemur in domo, quam Stanislaus &, diuinis liberiùs vacaturus commercijs, terrenum ſibi tamquam cælum delegit; &, ceu quoddam terrarum atque cæli Confinium, extremis, maximèque adeo cæleſtibus conſignauit, iam iam Superos aditurus, veſtigijs? Ipſa potiùs, Megarenſis illius lapidis ritu (*a*), qui a ſuperpoſitâ olim Apollinis citharâ perpetuam, ad eiuſdem exprimendos deinde concentus, traxiſſe vim fertur; humanâ maiorem Stanislai ſanctimoniam, quam arcano tunc excepit hoſpitio;

---

a Pauſan. L. 1. in Atticis.

tio; vocali publicoque nunc exponat præconio. Ipſa affuſam renarret meritiſſimi Iuuenis animo ſupernarum opum tam vberem copiam; vt poſthumæ beatitatis pluſquàm preludium referret: totumque adeo cum ſuis dotibus cęlum, tamquam ipſius e terris aduentum operiri diutiùs non ſuſtinens, ad eum in terras videretur delapſum. Ipſa nobis commemoret, quoties alumnum hunc ſuum admirabunda ſuſpexerit, in quodam quaſi ſenſuum iuſtitio, fluxarum prorſus rerum immemorem, ſolà immortalis Patriæ aurà viuentem, æternique tanto Solis tum fulgore illuſtratum, tum ardore ſuccenſum; vt, eam animus ſe maiorem affluentiam non capiens, terrenos quoque artus iam foras emicantibus radijs, beatorum ad corporum inſtar, perfunderet; iam penitùs excoquentibus flammis, ad holocauſti penè morem, conſumeret. Ipſa demum tyronis emeriti triumphalem ab humanis rebus exitum referat, feliciſſimo præſentis Deiparæ aſpectu, & illuſtri ſacrarum Virginum pompà honeſtatum: ſi tamen ab humanis tum rebus exceſsiſſe potuit videri, qui nullum cum ijs vnquam commercium habuerat: aut in cælum traductus, qui primo vſque ab æuo perpetuam ſuorum ibi affectuum, totiuſque ſui animi ſedem poſuerat. Ipſa, inquam, hæc in Medium producat: poſtque tot ſummi ponderis, exploratiſsimæque fidei argumenta, cuiuis tandem iudicandum relinquat, num eiuſmodi heros ex corporeo quidquam luto in animum traxerit: an potiùs, ceu mea demonſtrandum ſibi oratio ſuſceperat, mortalium vſquequaque contagiorum immunis, angelicam & cæleſtem prorſus vitam exegerit.

Nihil certè exploratius, nil apertum & dilucidum magis. Germanam cæli indolem neſcire

eſt dicendus, quisquis in Stanislao conformatam haud perſpicit. Tam fieri non potuit, quin ſuo eam in animo exprimeret; quàm fieri nunquam poſſe credidit Plato (*a*), quin id aliquis imitetur, cui aſſiduè mirabundus, atque amans inhæreat. Amicum & frequens commercium ſimilitudinem vel arguit, vel facit. Cuius tam perpetuam atque intimam cum Superis conſuetudinem nouimus; qualis vità, qualis animo fuerit, dubitare citra iniuriam non poſſumus. Illud potiùs de hac morum ingenijque præſtantià metuendum fortè quiſpiam exiſtimet, ne tantus videlicet terrenæ cuiuſmodicunque ſortis contemptor nullam Sui partem ad Mortalium opportunitates deriuet: ſed, Epicurei Iouis exemplo, ſupra cæli cardines ambulet, fruendæ ſolummodo felicitati ſuæ vacans, noſtrorumque, qui hoc imo in Orbe verſamur, diſcriminum atque caſuum ſecurus. Sed inanis hæc etiam formido, nec ſecus explodenda, quàm exploſus ab Ariſtotele (*b*) illorum ſit error, humanam qui mentem, vt corpora intelligendo aſſequi poſſet, corpoream fingebant: cùm oppoſità prorſus ratione tantò ad ea internoſcenda ſit aptior; quantò eorum a naturà remotior. Quòd terrenis a rebus Stanislaus ſe omnino diſiunxerit; terrarum ne orbi adiuuando minùs ſit idoneus, veremur? Immo hæc ipſa diſiunctio noſtris illum opportuniorem rationibus atque Commodis facit: nullo quippe iam terras negotio, vt res cunque poſtularit, moturum, cùm, quod Archimedes (*c*) optauerat, quodque ad cuiuslibet corporis mo-

a In lib. 6. de Rep.
b Lib. 3. de Anima.
c Plut. in Marcello.

Motum neceſſariò requirit Philoſophus; (a) ſolido extra ipſas atque immobili loco innitatur. Tunc non poſſet Orbem vniuerſum, tamquam maior, patrocinio complecti; cùm ipſius ambitu, ceu minorem, includi ſe ſineret. Nunc, quò altiùs ſupra illum ſurrexit; eò latiùs ſua per eum beneficia diffundet, eò maiori cum efficacitate illius ſe emolumentis reſtituet: aquarum conſimilis, quas, vbi *in cælum* vi caloris *migrauerint; vitalem herbis inde animam deferre* Plinius (b) obſeruat: verumque in ſe probans, quod poeticè olim finxerat Plato: (c) immortales dum animas, quamdiu natiuis ſuis alis inſtructę, nec vlli terreno corpori affixæ, ſupra ſydera ſublimes ferantur; per inferiora latè omnia ſuarum prouidentiam curarum extendere, ac totius Vniuerſitatis gubernationi præeſſe affirmauit.

Iamque adeo, Solis inſtar, *cælo* quidem *affixum, ſed* prodigioſa ſimul per munera *terris omnibus ſparſum* (d) intueor. Iam, illo trepidis opem rebus ferente, Barbarorum, & Chriſtiani nominis hoſtium validiſſimas copias auerti profligarique, peſtiferæ contagionis luctuoſiſſimam vim deuoratis iam penè ac ſepultis vrbibus parcere, diſcurrentium flammarum, & proximam vaſtitatem minantium, indomitos æſtus fręnari, atque extingui: (Quid plura?) mortem ipſam vel a ſupremo, quem pluribus intentabat, ictu Dextram compeſcere; vel, quas occupauerat, prędas maiore vi adactam relinquere aſpicio. Iam lætiſſimi vndique innume-

ro-

---

a Ariſt. De motu Animal. c. 3.
b Lib. 31. Hiſt. Nat. c. 1.
c In Phędro.
d Minut. Fel. in Octa.

rorum Mortalium ad aures mihi accidunt plauſus, aliorum de reſtitutà ex lethalibus morbis valetudine ipſi gratias agentium; aliorum ex imminenti naufragio, vel hoſtium captiuitate ſe ereptos teſtantium; aliorum hæc, vel illa nullius penè non generis commemorantium pericula, illius patrocinio depulſa: omnium denique Stanislaum ſuum ſoſpitatorem, ſuum vindicem, ſuum præſidium ac columen vnanimi gratulatione inclamantium.

Prçclarè igitur, &, ſupra quàm optare poſſes, feliciter ceſſit tibi, Orbis terrarum, Stanislai a tuis partibus fuga. Vtiliùs ab eo contemptus es; quàm ab addictiſſimo quoque tuorum obſerueris clientium. Nunquam tuus magis fuiſſet præſtantiſſimus Adoleſcens; quàm fuerit, cùm ſe tibi prorſus negauit. Quid relictum te doles? Gaudeas potiùs ſeruatum. O iacturam optabilem, quæ tantis eſt lucris repenſa! Define iam ingentibus animis negotium faceſſere, tuiſque illas blandimentis a cælo auocare: quin vel ſtimulis vrgeas, Stanislaum vt æmulentur, Tui prorſus immemorem, æterna duntaxat & diuina anhelantem. Ab illius potes exemplo condiſcere, neminem de te largiùs mereri; quàm, qui omnem Tui amorem exuerit: neminem præſenti magis ope Terris adeſſe; quàm, Terrarum qui transfuga vni totum ſe cælo deuouerit.

Ter-

Terreſtrium ſyderum curſus.

ORATIO XVI.

De ſuſcepto a tribus Magis ad infantem Deum venerandum itinere.

QVid, defixis in cælum obtutibus, prodigioſam noui ſyderis facem, Oriens, miraris? In te oculos potiùs reflecte, luculentiora non vnius, ſed trigemini ſyderis contemplaturus miracula, tuos ſcilicet Reges, ęternum ad ſolem coram venerandum profectos. Cur enim, qui tenebricosâ ſuperſtitionis in nocte tantum Fidei ſinceriſſimæ iubar, tamque illuſtris exempli nitorem quaquauerſum effundunt; ſuum miſcere ſyderibus nomen, ſplendidiſſimęque nouitatis prodigijs accenſeri iure optimo nequeant? En, vt primos ad cęli Vocatus patrias confeſtim ſedes relinquunt, &, quaslibet per viarum difficultates, quemcunque ſe ad terminum deducendos permittunt. Quid eiuſmodi obſequio admirandum & inſolitum magis? En, cæleſti vt auſpicio deſtituti non tamen ſua ipſi Cœpta deſtituunt, ſed vel mediâ ſuſpicioſiſſimi in Regiâ tyranni nouum palàm regnatórem exquirunt. Quid eâ libertate & conſtantiâ prędarius? En, vt Bethlemium ad mapale tandem appulſi, quem pecudes inter, deſertum, atque inopem, & ſolâ humilitate conſpicuum, Infantem reperiunt; ſupremum Vniuerſitatis totius conditorem, ac Principem regalibus donis, infimiſque teſtantur obſequijs. Quid hac Fide diuinius, & rarius? O iter, a portentis inchoa-

choatum, totque nouis, & eximijs deinceps illuſtratum miraculis, quot impreſſum veſtigijs! O heroas, potiori multò iure ſtellarum referendos in numerum; quàm Theſſalam Argo fabulatrix antiquitas cælo tranſcripſerit! Nam quid, rogo, illius nauis curſus adeo magnificum habuit; quod cum iſto a ſanctiſſimis Regibus inſtituto in comparationem mereatur vocari? Intentatum Illa pridem nauibus mare, quodque nunquam tentari longè forſitan ſatius fuiſſet, peruium poſteritati reliquit: ignotum Hi gentibus, quodque claudi ſine extremâ pernicie non poterat, ſuo exemplo recluſere ad Superos iter. Mortalis Illam lucri, vel gloriæ cupiditas ad barbara, & monſtris, veneniſque fœcunda impulit litora: Hos iniecta diuinitus mens, & charitatis ſinceriſſimæ ardor ad Numinis cunas deduxit. Colchicum Illa denique aurum, & totam cum Medeâ Colchorum perfidiam barbariemque in Græciam reuexit: Hi, auro exonerati, quod tulerant, immortales retulere Popularibus ſuis veritatis Fideique diuitias. Me certè tam nouus tamque inſolens virtutis ſpectatiſſimæ fulgor vſque adeo admiratione ſui complet; vt eos, a quibus profunditur, non quibuslibet modò comparandos ſyderibus cenſeam; ſed tribus ijs adumbratos conuenientiſſimè ſolibus putem (a), quos nonnullis ante annis vnius in diei pompam ſimul cælum produxerat. Agite quocirca, Auditores, & præſtantiſſimam hanc, adeoque memorandis coruſcantem exemplis ſapientiſſimorum procerum lucem contemplari tantiſper ne pigeat. Quod vt facere planiùs poſſitis; per omne vos ego ab ijs iter emenſum compendiario quaſi calle deducam:

a Plin. L. 2. Hiſt. Nat. c. 31.

cam: pauca quædam, ſed præcipuè admiranda & illuſtria contentus relegere, quæ vel in primo a ſedibus patrijs egreſſu, vel in medio apud Hieroſolymam curſu, vel ſupremo in Bethlemitici ſtabuli termino, ad æternam Poſterorum prædicationem impreſſa, ſummæ laudis reliquerunt veſtigia. Alium procul dubio oratorem, alioſque cæleſtis tum ingenij, tum eloquij Apparatus argumenti ſublimitas poſceret: nec tam artis humanæ coloribus, qùàm diuinà ſui ſyderis luce mereretur deſcribi. Sed, quæ nullo adæquari ſat poteſt; nullo etiam illuſtrarì eget mortali præconio. Tanta quippe ipſarummet rerum, quæ tractandæ proponuntur, eſt dignitas: tantus inde ſingularis præſtantiæ incredibiliſque propemodum gloriæ fulgor exuberat; vt non modò a dicentis obſcuritate inumbrari non metuant; ſed vel ipſi ſuam facilè poſſint claritatem affundere.

Celeberrimo famæ veteris plauſu per hominum latè ora circumuolant, ſuoſque, certis olim definitos regionibus, curſus in totius Orbis atque æui memoriam vſque longiùs, ac longiùs ea protendunt philoſophica itinera, quæ ſeu Plato in Ægyptum, vt a gentis ſacerdotibus geometricorum rationes numerorum addiſceret; ſeu ad Perſidis Magos Pythagoras, locupletiores ſyderalis ſcientiæ relaturus theſauros, inſtituit (*a*). Nec immeritò quidem præſtantiſſimi viri laudantur, quòd, natalis hinc Soli retinente dulcedine, vlterioris illinc ſpe doctrinæ euocante; potiora huius inuitamenta, illius lenocinijs habuerint: nullàque deterriti vel ſumptuum magnitudine, vel itinerum difficultate; ignoti apud Exteros, quàm ignari apud Dome-

a Val. Max. Lib. 8 c. 7.

Domeſticos agere, remotarum & artiũ diuitias ſolicitum per laborem conquirere, paternis quàm opibus tranquillo frui in otio maluerint. Sed ſatis huc vſque in hominum celebritate atque famâ veſter diſcendi ardor, Platones, & Pythagoræ, fuit. Priuati iam regibus, eruditionis profanæ inſtitores cæleſtis ſapientiæ negotiatoribus faſces ſubmittite. Quantò proceribus noſtris domi lautior fortuna; tantò plus fuit illius oblectamenta & delicias peregrinarum incommodis viarum mutare: quantò in Patriâ dignitas maior; tantò rarius exemplum illius e faſtigio priuatum apud Alienos in locum deſcendere.

Quàmquam ſi nihil, præter aſpera itinerum, voluntarijs obſtitiſſet exulibus: ſi nihil, gentilis præter aulæ ſplendorem, Bethlemio poſthabuiſſent mapali; non perìnde illorum generoſitatem mirarer, cuius vel in fœminâ exemplum intueor, e domeſtico ſolio peregrinum Salomonis ad tripodem multò pridem profectâ. Aliud hìc ſpectandum ſe offert inauditæ virtutis miraculum, quod altiori meum animum ſtupore defigat, & longiùs quodammodo extra ſe attonitum rapiat; quàm ſanctiſſimos extra Patriam Reges cæleſte portentum rapuerit: diuinæ nimirum fidei, heroicæque fortitudinis robur, quo non itineris ſolùm laborem, Regiæque paternæ delicias, ſed & humanæ rationes prudentiæ, famæque popularis ſuſurros, temerarium, vt vulgo videbatur, auſpicium citra moram ſecuti, ſuſque déque habuerunt. Natiuas quippe ſedes relinquere, quò ſeu Græcis cum illis philoſophis famoſa barbaræ ſapientiæ lycæa, ſeu cum Auſtri Reginâ Salomonem aliquem, notiſſimum ſcientiæ humanâ ſublimioris oraculum, viſerent; incommoda quidem, ſed

æquè

æquè glorioſa, vel ſaltem extra dedecoris aleam, peregrinatio fuiſſet. At obſcuris indicijs ſtatim commoueri, natum vt in terris ſupremum Regnatorem certiſsimè crederent, eumque ad venerandum, ſoli ex omnibus, nullà liquidiori famà expectatà, inſigni adeo cum celebritate, euolarent; quid, quæſo, erat aliud, communi rem iudicio æſtimantibus; quàm errandi ſe periculo, non ſine publicà anilis ſuperſtitionis, & ſimplicitatis improuidæ Notà, obiectare? Quibus deinde, ſi ſuà ſpe fruſtrati rediſſent, excipiendos dicterijs, quantoque cum riſu & ludibrio per hominum paſsim ora abituros?

Libet eos in ipſo expeditionis procinctu ſic alloqui. Vndenam iſthęc, ſapientiſsimi Viri, præceps adeo credulitas? Quiue ſubitus calor ambiguis indicijs veſtram vos impellit maturitatem ac prudentiam committere? Eſto, noui ſyderis luce deſignandum Mortalibus ſempiterni Solis Exortum diuinitus inſpirata vatum ora cecinerint: vnde tamen colligimus, ipſum pręſens hoc ſydus tam nobili fuiſſe miniſterio delectum? Nullaſne illius ex vaticinij temporibus inſolitas faces, nullos æther ſuccendit portentoſos cometas? Num igitur, ijs primò obſeruatis, curſitandum extemplo in Iudæam cum muneribus erat? An potiùs, qui conſilij id cepiſſent; non indecorè minùs reuerſi eſſent in Patriam; quàm ex eà improuidè abſceſſerant? Nil opus pietatem impetu regere, laudatiſſimoque conſilio ducem addere temeritatem. Acutè olim Demades, (*a*) cùm de Alexandri Macedonis morte rumor eſſet allatus; non temerè monuit credendum. Tan-

O tum

a Plut. in Vità Phocion.

tum quippe cadauer fieri non poſſe, quin Orbem terrarum Sui odore atque halitu impleret. Nec prouidè minùs & ſalubriter Phocion (a) tumultuantes eodem accepto nuntio ſuos ciues, nouarum ne quid rerum præcipiti feſtinatione molirentur, inhibuit: ſi etenim vera eſſet de interitu Macedonis fama; nihilo veram minùs cras itidem, ac perendie futuram. Quidni hoc ipſum in re etiam præſenti dicatur? Non au arè adeo humanis commodabit ſe rebus expectatus per tot ſæcula Infans; vt, fulguris ritu, vix oſtenſus Mortalibus, requirentes, & , num ſatis viderint, dubios deſtituat. Nec tam ſurdus tenuiſque eſſe poteſt tanti Pueri vagitus; quin ad vltimas vſque oras terrarum, authoris ſui nuntius, perueniat: & omnibus noſcendum populis prębeat, qui omnibus naſcitur, Regem. Quantò igitur ſatius, pauliſper quieſcere, dum certi exploratique interim aliquid fama renuntiet? Quæ, ſi miros quoſuis euentus tam auido, tamque celebri ſonitu per Orbem diſſeminat; an mutam, vel deſidem, in maximo hoc euulgando quaquauerſum prodigio, exiſtimamus futuram?

Ita prorſus, ſi humanę rationis ad trutinam expēdenda res foret; nobiliſſimos viatores potuiſſem affari. Nec dubiū me animus habet, quin huiuſmodi auocamenta atque Monita vel proprius, vel Familiarium ijs ſenſus obiecerit. Sed enimuero, qui cęleſti gubernantur afflatu, prout de fortunatis hominibus Ariſtoteles (b) docet, principium agendi habent intellectu atque mente præſtantius: & diuinatio, ſapientiſſimæ genus amentię, adeo, ſi Platoni quid cre-

a Id. Ibid.
b Lib. 7. Eudem. mor. c. 18.

credimus, (*a*) Rationis ſuffragio non indiget; vt tunc potiùs ſoleat contingere, cùm vel ſomno, vel furore, vel morbo impeditur atque opprimitur Ratio. Fruſtra igitur, timida atque anceps mortalis prudentiæ cæcitas, corporeâ quauis clariorem noſtrorum lucem Sapientum oppugnas. Fruſtra, quod tuas ipſa inter vmbras non vides, in dubium reuocare videntibus niteris. Quemadmodum, qui famoſo Platonici ſpecûs in carcere, (*b*) vmbrarum tantummodo conſcij, degebant, nequidquam deterrere ab egreſſu conati fuiſſent ſincero pridem lumini aſſuetos; ſic incertis vulgi terroribus a decreto nihil curſu ineundo, patrijſque relinquendis Penatibus auocantur ſanctiſſimi Reges, duo quibus lucidiſſima ſydera, alterum ante oculos, in animo alterum radians, certum iter oſtendunt. Erecti fidenteſque in Propoſito perſtant: nec vulgari cum famâ, immo neque cum ipſâ, Romanus (*c*) quam Sapiens conſulere iubet, rerum naturâ, ſed, vtramque prætervecti, cum cæleſti ſolùm Fide deliberant. Ceruorum ad inſtar, quæſita longè *litora*, (*d*) *non aſpectu, ſed olfactu, petentium*; quem nuſquam intuentur, de quo nihil audiunt, Infantem diuinum iam tum patrijs in ſedibus, ex arcano, ſed minimè dubio, illius quaſi odoris indicio, percipiunt. Quin ipſomet viſu, tantis licet locorum interuallis diſiuncti, iam eumdem anticipant. Si enim, oculorum qui aciem a naturâ penitiùs abſtruſam, inque frontis cauo repoſitam habent; longiùs, quàm Reliqui,

 ob-

a Plat in Tim.
b Id. l. 7 de Rep.
c Senec. ep. 81. *De quibus non cum famâ, ſed cum rerum naturâ deliberandum eſt.*
d Solin c. 21.

obrutum feruntur (*a*) dimittere; quorum etiam in mentibus ſuos Fides oculos altiùs recondidit; ex eà quaſi ſpeculà intimoque receſſu vel longiſſimè poſita, & externos Aliorum ſenſus fugientia proſpiciunt. Hinc omnia illis plana atque certa: nullus irriti conaminis timor: occluſæ popularibus rumuſculis aures: hilaris, ſtabilique innixa fundamento ſecuritas. Moras omnes oderunt, quoſuis Nexus abrumpunt. Conſultiſſimam profectionem exiſtimant, quę cunctationis minimum habeat. Primos eſſe adeo non piget; vt ſequi potiùs puderet. Cum pauciſſimis illis pro Græcià vniuersà in certamen deſcenſuris Laconibus, (*b*) quòd nemo ſe comitem addat; *electos, non relictos* ſe putant: & , veluti Theſſalus Menon, deliberantibus ſocijs, an Cyrum vltra Euphratem ſequerentur; (*c*) eorum dubitationem ſui occaſionem Meriti faciens, primus fluuium properauit tranſmittere; ſic illi Reliquorum meticuloſa & lenta conſilia ſuo alacres obſequio pręueniunt. Quid enim? Dubiam humanæ rationes expeditionem oſtendunt: ſed altioribus auſpicijs nos regimur. Cautius videtur famam opperiri: ſed præcurrere multò fuerit laudatius. Ambiguum eſt ſyderis ante oculos radiantis indicium: ſed fallere neſcia emicantis interiùs luminis fides. O animos regali faſtigio digniſsimos, quin & regiæ altitudinem indolis eminentiori generoſitate tranſgreſſos! O mentes diuino prorſus lumine imbutas, humanæque prudentiæ conſilijs fallacibus ſurdas! Eat nunc Romanus ille

a Ariſt. l 5. de Gener. Anim. c. 1.
b Senec. Suaſ. 2.
c Xenoph. l. 1. de exped. Cyri.

le Cęſar, Ægyptioſque apud hoſpites magno hiatu pronuntiet, *Spes ſit mihi certa videndi Niliacos fontes; bellum ciuile relinquam.* (*a*) Vt ſuus fuerit hic ſenſus, nec ipſi a ſcriptore, ſpecioſa magis, quàm vera, addo etiam, quàm veriſimilia ſectante, attributus; nempe, Nilum infantem viſurus, nil aliud, quàm funeſtiſsimi belli deſerebat reliquias: idque vt ipſum præſtaret; certis adhuc ſpem nixam argumentis quærebat. Pudeat ceu vulgaris nimiùm Promiſsi grandiloquum vatem. Magnificentiùs noſtri egerunt Heroes; quàm ipſe vel polliceri potuerit. Non bellum ferale, ſed regni ſui pacatiſsimum otium, cęleſtis Nili fontes adituri, relinquunt: nec vllum ad peregrinationem eiuſmodi, quod certos ex nutantibus faciat, ſpei humanæ argumentum requirunt: ſed humanitus dubia certiſſimo ſuæ mentis aſſenſu confirmant, &, Abrahami Patriarchæ ſanctiſſimi exemplo, *contra ſpem in ſpem credunt.* (*a*)

Bene igitur eſt. Heroicà ſuperatis virtute, quæ limen obſidebant, difficultatibus, iam iter ſuſcipitur. Cernite, vt domeſtici Laris delicias, neceſſitudines, Commoda lętiſſimi iubeant valere, & *ſuam*, quod de Athenienſi olim populo eſt dictum, (*c*) *lucrifacere ſe opinentur abſentiam*: vt cæleſti ab auſpicio toti oculis atque animis pendeant: vt viarum labores medijque laſſitudinem curſùs, felicis ſpe termini, neſciant veriùs, quàm vincant: vt, licet plùs feſtinent, quàm poſſint; tardiùs tamen progrediantur, quàm velint. Non pa-

a Luc. l. 10.
b Ad Rom. 4.
c Thucid. l. 1.

paternam Regiam deſeruiſſe; ad regnum potiùs contendere: non externas ſedes inquirere; in Patriam ab exilio reuerti dixeritis.

Mira ſanè properantium alacritas: mirabilior adhuc tamen improuiſa hęſitatio, ſeu, rectiùs vt loquar, interiectæ hæſitationis victoria: vt quæ illud Iudæę viſa eſt in theatro memorandum retuliſſe ſpectaculum, quod, Olympicum ad Solenne coacta, tantis olim celebrauit plauſibus Græcia: (a) quùm videlicet Corinthij Phidolæ equa, ſuo quàmuis rectore ſub ipſiſmet carceribus lapſo, curſum tamen retinuit, ſcitiſſimo ad metam ſe flexu conuertit, nec antea quieuit; quàm, peracto iam victrix certamine, ad ludorum Præfectos anhela, & debitam quaſi palmam depoſcens, peruenerit. Ecce ſiquidem Hieroſolymam propiùs aduectis auriga & gubernatrix itinerum, ſtella ex oculis repentè ſubducitur. Perturbatio confeſtim in agmine, & veluti deſtitutorum męſtitia. Quin & voces audiri, illuſos haud dubiè, ſuſceptique ſe conſilij fruſtratos querentium. Cur enim, ſi Hieroſolymam ſuis Infans diuinus decoratam voluiſſet cunabulis; illius index flamma euaneſceret, quam ibi potiſsimùm cerni, quin & conſuetum geminare fulgorem par erat? Aut cur, ſi alibi ille longiùs lateret; quos ad eum perducendos ſuſceperat, medio ignaros in curſu deſereret? Sed mœroris hic nimbus ſolo in comitum vulgo ſuam vim omnem conſumit: ad ipſoſmet Reges, tamquam ad Olympi verticem, turbinibus inacceſſum, liquidoque cęlo fruentem, minimè aſpirat. Magno præuiam facem ſecuti

---

a *Pauſan. l. 6.*

ti ſunt animo; maiore abeuntem dimittunt: imo illius occupant munus, noua ipſi iam ſydera, & itineris duces. Repentinum ad lunæ Defectum conſternatus(*a*) olim iter ſuſpenderit Athenienſium imperator Nicias. Spartanum illi potiùs imitantur Leonidam: &, quemadmodum is, hoſtilium ſagittarum multitudine vel Solis Aſpectum ac iubar intercipi audiens, vſque adeo ferali eà Martis caligine perturbatus nil eſt; vt, commodiùs ſe in vmbrà pugnaturum, reſponderit; ſic & ipſi obſcuratum ante oculos cæleſte phænomenum ad omen lætitiæ traducunt: ab eo deſtituti, priſtinam alacritatem adeo non abijciunt; vt potiùs congeminent: & inuentum inde terminum colligunt, vnde Alij vel inueniendum deſperant. Dux viarum ſydus euanuit: quid mirum? Suo nempe ductoris officio perfunctum. Euanuit: ſed, vt nihil iam itineris ſupereſſe monſtraret. Viam, dum fulgeret, ſignauit: metam, ſe ſubducens, indigitat. Cur trepidi hæremus? Cur amicam ingrati ſortem metuimus? En vrbs gentis caput, ac Principum ſedes. Hic quæſitum tot laboribus pignus: hic diuini Regnatoris cunabula. Sic illi: iamque adeo vrbem totam auguſti Natalis lætitià pleniſſimam: iam feſtos vbique ludos, iam ſolennem Apparatum & pompam, & gratulabundos paſſim ciuium cœtus cogitatione animiſque præſumere. Quid enim expectandum ſecus eſſe, dum ibi, vt apertiſſimè videbatur ſydus innuere, a partu adhuc recens maximus ille Infans vagiret, quem tot pridem temporibus afflati Deo vates promiſerant: ad quem

a Thucid l. 7.
b Plut. in Apopht. Laco n.

vel externis ab oris per inuſitata Cælum prodigia adoratores vocabat: quem tam longis, & flagrantibus votis Iudæorum gens depopoſcerat: a quo libertatem ſuam vindicandam, humanique conſtituendam ſe generis caput ſperabat?

At o irrita Hoſpitum regalium auguria! O cogitationes fallaces; ſomnijque ſimillimas! Vrbis mœnia introgreſſis diuerſiſſima prorſus facies ſe obijcit. Quies vbique & ſecuritas: nihil feſti tumultùs: nulla ciuium exultantium celebritas: nulla vſquam vel tranſactæ lætitiæ veſtigia. Mirari enimuero Aduenæ: iam vias atque compita, iam ſe mutuò reſpicere, interque rei nouitatem, & conſilij inopiam hærere. Illud vnum tam ambiguis in rebus ſupererat; vt, cælo ſuum iam auſpicium negante, dirigendos ſeſe hominibus darent, eque Indigenarum reſponſis certi quidpiam eruerent. Sed parata ſciſcitantibus vincula, quæſtiones, ſupplicia: nec aliud videbatur, tam ancipitis Veri notitiam curioſiùs tentare; quàm, vt Medicorum de temeritate loquitur Plinius, (a) *periculis diſcere, & agere experimenta per mortes*. Num enim Herodes, ab omni leuiſſimæ nouitatis aurà ſuſpenſus, quemque ſemper anxia & ſolicita dominandi libido perpetuis exagitaret vel inanium formidinum ſtimulis; nouum ſuàmet in aulà Iudæorum regem exquiri ſecurus audiret? Nec, atrociſſimà ſuſpicione natiuam irritante ſæuitiem, timoris ſui pœnas ab inuiſi rumoris authoribus peteret, & omnem huiuſcemodi famam illorum quàm celerrimo interitu properaret extinguere? Aſperrimæ tyrannorum ſunt aures, nec, niſi *hyſ-*

a L. 29. Hiſt. Nat. c.1.

byſſina (iuxta Dictum Pariſatidis) *verba* (*a*) commodè accipiunt. Teſtatur Armenius Tigranes , (*b*) qui nuntium de Luculli hoſtis aduentu in patibulum egit. Nec illuſtri minùs eſt documento Romani illius Cæſaris crudeliter meticuloſum ingenium: *cum quo de pluuijs, aut æſtibus, aut nimboſo vere locuturi fatum pendebat* (*c*) *Amici.* Si periculoſum ibi fuit de rebus vel ab omni ſuſpicione remotiſsimis priuatim diſſerere ; an ſupremum citra diſcrimen hic foret , publicis rem vulgare ſermonibus, circa quam vnam omnis penè regum cura & ſuſpicio verſatur? Si crucem indicij retulit pretium , qui regem , vt ab hoſte caueret, admonuit ; an nil poſſet ſupplicij metuere , qui regis ſucceſſorem , palàm adoraturus, inquireret? Pompeium certè aliquem negotij tam implexi difficultas poſcebat , (*d*) qui vel medias in tempeſtates irrumperet , & , *Nauigare eſt neceſſe, viuere nō eſt neceſſe*, deliberatâ morte ſecurior, clamaret. Niſi quòd tantò etiam præſentioribus in re noſtrâ opus animis erat; quantò irati omnem maris ſæuitiam bacchantium tyrannorum immanitas vi & furore antecellit.

Perſpicitis , puto , Auditores, imminentis atrocitatem periculi , formidoloſam in primis & longè grauiſſimam. Intuemini iam noſtrorum heroum in eo aggrediendo ſingularem conſtantiam : &, num ipſi quoque cum Publio illo Rutilio (*e*) perfecerint , vt obiecta diſcrimina *non impedimentum, ſed experimentum* magnanimitatis ſuæ *eſſent* , pro veſtrâ in rebus

a Plut. in Apopht.
b Appian De Bello Mithrid.
c Iuuen. ſat 4.
d Plut. in Pomp.
e Val Max l. 6 c. 4.

diiudicandis prudentiâ, ſtatuite. Ad obuios paſſim ciues conuerſi, Vbinam, inquiunt, locorum auguſtus ille recubat Puer, qui e cęlo delapſus ſuo Iudæam hoſpitio beauit, mox & ſceptris imperioque recturus? Enimuero, ſi Virtus ipſa palàm præſens loquatur; neſcio quibus declarare luculentiùs ſe vocibus poſſit. Nam quid huiuſmodi in oratione primum & potiſsimum mirer? Num conceptæ perſuaſionis firmitudinem, nutare atque concuti neſciā: dum, tot inter contraria argumenta, non confidentiam ſolummodo, (vt cū Thucidide (*a*) loquar) ſed & fiduciam ſeruarunt: cæleſtique de puerperio certiſsimi, nil, præter locum, quo lateret, ſibi inueſtigandum duxerunt? An inueniendi Regnatoris diuini flagrantiſsimum ſtudium, de quo vt aliquid exploratius cognoſcerent; non dubitarunt tyranni violentiſsimi ſuſpiciones, atque iras, iniectâ ſucceſſoris mentione, ſuam in perniciem laceſſere: indecorum plùs nimio arbitrati, ſi timidiore conatu cæleſtem indagarent theſaurum, quàm auaris ab Indiæ foſſoribus terrena defodiantur metalla: nec *ſatis* & ſibi ad quæuis *euincenda pericula eſſe, ſperare, quod cuperent?* (*b*) An poſtremò libertatis imperterritæ audaciam, quæ nullas per verborum ſinuoſas ambages diſcriminis vadum tentauerit: ſed ſuum palàm Propoſitum, vbi capitalis illius vel obſcura ſuſpicio eſſe poterat, diſertiſſimâ teſtificatione aperuerit: eximij loco muneris ducens, quod ſuum Seneca (*c*) iactantem inducit Luci-

a L. 2. in Or. Pericl.
b Plin. l. 33. Hiſt. Nat. c. 4.
c In Pref. l. 4 Quæſt Natur. *Egi gratias Fortunæ, quòd experiri voluiſſet, quanti æſtimarem fidem, &c.*

cilium, per ſumma poſſe impendia monſtrare, quanti faceret fidem: & Catonianum illud re comprobans Dictum, (a) *Lætius eſt, quoties magno ſibi conſtat, Honeſtum?* Omnia ſunt profectò admiranda, omnia ſingularia, & heroica, omnia demum eiuſmodi; vt tanta Fidei lux, tantus Charitatis ardor extinctum paulò ante ſydus accendere, rediuiuoque illius iubare deſtinatam peregrinationis ad metam ſiſti tandem meruerit.

Iamque adeo ſupremum itineris, ſupremum admirabilitatis attigimus terminum. Noua iam, & maiora inſolitæ virtutis prodigia nos vocant; effuſiſſimoſque poſtremo hoc in actu ſibi plauſus depoſcunt. An non enim rutilum intuemini ducem abiectiſſimi ſupra ſtabuli culmen conſiſtere, & cæleſte ibi latens Depoſitum radiorum indicio ſignare? Fides Diuina, tuo hic, nec communi quidem, lumine eſt opus. Nam quid maximo Regi cum ſolitudine, cum inopiâ, cum tugurij viliſſimi ſordibus? Huncine Infantem, agreſti ſuper ſtipulâ, pecudum in domo iacentem, quem nemo Popularium ſuorum inuiſere, nemo accipere hoſpitio dignetur, Iſraeliticæ tamdiu genti expetitum affirmari Principem poſſe? Huic tantæ viros dignitatis par eſſe ſua corpora venerabundos aſternere, nec regium vectigal tantummodo, ſed diuinos quoque Cultus perſoluere? Nonne illa contemptiſſimi præſepis humilitas, deformium ille ſqualor parietum, illa omnis plebeia atque ignobilis ſpecies quiduis aliud ſuadent: nihilque ibi auguſtum & ſplendidum, pannoſo nihil vulgo ſublimius promittunt? *Cælo tonantem credi-*

a Luc. l. 9.

dimus Iouem regnare, vetus inquit Poeta (*a*)? Inopem, deſertum, in fœno vagientem an cæleſti pro Rege humana ſibi ratio accipiendum exiſtimet? Durum eſt vel tacitè credere. Qnid palàm fateri? Quid humili ante ipſum obſequio procumbere? Quid homines lautiori aſſuetos fortunæ, aularumque in magnificentiâ & ſplendore enutritos? Nimiùm quantùm delicatos Principum ſenſus abiecta quæuis ſpecies offendit. Ipſa etiam ſuæ mortis inſtrumenta pretioſa, cum Heliogabalo, (*b*) ſuaque reſpondentia maieſtati eſſe volunt: ipſam etiam aſpernantur, ſi vulgarem & promiſcuam, ſalutem. Ignobilibus pudet vel uti. Quidni multò magis pudeat ſeruire? Celebris eſt ſacrâ in Regum hiſtoriâ (*c*) Naamanus: qui ad Eliſeum ſanctiſſimum Vatem, vt cæleſti eius ope a leprâ expiaretur, profectus, quòd obuium, & ſine pompâ remedij ſibi genus audiſſet præſcribi; vel in ipsâ ſuperbus miſeriâ, & *attonitis quorumdam perſuaſionibus* occupatus, *qui*, teſte Plinio, (*d*) *prodeſſe, niſi pretioſa, non putant*, tergum ilicet Medico obuertit, faſtiditâ inexploratâque receſſurus ſalute, ſeruorum ni rogatu opportunè fuiſſet cohibitus. Et tamen nihil ille præter dignitatem erat facturus, ſi gregariâ communique ope vſus foret: præterquàm quòd ad ſpem omnem auxilij tentandam a præſenti fœdiſſimâ contagione vrgebatur. Quidnam igitur noſtri Proceres agent, quos ad inſolitum ſe obſequium ſubmittere nec vlla naturalis neceſſitas cogit; & ſubeundi apud vulgus turpitudo

a Hor. l. 3. Od. 5.
b Lampr. in Heliog.
c Lib. 4. c. 5.
d l. 1. c. 8.

tudo dedecoris vetat? Quid acturi ſint quærimus? Id nimirum, quod heroicam adeo expeditionem ſupremâ ceu coronide abſoluat, quodque viros deceat præſtare, totius ad poſteritatis exemplum diuinitus lectos. Nil ſtabuli ſordibus, nil pueri cæleſtis inopiâ abſterrentur. Eſto, quidquid ſeu locus, ſeu loci Apparatus intuendum proponit, a regali faſtigio quàm longiſſimè abhorreat. Vel ante Cordubenſem philoſophum (*a*) ſciunt, *demendam non hominibus tantùm, ſed & rebus eſſe perſonam:* diuiniſque in operibus, quod Timantis in tabulis ſuſpexit Antiquitas, *Plus intelligi ſemper, quàm pingi.* (*b*) Eſto, Popularium conſenſus, qui Bethlemium Infantem non modò adorare, ſed vel propiùs adire neglexerant, a diuino ipſi cultu tribuẽdo Externos deterreat. Nouerunt, cum Ariſtotele (*c*), Rectum Sui iuxta, & Obliqui; Obliquum neutrius regulam eſſe. Eſto, timendum videatur, ne ſua in Contemptum dignitas abeat, ſi ad vulgaris, quantùm ſpecies teſtatur, pueruli ſe pedes abijciant. Poſſunt irriſuro cuique id reponere; (*d*) quod olim Nicoſtratus percontanti cuidam, cur Zeuxidis tabulam defixo admirabundus obtutu inhiaret: Nobiſcum ſentires, ſi noſtris rem oculis cerneres. Nimirum; ceu Democritus fertur (*e*) oculorum ſibi aciem vltro extinxiſſe, liberiore vt mentis intuitu naturæ contemplaretur Arcana; ſic & ipſi, corporeorum quibuslibet ſenſuum abdicatis officijs, quò minùs externa intuentur; eò puriùs & clariùs la-

a Sen. ep. 24.
b Plin. l. 35. Hiſt. Nat. c. 10.
c Lib. 1. de An.
d Ælian. l. 14. c. 47.
e A. Gel. l. 10. c. 17.

latentem ſub opaco terrenarum nubium velamine Diuinitatem aſpiciunt: omnique adeo humanâ ratione poſthabitâ, humillimum ante illud præſepe toto animorum, toto corporum obſequio ſternuntur. Quid tum, ſi nuſquam hic ſupremæ dignitatis Inſignia, nullus purpuræ ſplendor, nullæ ſatellitum acies, nulla Tectorum ſublimium maieſtas? Diuinum nempe Regem inuenimus, externo qui a cultu mutuari dignitatem non egeat, ſed paupertati potiùs honorem ac pretium ſuo adiungere velit complexu. Quid tum, ſi Iudæa, præ omnibus licet populis tanti partûs priuilegio exornata, derelictui ſuum Principem habet? Quæ cæteris gentibus ad obſeruantiam & venerationem præire debuerat, legitimi rationem officij noſtro potiùs ab exemplo condiſcat; illius quàm peruerſitatis contumaciæque nos æmuli ſimus. Salue ſtabulum, quauis Regiâ ſublimius. Salue paupertas, nullis non pretioſior theſauris. Tuque o certiſſima Numinis ſoboles, noſtra hæc dona, hoſce Cultus, totumque in iis offerentium animum, pro tuâ benignitate, facilis ac libens excipias. En ad tuos venerabundi prouoluimur pedes. En ſupremum cæli terrarumque Rectorem agnoſcimus: grande nacti tot itinerum pretium, quòd videre, ac venerari tantum contigit Numen: nec ab iſto receſſuri tugurio, quod ad cęli penè inſtar tu præſens attollis; niſi hic idem pietatis iuſtiſſimæ ardor ſuaderet, noſtris quoque Popularibus, patrioque Orienti, quam inuenimus, Diuinitatem teſtari.

Ita planè ſanctiſſimi Reges. Sed quid vos, Auditores, ad hæc Fidei tam eximiæ prodigia? Si ſummâ priùs laude cenſuiſtis digniſſimos, quòd paternis feſtinarint e ſedibus, quæſitum

no-

noui regis cunabula, licet nihil adhuc de illo nuntij fama attuliſſet, licet nemo Exterorum praìret; an non amplioribus multò iam præconijs celebrandos putetis, quòd repertum Infantem pro Numine habuerint, quàmuis oculorum teſtificatio cum animi fide pugnaret, nec ex ipſis quiſquam indigenis ad eum venerandum ſe vel ducem præſtaret, vel comitem? Mirum oppidò atque inſolens Iuliano Cæſari (*a*) eſt viſum, Galilæos piſcatores, ad primum Seruatoris euocantis imperium, illius lateri hæſiſſe. Quantò admirabilius cuique videatur, & inſolitum magis, Sabæos Regnatores, ne expectato quidem imperio, eiuſdem pedibus aduolutos fuiſſe? Tantò certè, quantò & maiora, & a maioribus, & minori ex occaſione hic patrata cernuntur. Nempe Illi præbuere ſe comites viro, auguſtà & venerabili ſpecie, ſi minùs Diuinitatem, at certè ſanctimoniam prodenti: adoratores Hi puero, exteriùs contempto, & nihil ſupra vulgum ſpiranti. Illos, genere obſcuros, literarum rudes, plebeioque muneri aſſuetos, non vtique difficillimum erat alienæ authoritatis momento ad obſequium impelli: Hos contra nobiliſſimos iuxta, & ſapientiſsimos proceres, ne a Decori quidquam ſpecie alienius committerent, neu infra dignitatis ſibi debitæ gradum ſe temerè abijcerent; validiſsimo ſua nexu retinebat authoritas. Magiſtrum Ii denique ſunt affectati, quem vox ad Iordanem cælitus miſſa Dei filium diſertè euulgauerat: Hi diuinum Regnatorem confeſsi, quem mutum indicium talem vtique, obſcuriùs ſed multò, ſignabat.

Quæ

a S. Hieron. l. 1. Comm. in Mat. c. 9.

Quæ cùm ita ſe habeant: cùmque tanta hoc in itinere tum ſuſcipiendo generoſitas, tum proſequendo conſtantia, tum ad exitum iam perducto fides effulſerit; age, ſuos omnes iam faſtos excutiat, & quidquid egregium, quidquid heroicum, communi quidquid laudis faſtigio ſublimius inuenerit, ad nobile quoddam dignitatis gloriæque certamen ex aduerſo proponat Antiquitas. Tres illa celeberrimorum totidem Ducum expeditiones, Alexandri nimirum in Aſiam, in Italiam Hannibalis, Scipionis in Africam, peculiari admiratione proſequitur, ſplendidiſsimiſque, & ſonoris, quàm qui maximè, plauſibus iactabunda deprædicat. Atqui, ſi rite comparatio ineatur; noſtrâ hac in vnâ coniunctum intueri fas erit, quidquid earum ſingulis præcipuę propriæque nobilitatis gloria diſpertijt. Primæ ſiquidem vel tota, vel ſumma laus in aggreſsione ipsâ fuit. Cùm Alexander, iuxta veriſsimam Liuij animaduerſionem, (a) *nihil aliud, quàm bene auſus vana contemnere*, Darium, citra Martis penè aleam, deuicerit. Alteri potiſsimum decus ſuperata medio in curſu ab Hannibale, quæ iter morabantur, Alpium iuga addidere. Suam tertia claritudinem ab exitu retulit, ſupremo illo ſcilicet prælio, quo perfidum hoſtem Romanus Imperator ſubegit. An igitur vllum eiuſmodi Decorum, quæ antiquitatis præſtantiſsimos duces immortalem ad famam extollere potuerunt vel ſingula, noſtri Reges deſiderant? Nullum profectò, ceu planiſsimè intelliget, quiſquis tripartitam orationis iam habitæ ſeriem remetiri contemplando, voluerit. Nam & vanos terrores, quos profectionem

a Lib. 9.

nem parantibus humana ratio opponebat, maiori, quàm Alexander, generoſitate ſpreuerunt; & difficultates medio apud Hieroſolymam in curriculo obiectas, multò Alpibus arduas & inſuperabiles magis, admirandâ vel Hannibali conſtantiâ eluctati ſunt; & in metâ demum itineris luculentiorem de oppoſitis Fidei rationibus, quàm de Punicâ Scipio perfidiâ, victoriam tulerunt: digni propterea, quorum ſacra expeditio populorum in omnium præconijs, ad totius tum antiquitatis inuidiam, tum poſteritatis exemplum, ſuperſit: quoſque noſtra Iuuentus, religioſis in votis anniuerſariâ celebritate inſtaurandis, certiſſimos ſibi Duces proponat: tunc rite perfectum, & Diuino longè Infanti acceptiſſimum litatura holocauſtum; tantorum cùm Heroum generoſum Propoſitum, Fideique ſingularem conſtantiam ſimillimâ imitatione retulerit.

Rei donatæ Poſſeſſio per Donationem aucta .

ORATIO XVII.

De Votis Religioſis .

SI præclariſſimum voluntatis munificæ ſpecimen ab omnibus ſemper eſt habitum, ſua vultu accipientis largiri, eamque in donando hilaritatem præ ſe animi ferre ; vt beneficium aſſecutus videatur, qui tribuit ; nemo ſanè vnus, Auditores, extiterit, qui anniuerſariam hodiernæ apud vos celebritatis gratulationem, & pompam non inter præcipua recenſendam iure optimo fateatur rariſſimæ cuiuſdam, ſummæque largitatis exempla. Cùm enim veſtrarum quidquid erat facultatum, ne corporibus quidem exceptis, aut animis, perpetuâ iam olim votorum religione Deo ſacraueritis; profuſiſſimum munus tam eximio nunc plauſu, tantâque geſtientis cum animi ſignificatione integratis; non modò vt nil veſtri amiſiſſe; ſed vt omnia nunc primùm alienam videamini per liberalitatem adepti. Quàmquam neque magis eueniſſe id vobis videtur; quàm reipſa contigerit, lucrum: ſolenniſque hunc lætitiæ Apparatum, vt vt veſtra non indixiſſet ad benemerendum ſingularis alacritas; perſuadere vel tenaciſſimo cuique vna poſſet immenſa Dei optimi maximi ad remunerandum benignitas: qui, Xenophonteo (*a*) illo

Cyro

a Xen. L. 1. de exped. Cyri minoris. *Hoc ei antiqui ſ. ſsimum certamen, vt bene de ſe meritos beneficij ſſuperare t.*

Cyro tam liberalior, quàm ditior, nihil ſtudet impenſiùs; ac ſuorum Promerita plenioribus beneficijs rependere: & , quemadmodum Iulius Cæſar ſuum nihil ex ciuili feciſſe victoriâ, *niſi diſpenſandi poteſtatem* a Senecâ traditur(*a*); ſic ex noſtris muneribus nil vſurpat libentiùs, quàm reſtituendi cum fœnore arbitrium: adeo vt nulla cum Mortalibus negotiatio vberiori quæſtu reſpondeat, quàm liberalis erga ipſum largitio: nec quidquam æquè noſtrum poſſimus vocare; ac quod tam magnanimo debitori tribuimus: tunc profectò vel Craſſorum ad inuidiam pleniſſimi; cùm, noſtris quibuslibet copijs in ipſius Cultum exhauſtis, per religioſam id genus inopiam nos funditus vacuos, capaciores videlicet exaggeratiſſimę ipſius largitatis fecerimus. Nimirum, ſi alibi vſpiam; hìc vel maximè ſibi vindicat locum, quod in Thraciȷ olim Regis conuiuio Athenienſis pronuntiarat Gneſippus (*b*), quemadmodum priſcâ lege opulentiores iubeantur Regi munus afferre; ſic inopes contra regali munificentiâ locupletari par eſſe: eoſque, vt opinor, cum primis, qui cauſam inopię vnicam habeant, ſua Regi pridem omnia donaſſe. Cùm igitur veſtra hinc ob tantum munus hilaritas, hinc ex tanto debitore felicitas geminum meę orationi recludat effuſiſſimę latitudinis campum; in hoc argumenti veluti biuio ſanè quàm ambiguus hęrerem, vtram potiùs in partem, ad alteriuſne laudationem, an alterius gratulationem deflecterem; niſi veſtram ſingularem modeſtiam non minùs a ſuę liberalitatis prędicatione abhorrerę intelligerem; quàm inſignis animorum magnitudo &

a 2 Lib. 3. de Irâ c. 30.
b Xenoph. L. 7. de Exp. Cyri;

do & ſublimitas eiuſdem exercitatione oble-ctetur. Dimiſſa igitur Alijs celebrandi, quod tam prolixè ad aras vouiſtis, ſplendiſſimi muneris curâ; compendij, quod ex eo vobis redijt, pręſtantiam apud vos expendendam ſuſcipiam: perſpicuè, ni fallor, planèque oſtenſurus, plus multò, rebus omnibus Deo conſecrandis, emolumenti vos hodie aſſecutos, quàm doni elargitos: cùm meliori nunquam conditione, ac, ſecundùm iſtiuſmodi vota, facultatum veſtrarum poſſeſſores dominique fueritis: idque triplici nomine, quia illas vobis videlicet per ſacramenti religionem tum ex vilibus pretioſas, tum ex caducis perpetuas, tum ex anguſtis penè immenſas feciſtis.

Et ad primam ſanè partem quod attinet; rerum poſſeſſionem donando non amitti, ſed in melius mutari, perfacilè intelliget, quisquis cum Cordubenſi Sapiente obſeruauerit, nouum & pręſtantiorem nos titulum muneribus, quę largimur, tribuere, recentiſque huius tituli certiſſimos poſſeſſores conſtitui, ſimul ac prioris ius & arbitrium in Alios, largiendo, trãſtulimus. En planiſſima Philoſophi verba (*a*). *Illud, quod ſuſpicis, quo te potentem ac diuitem putas, quamdiu poſſides, ſub nomine ſordido iacet: domus eſt, ſeruus eſt, nummi ſunt. Cùm donaſti; beneficium eſt.* Quantò igitur beneficij natura quouis auro, & fundo excellentior; tantò per largitionem gratuitam nobilius rei dominium aſſequimur, dum eam noſtrum beneficium & munus efficimus; quàm obtinuerimus priùs, cùm eam non niſi aurum noſtrum, vel fundum appellare poſſemus.

Quę

a Sen. L. 6. de Benef. c. 3.

Quę ratio, per omnem liberalitatis materiam generatim & latiſſimè patens, nuſquam certè manifeſtiùs elucet, ac in eâ einſdem nobiliſſimâ parte, quæ ad Numinis Cultũ refertur. Quamuis enim cuiuslibet muneris pretium, pro perſonæ cui exhibetur præſtantiâ, ſoleat decreſcere; hic tamen vel exiguiſsimum quoduis vectigal ab accipientis Dei magnitudine infinitum quodammodo nouę dignitatis cumulum recipit, ex profano terrenoque diuinum euadens, nec vulgare & promiſcuum beneficij iam retinens nomen, ſed in altiorem ſacrificij nomenclaturam atque ordinem tranſiens. Teſtis vaſorum, quæ diuinis initiantur myſterijs, adoranda religio. Teſtis ædium ſacrarum, quibuſcũque regalibus Tectis longè venerabilior, maieſtas. Tuque teſtis par omnibus reliquis vna, Bethleemi fortunatiſſima ſpecus, quòd breue Deo naſcenti hoſpitium præbueris; non clariſſimæ ſolùm, ſed & ſanctiſſimæ famæ immmortalitatem promerita, eque pecudum ſtabulo in auguſtale pietatis, & terrenum quaſi cęlum reſicta. Nam quæ ſordibus tuis marmoreæ aurataque non inniderint Cęſarũ domus? Quæ permiſtam ſyderibus frontem humilitati tuę dedignentur Capitolia ſubmittere? Quę Mauſolea, quęue pyramides tot ad Sui contemplationem excitos vel infimę ſortis ſpectatores iactauerint; quot tu dynaſtarum & procerum turbam e remotiſsimis oris, perque laborioſiſſima itinera, ad receſsùs tui limen, nedum genibus curuis, impreſsâ etiam fronte verrendum, traxiſti? Admirabili certé ſpectaculo, cùm Mortalium ſupremi, ad humiliora, quàm quæ alibi excipere conſueuerant, obſequia demiſſi, pronis humi reptarent corporibus, religioſis poſtes oſculis tererent, humilique ter-

terrore perfuſi, & pauidam quaquauerſum venerationem circumferentes; in nullo non angulo corporatæ Diuinitatis animam legerent, veſtigia indagarent, vagitus penè ipſos audire ſe crederent. Tanti refert ad Decoris glorięque incrementum, rerum etiam viliſſima Numini offerri. Nihilo a naturâ pretij plus duxerint, quàm roris ignobiles guttę; Erythręos quoquę vniones adoptiuà dignitate antecellunt, ſimul ac in cęleſtis huius conchę deuenerint ſinum. Sint lapides, ſint arenę, ſint lutum; ſplendidè in aurum degenerant, ſtatim ac diuini huius Midę contigerint manus. Ne multis: quę aquarum, dum ſe mari reſtituunt, eadem & noſtrorum eſt cenſuum, dum authori ſuo referuntur, conditio. Quamdiu certis illę alueis diuiſę mediterraneosOrbis Tractus prę terfluunt; hic Tyberis, Eridani illic, Gangis alibi, aut Rheni, & centum huiuſmodi, ſpecioſa magis, minùſue, circumferunt nomina. Poſtquam in Oceani ſe profunda euoluere; iam nuſquam antiquum nuncupationis famęque diſcrimen. Spatioſiſſimi gurgitis alueo ſubmerſę, ac eiuſdem amplitudini immiſtę, quid fuerint, dediſcunt, vno in poſterum omnes ſplendidiori vocabulo mare appellantur. Sic & opes Mortalium, quoad terrenos apud dominos hęrent; diuerſis pro ſuę ingenio naturę nominibus, pretijſque cenſentur. Vbi primùm Conditori ſuo dedicantur; in nouum quaſi genus translatæ, longè aliud nobilius aſciſcunt rei ſacrę diuinęque vocabulum. En igitur primum, Sodales religioſiſsimi, hodierna quo ſacramenta vos cumulant, fructum. Quę olim poſsidebatis, ſed quatenus in naturę ſuę luto demerſa, vt profana, vt vulgaria, vt terrena; obtinere iam pergitis, ſed nobiliori ſub nomine,

ne, ſed vt ſeipſis meliora, ſed vt ex ingenuę conditionis humilitate ad cęleſtem quemdam gradum euecta. Non veſtrę iam fortunę, non veſtra corpora, non veſtræ voluntates; veſtra ſunt ſacrificia.

Quamquam quid ego, veſtrorum materiem votorum, ſecundùm prçteritæ natiuęque appellationis ſuę poteſtatem, non vltra iam vobis conſtare, affirmaui? Vel quatenus talis, veſtra illa adhuc eſt, immo nunc ſolùm iure certo atque ſtabili veſtra. Nam, vt ea primò expendantur Bona, quę, dum nomine a Fortunà deſumpto appellamus; ad eam magis, quàm ad nos, pertinere, citra controuerſiam fatemur; quid hoc rerum genere incertius? Quid breuius? Quid lubricum & euanidum magis? Suosne quiſquam auſit illos cenſus iactare, quibus, vt hominum parcat iniuria, vt flammæ, tempeſtates, naufragia, cæteraque id genus ſexcenta fortuitorum caſuum diſcrimina vim nullam admoueant; ab inexorabili tamen mortis neceſſitate ſpoliandum propediem ſe nouit? Certè fluxa adeo, & precaria, alienique arbitrij poſſeſſio non veſtra videbatur iuſtiùs dicenda; quàm ſua poſſit hiſtrionum quiſquam vocare cõmodati ea cultùs Inſignia, quibus ad vſuram breuiſſimi temporis magnificè ornatus, peractoque mox mimo exuendus, regnatorem Thraciæ Lycurgum, vel ducem ducum Agamemnonem refert. Nunc, nunc enimuero ſtabili proprioque illa iure ad vos pertinet, poſtquam totum ipſius ius atque arbitrium ei permiſiſtis, qui, humanarum viciſſitudinum ac temporum potens, omnem mortalitatis iniuriam defendere a ſibi concreditis facultatibus nouit: externiſque muneribus perfici neſcius, non ſibi, ſed vobis, perperuò man-

manſurum rei datæ dominium cuſtodit?

Neque verò, quin hæc ita ſe habeant, dubitare nos patitur illuſtrium virorum authoritas, qui, vel Mortalium, deuinctam beneficijs fidem theſauri quàm certiſſimi loco exiſtimandam duxerunt. Vultiſne eorum vobis aliquem proferam? Adeſſet producendus Simonides(*a*), Hieronem qui regem ad ſuos ita Familiares ditandos hortatur; vt ſeipſum ditari tunc ſciat, in ſuo nempe habiturus ærario, quidquid apud illos collocauerit muneris. Adeſſet Traianus Cæſar, quem *nihil credidiſſe ſuum magis* accepimus, (*b*) *quàm, quod per Amicos haberet*. Adeſſent Martialis (*c*), & Seneca, quorum concordi prorſus teſtimonio, *Extra Fortunam eſt, quidquid donatur Amicis*. *Quas dederis, ſolas ſemper habebis opes*. Sed, vt quiſque horum poſſit iure optimo adduci; Perſarum rex Cyrus nequit citra iniuriam omitti: eò maximè idoneus propoſitæ veritatis aſſertor, quòd illam non verbis ſolummodo expreſſit; ſed & Facto approbauit. Hic (*d*), cùm omnes propemodum tum imperij ſui reditus, tum victoriarum manubias, quæ Principum alijs ad ſtabilimentum potentiæ diligentiùs aſſeruare mos eſt, Amicorum in ſinum, nil parcens, profunderet; a Crœſo Lydorum rege, ſuo quondam Captiuo, mox Familiari atque comite, de neceſſariâ cumulandæ pecuniæ prouidentiâ eſt admonitus. Audijt, prout ſolebat, humaniter Cyrus: percontatuſque, quantam demum vim auri

---

a Apud Xenoph in Hierone.
b Plin. in Paneg.
c Mart. Epigr. 43. Lib. 5. Sen. Lib. 6. de Benef. cap. 3.
d Xenoph. L. 8. de Inſtit. Cyri.

auri aggeraturum fuiſſe in ærario ſe crederet, ſi ab ipſis imperij primordijs illi curam atque animum parſimoniæ adiecíſſet; vbi immanem neſcio quem modum ab eò definiri accepit; ſuos circa Familiares dimiſit,qui in præſenti nũmorum penuriâ libenter ſe illorum benignitate, renuntiaret, vſurum. Nec mora: ſingulis beneuolentiâ & officio certantibus, tantum auri per ſyngraphas vndique oblatum; vt a Crœſo propoſitam Summam, nedum exæquaret, tranſcenderet. Ad quem liberaliſſimus Princeps, repentinâ illâ copiâ ſtupentem, conuerſus, Iam igitur, inquit, fatebere, nequaquam meæ largitati theſauros, vt rebaris, deeſſe, & multò illos quidem omnium tutiſſimos.Si enim pecunias, auarâ tenacíque diligentiâ obſignatas, in ærario reconderem; anxijs vtique curis, ac mercenarijs excubijs diu,noctuque tutandas haberem: cùm contra, in Amicos diuiſæ, ab eorum nunc ſingulis, citra vllam vel curam meam, vel Impenſam, ſollerti prouidâque mihi cuſtodiâ ad téporum opportunitates ſeruentur. Quæ ſi de Amicis ille terreſtribus, quàmuis perſæpe vel ad reſpondendum auaris, vel ad cuſtodiendum male cautis, & inualidis retulit; quid nos, rogo, ſentire de Numinis fide par eſt, vnius inter omnes Amicos cum ad vicem referendam gratiſſimi, tum ad noſtra ſeruanda conſilio viribuſque inſtructiſſimi? Et ſanè Plato,(a)& beneficia tunc minimè donanti perire conſtituat; cùm accipiens per ea bonus efficitur. Certior felicis, nec authori ſuo perituri muneris ratio, illi donare, qui, naturâ ſuâ optimus, nullo alterius beneficio poſſit melior euadere.

P Et

a In Gorgiâ.

Et de fortuitis externiſque hactenus cenſibus. Quid porro? De interiori theſauro, animorum libertate, an non idem omnino affirmandum? Nonne & ipſa tunc quàm maximè in tutum ſubducitur; cùm Deo mancipatur? Si mea, tamquam oratoriè differentis, fides ſuſpectior; philoſophiæ geminos tripodas, Ariſtotelem, & Platonem conſulite. (*a*) Inferioribus nihil naturis ad Sui conſeruationem plus conferre diſcetis; quàm ſi præſtantiorum ſe regimini tradant: nulloque imperitam multitudinem tempore a crudeli ſeruitio propiùs abeſſe; quàm, cùm ſibi in totum permiſſa per effrænem licentiam laſciuit: facillimo maximèque vſitato ex democratiâ in tyrannidem tranſitu, ex ſummâ nimirum libertate in vltimam ſeruitutem. Plurane,& luculentiora teſtimonia requiritis? Agedum, ex Academiæ vmbris publicam in lucem egreſſi, Europam, Africam, Aſiam per Annalium veſtigia luſtrate. Nullam haberi mihi fidem volo, niſi exemplorum, vel ad ſatietatem, nedum ad plenam rei probationem, ſe obtulerit copia. Occurrent Cappadoces, (*b*) qui donatam a Romanis libertatem repudiant, diſertè cauſati, conſtare ſuam gentem ſine regis imperio non poſſe. Occurrent Carthaginienſes, (*c*) qui, Maſſaniſsâ bellum ciente, Rempublicam ſuam Romani populi arbitrio permittunt, libertati ſe ſimilem malle ſub paternâ illius dominatione ſeruitutem profeſſi, quàm finitimi hoſtis tyrannidi obnoxiam quotidie libertatem. Occurrent. Sed peregrinari nil opus, illuſtrius domi exemplum

a Ariſt. l. 1 Polit. c. 3. Plato 8. de Rep.
b Iuſtin. l. 38.
c Liu. l. 42.

plum habentibus, ipſammet Romam: quæ, tot diu tyrannorum miſerabilis præda, factioſos quot ciues ſuis excidijs alebat; dum in vnius tandem principatum conceſſit, adeo ſalutem inueniſſe potiùs, quàm feciſſe libertatis iacturam, Dioni, ac Senecæ eſt viſa; vt Alter (a) Marci Bruti conſilium, de reſtituendo per Iulij Cæſaris necem popularis Reipublicæ ſtatu, imprudentiæ damnauerit; Alter verò palàm edicat Quiritibus, (b) tamdiu ab exitij abfuturam periculo Vrbem, quàmdiu frænos nouerit pati, *eumdemque illi finem dominandi futurum, qui fuerit parendi*. Cùm itaque interior noſtræ mentis Reſpublica, ciuilibus perduellium affectionum diſſidijs miſerandum in modum conuulſa, non leuius, quàm Romana olim ciuitas, domeſticę tyrannidis iugum ſuſtineat: cùmque in eam virium imbecillitatem deuenerit; vt nihilo plus, quàm Pœnorum, & Cappadocum gens, aduersùs externorum vim hoſtium in ſe habeat præſidij; quidni ſuam tunc libertatem ſibi firmiùs aſſerere ac tueri dicatur; cùm ſupremi moderandam Regnatoris arbitrio permittit? Regnatoris nimirum, qui nonniſi prauos & noxios illius Vſus coercet: nec aliâ idipſum de causâ, niſi, vt conſecuturam per æternitatem liberrimi, immo vt præſenti etiam æuo liberiores degamus; indignâ videlicet acerbiſſimorum hoſtium tyrannide immunes, maximèque expediti, ad omnia, quæ libeat, pro Rationis, ideſt pro hominis arbitratu, exequenda. O ſeruitutem cuilibet, vel Spartanæ, libertati inuidendam,

P 2 quæ

---

a Dio. l. 44.
b Sen. l. 1. de Clem. c. 4.

quæ Noſtri poſſeſſionem, dum Numini mancipat; nobis confirmat! O Principatum ab eripiendâ ſubiectis libertate vſque adeo remotum; vt ſtabiliendę ſubiectorum libertati veriùs inſeruiat! Amiſſum nobis rerum noſtrarum, Noſtrique dominium, propterea quòd Deo creditum ſit, quiſquam exiſtimat? Pupillum hic idem rerum ſuarum minùs dominum vocet, quia tutorem acceperit. Aut, ſi in hæreditariâ tunc illum poſſeſſione verſari ſecuriùs fatetur; nos quoque tunc Noſtri fateatur poſſeſſores certiſsimos; cùm Numinis in iura migrauimus. Neque enim ille optimus, maximus, ſuoque ad plenum ditiſſimus Princeps largitiones ideo humanas admittit; ſuos vt in Vſus, mendiculi ritu, conſumat, ſed vt largientibus potiùs, curatoris integerrimi fide, ad puluiſculum reſignandas, cuſtodiat.

Reſignandas verò duntaxat, Depoſiti in morem? Parùm id e liberalitate Diuinâ. Immo (quod in partitione tertium poſuimus) locupletiori etiam prouentu ampliandas, largiſſimiſque, ſupra Libyæ, aut Ægypti Nouales, vſuris, ceu ſementem, augendas. Etenim, ſi vel ea, quę vtenda acceperimus, cumulatiore, modò fieri poſſit, menſurâ reddi iubet Heſiodus; (*a*) an potentiſſimum Vniuerſitatis totius conditorem id ſolummodo redditurum putemus, quod noſtra illi paupertas offerre potuerit: nec potiùs, iuxta magnificam Alexandri Macedonis vocem, (*b*) magis, quid ſe deceat præſtare; quàm, quid nos mereamur recipere, in conſilio habiturum? Sit vulgarium ea Principum in-

a Apud Cic. lib. 1. de Off.
b Plut. in Apophth. & Sen. l. 2. de Ben. c. 16.

indoles, vt argumentum habeant potentiæ, nihil debere; non debendi verò ſpecimen, nullam officij vicem Inferioribus reddere: gratiæque adeo, vt ad ſenſum penitùs ſurdos; ſic ad reſponſionem omnino ſe mutos exhibeant: perinde quaſi, ceu Tullius (*a*) animaduertit, non penſauerint modò munus, dum accipiunt; ſed dederint. Quàm ſecurus magnitudinis ſuæ, tam ab humili hoc faſtu alienus cæleſtis Regnator. Vnus licet nil alteri debeat, quin veriùs multò, quàm iactatum de Traiano fuerit, quantouis *pro munere paria accipiendo faciat, immo & vltro* ſibi *obliget dantes*; (*b*) fidi tamen, gratique debitoris gloriam non ſpernit, nec in beneficentiæ certamen ac ludum, vel cum Mortalibus, dedignatur deſcendere. Et verò cur, noſtris laceſſitus munuſculis, pro ſuâ reſpondendum copiâ non putet? Num quia, cùm toti vſquequaque ipſius ex largitate fluxerimus; quidquid ipſi quandoque exhibemus non tam donum appellari meretur, quàm accepti antea doni redditio? Atqui hoc peculiare in donando benigniſſimus ille Principum habet, geminique hoc muneribus ſuis pretij pondus adiungit; vt ad Meritum nobis, nouorumque munerum cumulum ea velit ſufficere: pro ingratis, ſuęque beneficentiæ contemptoribus habens, qui collatam diuinitus ſortem otioſà cuſtodià ſeruare; quàm ſollerti negotiatione duplicare maluerint. Quin vltro ad hoc lucri genus homines prouocat, collocare in quodam veluti fœnore apud ſe iubens, quæ a ſeſe acceperunt, ta-

P 3 lenta:

a Plin. in Paneg.

b Tul. l. 2. de Off. *Ne obligari quidem beneficio volunt: quin etiam beneficium ſe dediſſe arbitrantur, cùm aliquid acceperint.*

lenta: munificentiſſimus quidem, dum donat, ſed multò etiam munificentior, dum ſic repetit data: vt non immeritò Platonicus Euthyphron (*a*) dandi, petendique ſcientiâ, ſacrâ quadam nimirum homines inter, atque Deos mercaturâ ſanctitatem definiat. At nulla in cæleſti naturâ indigentia: ergo neque munerum gratia: ergo neque officij reſponſio. O ratiocinationem inſaniſſimi Bipedis! Niſi grunnitum appellare malimus illius ſordidiſſimi gregis, a cuius magiſtro ductoreque, Epicuro, (*b*) contexitur. Quaſi verò ſummorum ad Principum benignitatem non pertineat, vel ea, quæ, pro ſuâ rerum omnium affluentiâ, *non appetunt*, cum illo apud Plinium (*c*) Arriano, *tam gratè excipere; quàm, ſi concupiſcant*: & Perſarum opulentiſſimus Rex Artoxerſes magnâ quadam laboraret fluuialis aquæ indigentiâ, dum eam, cauis manibus pauperculo ab homine in amoris ſibi pignus oblatam, luculento Daricorum mille nummùm, aureæque phialæ remunerandam ſibi pretio putauit. (*d*) Eſto, apud nullius indigum rei nullus obligatæ gratię ſit locus. Nullumne etiam vltroneæ liberęque dicemus beneficentiæ? Immo hæc nemini magis accommoda, quàm ſupra egeſtatis periculum poſito. Quid igitur? Si Deo vel maximè congruens, beneficia impertiri; in quos, rogo, largitatis ſuæ fontes ſeu libentiùs profundet, ſeu pleniùs; ac in eos, qui erga ipſum largiſſimi? Quòd obligari Mortalibus nequeat; repenſurum negas Mortalium officia? Quin hac ipsâ de cauſâ proli-

a Plat. in Euthyphr.
b Cic l. 1. de Nat. Deor.
c Plin l. 3. Epiſt. 2.
d Plut. in Vita Att.

lixiùs, & ſupra rei taxationem, repenſurum fatere. Si enim, tamquam poſitis calculis, examinatiſque ſcrupuloſà diligentià ponderibus, non niſi par pari referret; pro religioſi duntaxat attentique debitoris officio videretur feciſſe. Dum accepti menſuram tranſcendit; magnificum potiùs, ceu reuerà eſt vocandus, largitorem ſe probat. Sed quid cum Epicuro tamdiu velitamur? Ex impuriſſimæ pecudis ſtabulo ad nobiliſsimi regis Alexandri Macedonis aulam præſtabit diuertere: (*a*) qui animo, quàm fortunà, & cognomine ingentior, cùm in pueritià, thus aris copioſiſſimè ingerens, parciùs a pædagogo Leonidà iuberetur ſacrificare, quoad thuriferas gentes ſuo imperio adieciſſet; meticuloſam hominis prouidentiam & regali tunc ingenio contempſit; & ad animoſiorem mox Cælitum Cultum fortunæ ſuæ exemplo incitauit. Occupatà namque demum Arabià, differtam odoratis illius mercibus nauim auaro monitori tranſmiſit: hortatus, vt, quando exiles acerras plenis Onerarijs compenſatas diuinitus cerneret; Deos tandem venerari opulentiùs condiſceret, nec iacturam, ſed quæſtum putaret, ſi quid religioni impendiſſet. Iuſtiſſimè quidem, ſi ab inani ſuperſtitione ad vnius veri Numinis Cultum traducatur oratio. Quemadmodum etenim Barbaros, quidquid inuentarum penes ſe artium ad Græcos tranſmiſerànt, nouæ quodam inuentionis fermento perfectiùs cumulatiùſque abſolutum ab ijs mox recepiſſe, prodidit Plato; (*a*) ſic rudis atque inops Mortalitas ſuarum nil rerum ſupremo Conditori impertitur, quin multiplici fœnore,

P 4 ine-

a Plin l. 12. Hiſt. Nat. c. 14.
b In Epinomi.

inexhauſtiſque nouarum acceſſionum prouentibus ab immenſiſsimâ illius benignitate, & potentiâ exaggeratum recipiat.

O vos igitur nimiùm quàm beatos, Sodales, qui tria, quæ cæleſtis Paterfamilias vobis olim, talenta, attribuerat, fortunas videlicet, corpora, atque animos, non aut ſubterraneis infodiſtis receſsibus, ad ignobiles curas depreſſa; aut intra ſinum, proprios in Vſus conuerſa, abdidiſtis: ſed liberalitatis negotiatione pulcherrimâ feliciter adeo occupaſtis; vt, triplici quàm ampliſſimo quæſtu, ex profanis ſancta, ex incertis perpetua, ex tenuibus penè immenſa effeceritis: nunquam eorum domini meliùs; quàm, cùm vobis erepta Deo conſacraſtis, nunquã diuites iuſtiùs vocãdi; quã, cùm omniũ omnino per religioſam abdicationem egeni. Scio, illi veteri Craſſo deductum ab eximijs agnomen diuitijs pertinaciter adeo inhæſiſſe; vt, quàmuis ad ſummã deinde inopiam prolapſus, priori tum etiam cognomento ab occurrentibus Diues audiret. (*a*) Sed vocabulum illud ignominioſa erat veriùs decoctæ exprobatio, quàm honorifica manentis gratulatio fortunæ: cùm vos priſtinæ copiæ, vel poſt hodiernam voluntariam inopiam, non appellationem ſolummodo, ſed & fructum retineatis, quin immo multis tantis locupletiùs auxeritis. Gratulamini enimuero, prout decet, feliciſsimæ huic nuditati: &, velut Ægyptij tunc optimè ſuis fundis conſultum, eorumque ſibi auctam poſſeſsionem exiſtimant, (*b*) cùm a Nilo occupatos ſubmerſoſque intuentur; ſic vos quoque cer-

a Val. Max l. 6. c. 11.

a Sen. l. 4 Q. Nat. c. 2. *Maiorque eſt lætitia gentibus, quò minus terrarum ſuarum vident.*

certiſsimo collocatum in quæſtu arbitremini, terrenarum quidquid opum Deo permiſiſtis. Neque enim frugiferas adeo prioribus dominis fœcundiſsimus ille amnis reſtituit, quas inuaſerit, terras; vt opimas, ſeque ipſis meliores illas Numen facultates redonat, in quarum poſſeſsionem inducitur. Fuerit hæc olim Sardanapali vecordia, vt ſuos ſupra cineres illud ſcribi voluerit, non tam hominis, quàm ventris, elogium, (*a*) *Hæc habeo, quæ edi, quæque exaturata libido hauſit*. Dementiſſimum caput! Cùm illa *ſe habere mortuum* iactaret, *quæ ne viuens quidem diutiùs, quàm frueretur, habuerat*. Vobis, ſaniori præditis mente, quique non abdomini pabulũ, ſed Deo ſacrificium veſtras eſſe opes iuſſiſtis; cum morituro apud Rabirium poetam Antonio, tum viuis, tum mortuis teſtandum, *Hoc habeo, quodcunque dedi*: (*b*) tantòque, quàm Romano illi duci, ſecuriùs; quantò & potentiorem, & fideliorem Amicum hac vobis largitione obſtrinxiſtis. Si felix atque optandum eſt munera accipere, felicius atque optatius donare; vos certè feliciſsimi omnium, qui, vtramque iſtiuſmodi ſortem complexi, cum munificentiæ tam prolixæ honeſtate tam exuberantis immenſique vtilitatem compendij iunxiſtis.

P 5 Vin-

a Cic. 5. Tuſcul.
b Sen. l. 6. de Ben. c. 3.

ORATIO XVIII.

De Votis Religioſis.

Liber naturâ, quin & Naturæ imperator hominis animus quàm acri contentione, nulloque non impendio a ſeruilibus vinculis emancipare ſe ſtudeat, tum Aliorùm perilluſtria teſtantur exempla; tum nobile documentum inprimis Telliadeus vates Hegeſiſtratus dedit. (a) Hic ſiquidem, apud hoſtes Lacedæmonios captiuus, cùm nulla effringendę, qua retinebatur, duriſſimæ compedis ſe præberet occaſio; rerum deſperatione, animique ſui magnitudine ad conſilium vocatis, & quid, ait, longinquas expectamus opportunitates, ignauorum, meritòque ſeruientium præſidia? Rationem vir fortis præ manibus habeo, qua, & ſi non integer ipſe, integram tamen hinc efferam libertatem. Pereat Hegeſiſtrati pars, quę ſui eſſe iuris Hegeſiſtratum prohibet. Vno debilis crure fugam expeditiùs capeſſam, ſi incolumi vtroque cohibeor. Pręſtat dimidium euadere; quàm totum teneri. Hęc magnanimus vir tacitâ deliberatione executus, dedignatuſque pro ſuis eos artus iam ducere, ſeruitutis qui geſtaſſent Inſignia; captiuum ſibi pedem diſſecuit, eoque hoſtibus quaſi redemptionis ſuę pretio relicto, Tegeam clandeſtinus aufugit: tanti habens, dum a compedibus reuelleretur; vel a ſemetipſo reuelli. Neque mi-

a Herod. l. 9.

mirum id certè, ſi tum ignominię labem, quam vincula imponunt; tum agendi virtutem, quam cohibent; tum arbitrij libertatem, alieno quam dominatui ſubijciunt, in ęſtimationem vocemus. Verùm enimuero adſit huc Hegeſiſtratus ille, adſit quilibet alius libertatis pretioſus redemptor, & nouum, quantouis contra pretio non carum, alligationis pręclariſſimę genus a nobis ediſcat: qui, cùm ſolutis ac liberis noſtro degere arbitratu fas foret; triplici quàm arctiſſimo nexu Deo aſtringi maluimus: adeo a religioſis huiuſcemodi vinculis vel tantillùm laxandis, nedum perfringendis, remoti, adeo ijs etiam glorioſi, & penè dicam ſuperbi; vt, quo nobis tenaciùs adhęreant; iterum ea quotannis, atque iterum ſolemni redintegratione firmemus, deſtinatoſque ſacro muneri dies, ceu ſanctos ac verè natales, ampliſſimis omnibus celebrandos inſtituerimus religioſę lętitiæ argumentis. Et iure optimo, ac meritiſſimò quidem. Nam quid, rogo, his beatius pulchriuſque compedibus? Quæ, quos deuinciunt, adeo non fœdant; vt ſplendidiſſimè potiùs exornent: adeo ab agendo non prohibent; vt multò etiam actuoſiores efficiant: adeo natiuà demum libertate non exuunt; vt eam vel confirment, atque impenſiùs perficiant. Vultiſne has earum prærogatiuas, ceu verè propoſui; ſic rite confirmem: &, quàm nobiles ſunt; tam omnibus notas facere aggrediar? Nihil ſanè vel mihi iucundius, vel hodiernę gratulationi accommodatius, vel pietati gloriæque veſtræ debitum magis. Sed, quia effuſam plùs nimio tam exuberantis materiæ amplitudinem temporis ad dicendum propoſiti anguſtiæ nequaquam recipiunt; hanc a veſtrâ humanitate datum iri perfacilè mihi ve-

niam confido; vt argumentum, cui ſemel complectendo exhauriendoque me imparem ſentio, ceu trifariàm diuiditur; ſic totidem in orationes diſpertiam: &, duabus poſtremis, quę circa libertatis, & potentię acceſſionem verſantur, in pręſentia ſepoſitis partibus; primam ſolummodo, quæ ad nobilitatis gloriæque claritudinem ſpectat, hodiernà mihi diſſertatione pertractandam ſuſcipiam: id vnicè demonſtraturus, diuinis, quæ volentes & olim induimus, & hodie redintegrauimus, vinculis non modò nihil quidquam imminui; ſed multis etiam tantis Mortalium dignitatem augeri.

Quoniam verò inter menſas, dieque, tam felicis propter nexùs memoriam, lætiſſimo, hæc a me diſputantur; ne aſpero quopiam ſalebroſę ratiocinationis ceu tramite ad propoſitum ita finem feratur oratio; vt a loci temporiſque genio diſcedat; primum ipſius firmamentum ex celeberrimo illo deſumere placuit Agathonis conuiuio, quod gratiarum leporumque omnium conſultiſſimus Plato, admirabili quadam elegantioris philoſophiæ ſuauitate conditum, Atticæque facundię liquidiſſimis fauis, ne immortali dicam Deorum ambroſiâ, reſperſum, non ad paucorum hominum, quę vno finiretur die, voluptatem, ſed ad manſuram poſteritatis totius oblectationem inſtruxit. Nempe ibi, (*a*) præter alia complura, ex interiore muſarum penu deprompta, ſcitiſsimi quidem ſaporis, ſed non huius loci meique Inſtituti, cupedia; illud, tamquam pro virili portione ſuâ ſymbolum, a Pauſaniâ ſtatuitur, generoſam adeo & excelſam caſti amoris indolem eſſe;

a Plat. in Conu.

ſe ; vt vel ea , quæ deſpicatui per ſe ducerentur , ſi affectionis tam diuinæ prætulerint Notam ; in alterum quaſi genus ſubitò migrent, natiuęque obſcuritatis illuuie detersâ, peregrinæ quodam lucis ſplendore illuſtrentur. Ruſticanos dixeris Fœtus , a gentilitijs aratris in regalis nomen familiæ per adoptionem traductos . Plumbum credas , aut corium, materię vilitate aſpernandum , pretioſum eò tamen, quia Principis formà percuſſum . Quam adeo percrebuiſſe apud Græcos ſententiam idem author confirmat ; publicà vt lege ſancitum voluerint , ne vllum , quod Amor imperaſſet, obſequium pro ignobili ſordidoque haberetur: gnari videlicet , in ferendo de rebus iudicio, non perinde quid fiat ; ac , quo fiat mentis conſilio, ſpectari oportere : nullumque tam deſpecti operis genus occurrere , quod per decoram & laudabilem cauſam ab humo ſuſtolli, excelſoque vel primariæ dignitatis in gradu nequeat conſtitui.

Eſto igitur , ad ignominię nomenclaturam pertineant , probroſùmque adeo ſonent vinculorum & ſeruitutis vocabula ; vt captos in bello, ceu fœdiſsimum pecus , nedum nullo pretio redimendos exiſtimet Plato; (*a*) ſed vel ab hoſtibus gratuitâ humanitate dimiſſos intra ciuitatem recipi vetet . Si non per ignauiam,aut virium imbecillitatem , ſed honeſtis de cauſis ſubeatur captiuitas , & nobilis potiùs Amor volentibus, quàm hoſtilis violentia ſubactis catenas iniecerit ; vſqueadeo voluntaria illa ſeruitus, delectæque ab amantibus compedes nil inurunt dedecoris ; vt vel ipſis ſpecioſiùs triũphis ac Laureis , deuinctos nobilitent . Quid enim?

a In 5. de Rep.

enim? Num Strymonis gurgites Thracum ſanguine infecti, num geminæ, vnius diei labor, ad Eurymedontem victoriæ, num reliqui omnes bellicorum facinorum tituli tantum commendationis famæque Cimoni addidere (*a*); quantum ea vincula, quæ, vt parentis Miltiadis obæratum cuſtodiæ cadauer vicario ſui nexu ad ſepulturam redimeret; vltroneus ac libens ſuſcepit? Num Scipio, debellatam ipſo nomine Africam referens, num Marius, Teutonicis Cimbricisque ſpolijs onuſtus; num alius quiſquam veterum ducum, catenatam præ ſe agens barbarorum Regum ſuperbiam, honorificentiori triumpho Capitolium conſcendit; quàm Atilius Regulus, heroicæ ideo, quia calamitoſę, virtutis exemplar, ad Punicum carcerem, & barbari Victoris catenas redierit? (*b*) Obſtupuit retinentiſſimus libertatis ſuæ populus, obſtupuit auguſtus rerumque dominator Senatus incredibilem Viri conſtantiam: & tacitâ primùm admiratione, immenſis mox laudibus abeuntem proſecutus, Vade, inquit, quò eximia iſta virtus te ducit, glorioſiſſime olim Imperator, ſed nunc glorioſiùs captiue. Vade, nouum in mediâ Carthagine poſiturus Romanæ fidei trophæum. Horruit te pluries Pœnus hoſtis armatum: horrebit iam, quod magnificentius, reuinctum: ſuamque vel victoriam a generoſiſſimâ tuâ captiuitate ſuperatam fatebitur. Quin & Fortunam peccaſſe iam talem in virum pudebit: niſi fortè ſuum aduerſi certaminis crimen ad Meritum potiùs plauſibili excuſatione traducet: dum hoſtibus prodito illius declarandæ occaſionem præbuit

a. Plut. in Vitâ Cim. & Val. Max. Lib. 5. c. 3.
b. Cic. L. 3. de Off. c.

buit virtutis, quæ adeo, citra periculum, in florente atque incolumi credita nequaquam fuiſſet; vt vix etiam nunc, tam inſigni comprobata experimento, ſuam fidem inueniat. Si pleniſſimam tibi Dij poteſtatem emendæ, quo maximè velles pacto, gloriæ dediſſent; aliud fortaſſe pro illâ quodlibet pretium maluiſſes perſoluere: nullo certè, quàm libertatis, impendio vberiorem potuiſſes referre. Adeo ſupra quæuis imperia tam nobilis eminet ſeruitus: adeo nullis non ſceptris illuſtriùs arbitrariæ iſtæ compedes nitent. Hæc Reguli, quia ſponte captiui, & tunc apud ciues, & deinde apud omnes celebritas. His ille tum præſentis famæ fructibus, tum futuræ pignoribus diues, immortalis in gloriæ theatrum ſibi carcerem vertit: abſterſoque catenarum ſqualore, nullam eſſe non decoram ſubiectionem probauit, cui nobiles cauſas magnanimæ voluntatis Propoſitum, & Platonicus ille, non Dioneâ communique, ſed cœleſti ortus Venere, Amor præbuerit. (*a*)

Quod ratiocinationis meæ caput ſi ex hactenus dictis ſat perſpicuum videtur; te iam ego ad noſtrorum colligendam vinculorum præſtantiam hic appello, immortalis, ſanctiſſime, integerrime Numinis Amor. Nam quem alium in ijs ſponte induendis hortatorem ſecuti ſumus ac ducem? Quis, præter te vnum, faces animis & ſtimulos ſubdidit, natiuam vt libertatem perpetuo mancipatam nexu vellemus? Tuum, age, his compedibus inſcribatur auguſtiſſimum nomen: tuis hæc auſpicijs delegetur captiuitas. Vincti dicamur, ſed quia liberè catenas elegimus, ſed quia tibi auſcultandum putauimus.

Cuiuſ-

a Plat. in Conu.

Cuiuſcunque certè generis ſit præſens noſtra conditio; nemo illius inficiabitur gloriam, niſi qui tam præclarum, tam eximium, tam diuinum authorem deſpexerit.

Demus tamen, nullam eſſe, quæ vinculis pretium adiungat, ſpecioſam & nobilem cauſam: adhuc ijs exornandis ſufficere poteſt, vel ſola, Regnatoris, cui ſubijciunt, maieſtas. Præterquam enim, quòd tantò ſplendidiorem omnis ſeruitus titulum habet; quantò præſtantiori exhibetur; non minimum etiam ſuæ in ſubiectos perfectionis conſueuit refundere imperantis magnitudo & potentia: cùm & ſeruus quicunque, iuxta conſignatiſſimam Ariſtotelis (a) vocem, animatum quoddam inſtrumentum domini ſit; & ad inſtrumenti virtutem & gloriam perquã plurimũ referat, in gregarijne, an eximij artificis manus deuenerit. Certè, quemadmodũ vitis, proceræ vlmo platanoque illigata, ſuis adeo non deprimitur vinculis; vt, quæ cæteroqui ſoluta humi ſerperet, eo quaſi adminiculo in ſuperiora enitatur; ſic Mortalium quàmpluximis, excellentis faſtigij domino aſtringi, fulcimentum & gradus fuit, quo ad ſublimiorem dignitatem conſurgerent. Niſi fortè nil ſuà nobilitatos captiuitate tot dixerimus populos, quos ex indecori ac propemodum ferinâ barbarie ad ciuilis elegantiæ ſplendorem illuſtris humanique victoris imperium produxit.

Quid ergo iam deeſt, quominùs hoc itidem nomine glorioſa, quàm quæ maximè, vinculorum noſtrorum exiſtimetur conditio? Num infami piratæ, num illiberali tyranno, aut humanæ ſaltem cuiquam poteſtati nos illa ſubijciunt? Immo cæli, terrarumque, & Vniuerſitatis totius

a Lib. 1. Polit. c. 3.

tius auguſtiſſimo Principi, cuius natura bonitas, vox fatum, nutus omnipotentia, ſolium immenſitas. O & veri honoris, & tantæ maieſtatis prorſus ignaros, ſi quibus, illius fræna ſuſcipere, dedecori potiùs, quàm gloriæ accenſetur! An verò potentiſſimus Rex Armeniæ Tigranes, a Pompeio Magno ſubactus, victoris, egregij quidem, ſed tamen mortalis, præſtantia ſuam ſibi commendare ſortem potuerit, (a) *non eſſe turpe ab eo vinci* profeſsus, *quem vincere nefas fuiſſet: nec ei quemquam inhoneſtè ſubmitti, quem fortuna ſupra omnes extulerat*: & homulus quiſpiam ex argillà atque luto hic exiſtat, qui cæleſtis, æterni, ſupremique Imperatoris famulatu dehoneſtari ſe putet? An nobiliſſimi Romanæ olim Reipublicæ Magiſtratus de ſuis illis, quos nefaria ſuperſtitio ſacrauerat, lapideis & futilibus Dijs tam magnificè ſenſerint; vt, teſte Valerio, (b) *humanarum rerum ita demum ſe regimen exiſtimàrent futuros; Diuinæ ſi eorum potentiæ famulati cõſtanter fuiſſent*: nec pari ſaltem apud nos in pretio habeatur vnius veri Numinis ſeruitus? Nec illam nos quoque pro dominationis celſiſſimæ auſpicio gloriabundi iactemus: immo & ſupra ipſam, qua nil altiùs in terris aſſurgit, maximorum regum ſortem ponamus? Ponemus haud dubiè, ſi vel Homericum illum Achillem, ſuperbiſſimi cæteroqui ſpiritùs hominem, audiendum duxerimus: (c) qui, cùm, fato iam functus, regijs apud manes honoribus conſpicuus ac ſublimis incederet, eumque poſthumo hoc regno perbeatum Vlyſſes iactaret; malle ſe apud

Supe-

a Paterc. L. 2.
b Val. Max. lib. 1. c. 1.
c In Odyſ L. 11.

Superos retulit, inopi licet hero ſubeſſe; quàm omni mortuorum vulgo imperare: fabuloſo quàmuis ſub exemplo apertiſſimè indicans, excellentis cuique indolis viro multò eſſe præclarius cenſendum, immortali ſi Domino, eiuſdem immortalitatis in partem venturus, deſeruiat; quàm, ſi mortales inter hominum cœtus, tenuiſſimas nempe quaſdam vaneſcentis qui vmbras, exilis etiam ipſe vitæ larua, principatum obtineat.

Et hæc quidem noſtri nexùs dignitas foret; quamquam diuinæ ille ſolùm poteſtati ſeruorum nos in morem ſubijceret. Quid, cùm diuinæ idem perfectioni bonitatique per amicum quoddam Fœdus Voluntatem coniungat? Quantum inde vberioris gloriæ nanciſci, quantum noui atque intimi Decoris in nos deriuare cenſebitur? Nihilò certè minus, quàm ex amicà cum inhærentibus ſibi formis colligatione promiſcua & vulgaris aſpectabilium cuicuimodi rerum materia adæquatur. Age, quæſo, illius conditionem pauliſper inſpicite. Nonne alienis duntaxat auſpicijs mouetur, gubernatur, impellitur? Nonne arctiſſimo nexu tota vndique obitur, penetratur, conſtringitur? Nihil profectò vſquam ſui minùs arbitrij, nihil obnoxium & ſubditum magis, nihil preſſiùs atque interiùs deuinctum. Iamque adeo nonneminem mihi videor audire, qui, O ſeruituti genitam! O infra contemptiſſimi cuiuſque mancipij vilitatem a naturà proiectam! exclamet. At o ipſum veriùs inſulſum, naturaque penitùs rudem! Qui neſciat, formarum poteſtati ſic materiam obſtringi; vt totam, quæ in ijſdem eſt, pulchritudinem, virtutemque ſibi mutuò coniungat. Vos ſanè, Auditores doctiſſimi, non illam ſuo id genus vinculo deprimi, ſed natiua veriùs

ex

ex humilitate ad ſpeciem decoremque produci affirmabitis: tunc ſolùm abiectam nulliuſque pretij futuram; cùm, nobilioris regimen partis tyrannicum quoddam iugum interpretata, vel amicos ſuæ dignitatis Complexus, ceu turpes ſeruitij catenas, diſrumperet. Vbinam igitur ij ſunt profani cenſores, qui noſtram, dum ſuo, & Bonorum omnium authori deuincitur, Voluntatem ſuperbiſſimo errore contemnunt? Adeone in rerum pretijs conſtituendis, tumidiſſimi mole ſupercilij obumbrante, cæcutiunt; vt vel quemquam ideo fœdari, quòd nobilem formam ſubierit; vel nobiliori, quàm diuina voluntas ſit, formæ nos ſubijci potuiſſe opinentur? Quid tum, ſi alligamur? Infinitæ pulchritudini, excellentiſſimæ omnium perfectioni, incomparabili ſupremæque dignitati alligamur.

Addite iã, quòd religioſa huiuſcemodi vincula nõ ab honeſtiſsimã ſolùm causã imponuntur, eique, vnde omnis deriuatur præſtantia, Regnatori Voluntatem aſtringunt; ſed & ampliſſimæ inſuper ſortis argumentum ac titulum præferunt: dum, ijs palàm geſtandis, quaſi certo quopiam charactere, profanorum ab hominum vulgo ſecernimur, præcipuique Chriſtianã in Republicã gradùs atque ordinis manifeſtum Inſigne exhibemus. Vt proinde, qui, communis vocabuli generiſque fœditate perterritus, vel ſic obligari probroſum exiſtimet; nę ille non leuiùs deſipiat; quàm, ſi aureo quis digitum circulo, vel gemmato collum torque ad ignominiam potiùs, quàm ad Cultum ſplendoremque innecti putaret. Nimirum eiuſmodi ornamẽnta non ſecus, ac lora catenæque, deuinciunt. Deuinciant vel arctiùs. Non quolibet, ſed eo tantùm nexu conſtringi, qui ad humiliorem conditionem pertineat, eique deno-

tandæ

tandæ fuerit vulgò inſtitutus,ignominiæ tribuitur. Quidnam iſtuc rationis iudicijque eſt, in rerum dignitate penſandâ, nil præter externa & communia intueri? Quaſi verò non plurima occurrant, quę, cum abiectiſsimis ſimilitudine quapiam, & generis ſocietate coniuncta; ab eorum tamen vilitate atque ſordibus per honeſtæ ſignificationis diſcrimen quàm longiſsimè abſint. Vt vnico rem exemplo declarem; an exilium non turpe, non contumelioſum, non ſupplicij & Notę publicę genus? Ita prorſus, ſi communi taxatione ęſtimetur. At nihil hęc obſtitit, quominùs apud Athenienſes Oſtraciſmo indictum exilium dignitatis quàmampliſsimę titulus foret. Cùm etenim moderandę magis potentię, quàm improbitati plectendę, illa eſſet animaduerſio inſtituta,nec alios propterea ex vrbe conſueuiſſet depellere, niſi quorum prę nimia in vrbe cenſebatur authoritas; quicunque ſic fuiſſent proſcripti, non tam fœdi inter criminis conſcios, quàm eminentiſsimos ciuitatis inter Principes publicà ſuffragatione videbantur relati. Et verò, quàm id omnes perſuaſum haberent, tunc, ſi vnquam, liquidò patuit; cùm, per Alcibiadis Nicięque factiones, in Hyperbolum neſcio quem, lutulentum ac ſordidum hominem, ea damnatio incidiſſet. (a) Vix enim promulgato nebulonis contemptiſsimi nomine, reſpectare ſe inuicem admirabundo, & malignùm ridente vultu, qui aderant: mox, diſcuſſo nouitatis ſtupore, aperta multitudinem indignatio peruadere, frementumque paſſim voces audiri: Et quid tandem egregij ficulnus hic ſtipes, hoc cœnum, hic gigantum fraterculus geſſit; illuſtrem vt adeo, fuiſ-

que

a Plut. in Nicia.

que tam indignam ſordibus Multam mereretur ſubire? Hiccine vnquam ſic damnari ſperaſſet? Habet iam, vnde animum tollat, cur ſe ſe circumſpiciat, & iactet. Ad famam emerſit, quid ſepulcro incideret, reperit, vità obſcurus, nobilis pœnà. O ſortis ludibrium! O Atticæ hiſtoriæ pudorem! Inter Cimones, Ariſtidas, Themiſtocles Hyperboli nomen referri. Ne diutiùs vos teneam; adeo indigna res viſa; vt tamquam ſi viliſſimo in capite maieſtatem ſuam polluiſſet; vſurpari iam in poſterum ea proſcriptio deſierit: inſigni tamen argumento relicto, vnde in rem noſtram idoneus quiuis ratiocinator planiſſimè colligat, quantacunque compedum nomini generatim accepto turpitudinis labes inſideat; has tamen, quibus nos alligamur, ornamento, non dedecori eſſe: cùm, a peruulgatà & communi promiſcuæ appellationis infamià ſpecioſè degeneres, nullum, vt aliæ, reatum, fortunæque, vel criminis probrum, ſed, ceu vetus Oſtraciſmi damnatio, excellentioris tantùm loci atque ſtatùs amplitudinem notent: dignæ propterea illarum in compedum numero haberi, quas Claudius olim Cæſar Gallo Sardinio minitatus amiciſſimè fertur: (*a*) dum aureis catenis, ſenatorij videlicet ordinis nobiliſſimo gradu retenturum in Vrbe, ſe hominem dixit, & ſplendidè mox vinctum retinuit.

Cùm igitur tria, quæ hactenus vidimus, nomina quibuslibet vinculis adiungere claritudinem poſſint, vel ſingula, nec quiſquam non eo plurimùm nexu illuſtretur, ſeu quem voluntarius, honeſtoque ab Amore incitatus ſuſcepit; ſeu quo longè omnium nobiliſſimo Principi, ſuri-

a Xiphil. in Epit. Dion.

ſuæque adeo nobilitati coniungitur; ſeu qui eximiæ dignitatis monumentum ac ſpecimen præfert: cùmque non vnus, aut alter ex eiuſmodi titulis, ſed omnes planè vniuerſi ad exaggerandum religioſæ obligationis ſplendorem conueniant: nam & ſanctiſſimi per Amoris Inſtinctum a volentibus illa vltro depoſcitur; & ſupremo totius honeſtatis Authori penitiſſimè voluntatem aſtringit; & celſiorem Chriſtianà in Republicà conditionis honoriſque prærogatiuam deſignat; quis veſtros, Auditores religioſiſſimi, animos, dum ſic obſtringuntur, quàm pulcherrimè ornari, & perinde, vt orationem poeticis numeris vinctam, mirum quoddam ſuo e nexu Decoris pretijque additamentum referre non videat? Quis ſacram hanc ſeruitutem non illuſtre magis regnum appellandam exiſtimet; quàm ſplendidam ſuum regnum Antigonus (*a*) ſeruitutem vocauerit? Quis non cum Traiani laudatore pronuntiet, vos quoque *ad principatum obſequio perueniſſe*, (*b*) quin multò vos etiam præclariùs? Cùm *nihil ſubiecti magis animi* a Romano illo Cæſare *factum ſit; quàm, quòd imperare cœpit*; nihil a vobis imperatoriè & baſilicè magis; quàm, quòd ſeruiendum putaſtis. Cedant enimuero tam præclaræ ſeruitutis compedibus annuli, Equeſtris ordinis Decora: cedant ſeu armillæ, ſeu torques, militaris præmia virtutis: cedant diademata & faſces, ſupremæ ornamenta poteſtatis. Si enim Genitius ille Cippus, quòd ſe Patriâ voluntarium per exilium priuare, quàm Patriæ libertatem per regium Dominatum maluiſſet eripere; ſeptem vniuerſis, qui Romæ imperauerant,

a Ælian. L. 2. c. 28.
b Plin. in Paneg.

uerant, Regibus anteferri promeruit; (*a*) dum natalem vos domum, paratoſque ibi honores & titulos, neque id, alienam libertatem a ſeruitute prohibituri, ſed veſtrammet libertatem cum diuinà ſeruitute commutaturi, valere iuſſiſtis; omnem omnino Regnatorum mortalium, terrenæque altitudinem ſortis eminentiori ſuperaſtis faſtigio: id nempe aſſecuti, vt, quemadmodum Hercules, nouercæ ſubeundis imperijs, patrem fertur (*b*) Iouem probaſſe; ſic & ſacra hæc ſubiectio cæleſtis vos filios Parentis, quæ ſumma ſummarum gloria, vltimuſque humanæ dignitatis terminus eſt, comprobauerit.

a Val. Max. Lib. 5. c. 6. *Dignam pietatem, quæ, quod ad ſolidam gloriam attinet, ſeptem Regibus preferatur.*

b Sen. in Herc. Fur. Act. 1.

Nouum ex Vinculis Potentiæ Viriumque Incrementum.

ORATIO XIX.

De Votis Religioſis.

LVctuoſas inter & tragicas humanorum conuerſiones euentuum, quas Fortuna, *ludum inſolentem ludere pertinax*, in verſatili temporum ſcenâ contemplandas pluries exhibuit; non minimum ſanè lacrymarum & miſerationis vectigal infelici quadam prærogatiuâ videtur depoſcere Milonis athletæ celeberrimi caſus (a): dum, immanem arboris truncum per cuneorum inhærentium Sciſſuram aggreſſus diſſindere; laxatis nonnihil primo niſu roboris partibus, ſed natiuam mox in compagem violentiùs reuerſis, tenaciter adeo firmiterque alligatus cohæſit; vt, omni nequidquam exprompto vindicandæ libertatis conatu, miſerrimam deuiâ procul in ſyluâ, ſuæ virtuti ſuperſtes, nullique non hoſtium facilis præda, & impunè mox a Feris laniandus, captiuitatem pertulerit. Quid enim valentiſſimo pugili funeſtius accidere potuit, & grauius; quàm manus illas, publicorum toties victrices certaminum, tot Pythijs, tot Olympicis nobiles palmis, tam nuper Aduerſarijs timendas, tam Græciæ vniuerſæ admirandas, repentè præmortuas, eòque debilitatis redactas aſpicere; non modò vt antiqui nullum roboris ſpecimen dare; ſed neque

a Strab. L. 6. & Pauſ. L. 6.

que aduersùs vllam infirmiſſimi vtcunque *hoſtis* aggreſſionem tueri iam dominum poſſent? Sic, contrarias alternantibus vices, & diuerſiſſimarum eodem in homine perſonarum ludibria comminiſcentibus fatis, qui ſolutus olim ac liber humanæ fortitudinis miraculum fuerat; ſylueſtri eo laqueo captiuus in humanæ imbecillitatis oſtentum migrauit. En igitur in fortiſſimi viri infortunio luculenter expreſſam, quam ex tribus olim commemoratis alteram fecimus, vinculorum infelix proprietas. En, quantum ex homine vel fortuita, eſto non probroſa, captiuitas homini eripiat: dum manibus, primo videlicet potiſſimoque inſtrumento, cohibitis, omni iam eumdem, ſiue ad externam vim propulſandam, ſiue ad conſentanea ſibi opera edenda, naturali facultate diſpoliat. Sed nihil eſt, nihil omnino, quamobrem vel huiuſce debilitatis iniuriam ab ijs quiſquam vinculis metuat, quibus veſtros, Auditores Religioſiſſimi, animos inſtaurata hodie legitimi ſacramenti nuncupatio conſtrinxit. Tantùm quippe feliciſſimi hi Nexus ab infirmando, nedum auferendo, humanæ Voluntatis robore abſunt; vt eam, quò & aduersùs hoſtiles incurſus munitior, & ad agendum ſit promptior; nouis inſuper viribus cumulent. Quod in hodiernâ ſuperioris anni panegyri ſecundo mihi loco indicatum, ſed propter dicendarum amplitudinem rerum peculiari ſuæque orationi ſepoſitum, ſi, quantùm argumenti dignitas poſtulat, perſpicuè diſertèque monſtrauero; næ alterum recentemque gratulationis quàm vberrimæ titulum tam beatis me compedibus adiūxiſſe arbitrabor: dum, veluti nihil ab ijs obſcurari, quin & pleniori luce perfundi natiuam animorum nobilitatem iam conſtitit; ſic

& potentiam agendique virtutem non modo nullam partem deminui; ſed locupletiſſimis etiam geminari additamentis conſtabit.

Fingite igitur (quò externâ obuiàque in imagine luculentiùs res pateat) fingite, inquã, apud animos veſtros, Rempublicam quampiam, ceu ditione, ſic opibus tenuem, circumfuſa obſidionis in morem, ſuæque libertati non parum infeſtâ Vicinorum potentium magnitudine vrgeri. Quod ei, rogo, tam anguſtis in rebus, tam non dubio in diſcrimine fulcimentum ac præſidium oſtenditis? Illud ſanè vel præcipuum, vel vnicum, (reſpondentes mihi videor audire) quo & veteres vſos Campanos, dum a Samnitibus premerentur, accepimus (*a*): agricolarum vt more, inualidas ſtirpes ad robuſtiora deligantium ſtatumina, Regnatori, armorum & imperij præſtantiâ conſpicuo, per clientelæ ſe Nexum deuinciat. Egregium profectò, & veſtrâ planè dignum ſingulari ſapientiâ conſilium. Cuius enim in fidem ſuam ipſa imbecillitatem obſtrinxerit; illius viciſſim potentiam in Sui defenſionem obſtringet: non alienum tam ſubiens imperium, quàm alienas ſibi vires concilians: tantòque ſic deuincta validior & tutior, quantò fortioris, ac ipſa ſit, Principis robore & copijs innixa. Atqui, ſi hęc ita ſe habent; iam & illud, quod religioſis ego ex compedibus firmitudinis viriumque incrementum proficiſci ſtatueram, in confeſſum planiſſimè venit. Vel ſiquidem, quod & pietas abominatur, & manifeſta ratio condemnat; in terreni plus Principis clientelâ, quam in cæleſtis ſupremique Regnatoris famulatu collocandum eſt auxilij & mu-

a. Liu. Lib. 7.

& muniminis; vel, quod oppoſitâ ex veritate palam conſequitur, pro certo admittendum, imbecillitatem nimirum humanam, dum votorum triplici nexu in æternam omnipotenti ſe Domino poſſeſſionem addicit; tantò, quàm ſolutam ſibique derelictam, ad Inimicorum repellendos Conatus obtinere plus roboris; quantò validiores immortalis patroni atque vindicis opes, commutatâ, vt ſacræ loquuntur (*a*) literę, priori fortitudine, ſuas quodammodo facit. Et verò, quam id olim perſuaſum haberent Epheſij, perilluſtri prodidere argumento: dum, a Crœſo Lydorum Rege oppugnati, (*b*) ciuitatis ſuæ mœnia Dianæ, quam in primis venerabantur, delubro illigarunt: ita nempe ad obſidionis pericula munitiores ſe arbitrati futuros, ſi, maiori potentiæ per voluntariam mancipationem deuincti, eiuſdem tutelam atque opem ſibi mutuò obligaſſent. At longè vos, Sodales, conſultiùs, qui non commentitiæ ſurdæque Diuinitati, ſed verò ſupremoque Numini veſtras in Famulatum aſtringendas voluntates duxiſtis: id profectò aſſecuti, vt & tantus vobis Regnator, ceu ſuæ poſſeſſioni familiæque opitulandum exiſtimet; & illius vos inuictiſſimas opes pro veſtris iam habere poſſitis. Quid vſque adeo gloriatur Demoſthenes, (*c*) æreis ſe atque adamantinis mœnibus, minimè fabuloſum Amphionem, Athenarum vrbem ſepiiſſe, quòd eam Eubœenſibus, ac Thebanis mutui fœderis ſacramento deuinxerat? O vanam & futilem, quæ terrenis cunque præ-

Q 2 ſidijs

a Iſai. 40 *Qui autem ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem.*
b Herod. L. 1.
c Apud Æſchin. in Or. contra Cteſiph.

ſidijs innititur, ſpem? Perinde quaſi non & illos adamantinos muros maior vis comminuere, ac funditus profligare potuerit. Veſtra hæc, veſtra potiùs prædicatio eſt, Auditores: quibus hodiernas inſtauratus ad aras ſanctiſſimi cum Deo fœderis Nexus ineluctabilis propugnaculi molem, nulloque non adamante plùs firmum, nullis non validiorem hoſtilibus machinis aggerem, amici nempe Cæli tutamen, circumdedit. Deſpiciat, vt libet, inſanorum hominum vulgus alligationem hanc veſtram, proque ignauâ & imbelli ſeruitute traducat. Longè aliter doctiſſimus Ariſtoteles (a) ſentiet, qui politicum quoduis, vel hominum, regimen *non* tam *ſeruitutem*, quàm *ſalutem* appellandum pronuntiat. Longè ſecus Latinæ facundiæ arbitrabitur Pater (b): qui, ſi Romanum imperium *patrocinium Orbis terrarum veriùs, quàm imperium, nominari potuiſſe* affirmauit; quantò id confidentiùs de Numinis imperio iactauerit? Ne multa. Ipſemet humani generis capitaliſsimus hoſtis, (*fas eſt & ab hoſte* (c) *doceri*) ipſemet, inquam, quid, quàmque magnificè de veſtris exiſtimandum ſit vinculis, palàm, vel inuitus, fatebitur: qui, dum ſuas vires machinaſque vniuerſas ad ea perfringenda, vel ſaltem relaxanda conuertit; næ nullum hoc ſe validius in vobis munimentum agnoſcere, nullum, quamdiu hæc arx firma atque incolumis ſteterit, ſuis patere irruptionibus locum demonſtrat.

Sed enimuero in re tam compertâ diutiùs immorari nil opus. Quantum ad hoſtilem cuiusque-

a Polit. L. 5. c. 8.
b L. 2. de Offic.
c Ouid. 4. metam.

quemodi vim munimenti nanciſcatur & roboris, quæ religioſis vltro ſe nodis, Voluntas, innexuit, & pronum oratori fuit demonſtrare; nec tardum ſit cuiquam perſpicere. Salebroſior fortaſſe ad probandum, nec perinde ad intelligendum procliuis ea potentiæ videatur pars altera, quæ humanis in actionibus cernitur, & quam nihilo, ac ſecuritatem & firmitudinem, minùs religioſi ſacramenti obligatione duplicari affirmauimus. An etenim huiuſcemodi Nexus quidquam ei, quem vinxere, permittunt, quod immuni ſolutoque non factu expeditiſſimum foret? An non, illius magis exemplo Socratici *Genij*, qui a propoſitis duntaxat operibus revocaſſe, nunquam verò ad operis quidpiam impuliſſe alumnum ſuum perhibetur (*a*); huc & ipſi potiſſimùm tendunt; vt ab *ijs* miniſterijs actibuſque exercendis, quorum cęteroqui pleniſſimam homini poteſtatem eſſe voluit *natura*, prohibeant? Quinam igitur, dum ex latiſſimis ſpatijs in certum & anguſtiorem *veluti* gyrum natiuam agendi facultatem concludunt; eiuſdem, quò ſuis obeundis ſit muneribus promptior, ampliare efficacitatem putentur? Video contradictionis oppoſitæ *laruam*, nec tamen deterreor. Tot enim patentiſſimis ea exemplis reuincitur, adeo per ſuam ipſa tenuitatem dilabitur; meæ vt propoſitioni non modò nil faceſſat negotij; ſed neque vllam inopinatæ arduæque admirabilitatis gloriam relinquat. Qui actuoſior fieri poſſit Voluntas, dum effuſiori a licentià intra definitum agendi orbem contrahitur, quaſi nouum & inſolens portenti genus, miraris? Non ad Oedipum te aliquem mittam, qui, vt celebre

Q 3 Sphin-

a Ælian. L 8. c. 1.

Sphingis ænigma, (a) de Animali tunc maximè ad gradiendum idoneo, paucioribus cùm pedibus nixo, reſoluit; ſic noſtrum hunc quoque haud diſſimilem tibi griphum ediſſerat. Non Theopompum iubebo prudentiſſimum Spartæ Regem audire, qui, ab vxore obiurgatus, quòd, Ephorùm magiſtratu inſtituto, anguſtiorem iam filijs regiam poteſtatem relinqueret (b); immo verò firmam magis, quia rite moderatam, adeoque & maiorem, reſpondit. Agedum, ex obuijs quibuſque naturæ interpretibus tortuoſi adeo & inextricabilis paradoxi rationem ſcitare. Eamdem confeſtim ſubijcient, quæ calor, & frigus, ſi arctiora cogantur in ſpatia, pleniorem operandi vim nanciſcuntur. Peripateticorum Principem adeas(c). In ipſis rem oculis ponet, quorùm altero clauſo exactiùs, quàm vtriſque ad ſpectandum intentis, propoſitas imagines cernimus. Quintilianum interroges (d). Admirationem ineptam vel gladij iugulabit acie, quæ, quò attenuatur magis, eò plus ad ſuum feriendi munus habitudinis refert; vel Falerni veteris hauſtu diſcutiet, quod ſenectus decoquendo minuendoque corroborat. Plinianum tripodem conſulas. Vites (e) oſtendet, putatoriâ quibus falce detonſis quantum materiæ detrahitur; tantum feracitatis accedit. Apage hinc, Manilius exclamat, vulgare adeo, & indignum Sapiente iudicium, geometrico vt palmo metiendam exi-

a Athen L. 10.
b Plut. ad Princ. Indoctum.
c Ariſt. Probl. 2. ſect. 31.
d L 2 c 12.
e L 17. Hiſt Nat. c. 22. *Quidquid materia adimitur, fructui accedit.*

exiſtimemus virtutem,ſpatijque adeo laxitate congruentem ad modum redactã, eam ſimul a quis portionibus contrahi arctarique opinemur. (a) *Materiæ ne quære modum, ſed perſpice vires: quas ratio, non pondus habet.* Niſi fortè illud nauis prodigium, quod Ptolemæus cognomento Philopator (b) quadragenis remorum ordinibus, quaterniſque plùs remigum millibus, ad quemdam quaſi marium terrorem, inſtruxerat, Liburnorum biremibus plus in nauigando habuiſſe opportunitatis atque vsùs dicamus: aut niſi Heracleinſis ille Dionyſius, dolium veriùs, quàm homo, quem in abnormem adeo exuberaſſe pinguedinem traditur; (c) vt neque infixas lateribus per calloſam profundiſſimi abdominis ſpiſſitudinem acus doloris vllo ſenſu perciperet; eà nonnihil abſumptà, qua demum pra focatus interijt, ſaginà, de naturali tantumdem vel corporis robore, vel operum efficientià amiſiſſet. Nunquam profectò, nunquam, ſi Catoni quid credimus (d), legitima & prudens moderatio potentiam deminuit. Vtinam exaggerata præter modum,ſeſeque intemperantiùs effundens prolixitas non illius magis neruos ſuccideret: neque triſtia paſſim monumenta certam nimis fidem aſtruerent Ariſtotelis Dicto, (e) cum Olygarchię,tum popularis Reipublicæ ſtatum, nedum per Contraria, per laxiora quoque incrementa labefactari ſępenumero euertique aſſirmantis. Sed & illum oraculi potiùs, quàm

---

a Lib. 4.
b Athen. L. 5. & Plut. in vita Demetr.
c Id. Athen. Lib. 12 & Ælian. L. 9. c. 13.
d Plut in Apophth.
e Polit. L 5. c. 8.

hominis, ibi fide locutum; & Auguſtum mox Cæſarem (a), dum relicto moriens libello ſucceſſorem Tiberium ab vlteriùs extendendà imperij ditione deterruit; non timidiorem, quàm prouidentiorem fuiſſe, tu inprimis iuxta nobili, & tragico tuarum exemplo ruinarum confirmas, Lacedæmoniorum florentiſſima vrbs (b): cuius olim prævalidas inuictaſque, quoad priſcis tenuere ſe limitibus, opes immodica poſtremò & exuperans illarum amplitudo ad perniciem deduxit. Dum etenim, terreſtri haud imperio contenta, maris quoque principatum inuadis; neutrius ſatis potens, quia vtroque potita, ijs aperuiſti cladibus locum, quæ veterem Spartani tum nominis gloriam, tum imperij fortunam irreparabili miſerrimoque dein caſu afflixere. Tanti ſcilicet fuit (vt veriſſimè pro ſuà hic ſapientià colligit Plato) (c) Heſiodeum illud non intellexiſſe felicis aureæque mediocritatis Præceptum, *Dimidium aliquando maius eſſe, quàm Totum.*

Non tamen me fallit, allatis huc vſque argumentis propoſitam mihi veritatem a contradictionis potiùs inuidià defendi; quàm extra dubitationis aleam conſtitui. Age, interiori diſputationis quaſi gyro ſe colligens, ad ipſum controuerſię iam caput accedat oratio:&,quod alibi paſſim tam obuium & frequens oſtendit, vt potentia, dum latiùs ſe profert; decreſcat: dum anguſtiori compeſcitur modo; plus roboris ducat; certum id in re noſtrà & perpetuum conſtare, quemadmodum citra vllam contradictionis protulit ſpeciem; ſic patenti ſolidà-
que

a Dion. L. 56.
b Iſocr. in Or. de Pace.
c Lib. 3. de Legibus.

que ratione demonſtret. Neque longus hanc labor conquirere. Nam quæ tandem e pluribus efficacior agendi vis & facultas? Nonne illa, quæ ad præſtantiſſimos Actus habilitatis vigoriſque plus afferat? Nemo, vt opinor, Sapientum negauerit: cùm & cæterarum quarumlibet rerum ab eo, quod potiſſimum habent, appellatio ducatur; & duorum in comparatione id alteri præhabendum Ariſtoteles (a) doceat, cuius excellentiſſima pars excellentiſſimæ alterius parti præeminet. Hinc eos rite apud Tullium M. Cato redarguit, (*b*) qui ſenectutem, vt curſui, palęſtræ, armorumque tractationi parum idoneam, imbecillitatis atque inertiæ damnarent: tamquam ſi, præter laborioſas huiuſcemodi artes, non alia ſuperſint, & multò quidem digniora, ac ſenum maximè propria, conſulendi in commune, moderandæque Reipublicæ officia: aut quaſi minùs in naui gubernator cenſendus ſit agere, dum quietus regimini aſſidet; quàm nautarum reliquum vulgus, dum exhauriendæ ſentinæ, remis agendis, veliſque iam contrahendis, iam laxandis inſudat. Hinc etiam excelſiſsimæ quique indolis viri, ad promiſcua & gregaria minùs aptos ſe opera, cum Athenienſi Themiſtocle nunquam erubuerunt fateri (*c*), dummodo aliam iactare cum eodem poſſent altioris longè gradùs ſcientiam, quæ ciuitates e paruis maximas, eque obſcuris clariſſimas faceret: gnari videlicet, quod Iſocrates ſcripſerat (*d*), rerum vtilium vel mediocrem notitiam exquiſitæ cuilibet ſuperua-

a Lib. 3. Topic.
b De Senect.
c Plut. in Themiſt.
d In Helenæ Encomio.

cuiarum artium cognitioni anteſtare. Non erubuere verò, inquam? Parum eſt. Immo, cum Pericle illo, qui, Salaminiæ inſtar nauis, non niſi ad pracipua ſe adhiberi volebat negotia, (*a*) vulgarium ſtudiorum ac munerum Vſum erubeſcendum ſibi potiùs duxerunt: veriti, credo, ne in degeneri occupatis materiâ ſuum illud inclamaret Diogenes (*b*), *Quantò meliùs; tantò deteriùs*: aut ne illo vapularent conuicio, quo canendi peritiam, ceu regi indecoram, in filio caſtigaſſe Philippus Rex Macedonum (*c*) fertur: quoque & ipſum aliquando non inſulſus neſcio quis fidicen inter menſas notauit: dum pulſaudis de neruis ambitioſiùs pertinaciùſque altercanti (*d*), Abſit, inquit, o Rex, tantum id a te probri, vt iſta ſubtiliùs me noueris. Neç immeritò quidem, ſi reprehenſionis huiuſce rationem perpendimus, a nobiliſſimis Romanæ, Græçeque ſapientiæ proceribus, Senecâ, & Platone propoſitam: quorum Hic Cyrenæum Anniceridem (*e*), vulgi plauſu tumentem, quòd plures eodem in curriculo orbes, prioribus ſemper veſtigijs inſiſtens, ſingulari quadam aurigandi dexteritate perageret, adeo miratus non eſt; vt ignauiæ potiùs argueri: ceu qui, ſcrupuloſam adeo leuiſſimæ arti diligentiam impendens, ad ſublimiora ſe ſtudia non perinde vel factum, vel propenſum oſtenderet: Ille autem peruerſam & futilem Grammatiſtarum quorumdam in Orphei ętate, Homeri Patriâ, cæteriſque de hoc gene-

---

a Plut. in Præc. gerendæ Reip.
b Laert. in Diog.
c Plut. in vita Periclis.
d Id in Apophth.
e Ælian. L. 2. c. 27.

genere literarum quiſquilijs ac ſcrutis colliſgendis ſollertiam eo nomine accuſat (a), quòd, friuolis occupatos & inanibus curis, præſtantiorum a rerum indagatione animos reuocet: ideo minùs doctos, quia talia didicerint. Ita plane res habet. Definitis quibuſdam, & nimiùm quàm anguſtis limitibus humanæ mentis circumſcribitur virtus. Nequidquam futurum ſperaueris, vt in multa ſe poſſit, ac diuerſa totam impendere. Si tenuioribus vacat; iam ad maiora Sui minus reſeruat. Quidquid illis tribuerit, totum his eripit. Tantò ad hæc erit validior & promptior; quantò ab illis ſe longiùs remouerit. Vt proinde, ſi actionum præſtantiâ, quàm certiſſimam ſupra conſtituimus efficacitatis decempedam, metiri rem libeat; qui a promiſcuis exercendis ſe muneribus cohibet; vel ideo, quòd pauciora ſibi voluit licere, plùs poſſit: nunquam profectò, ceu Africanus de ſe Scipio iactabat, (b) minùs otiari dicendus; quàm cùm, externarum inutili varietate curarum abſciſsâ, otioſior videtur: qui ad omnia e contrario innatam agendi facultatem, citra vllum diſcrimen, exporrigit; eâ ipsâ tam vulgari effuſàque ſedulitate imbecilliorem ſe probet: dignus, de quo, itidem vt de Iulio Caſare, Gallicis palmis ciuilium Laureas bellorum addente, exclametur (c), *Perdidit o qualem, vincendo plura, triumphum*: nec ſecus, quàm ille alter multiplicis venditator ſcientiæ, ab Ariſtippo monendus, non, qui plura comedant,

a Epiſt. 88. *Ideo non diſcentes neceſſaria, quia ſupernacua didicerunt.*

b Apud Cic. L. 3. de Off. *Nunquam ſe minùs otioſum eſſe: quàm, cùm otioſus eſſet.*

c Lucan L. 3.

eos itidem *meliùs valere* (*a*): cùm, quemadmodum ſtomachi vigor prænimiâ multigeneris pabuli copiâ hebetatur, ne opportunum & ſalubre rite valeat perficere; ſic & animus, dum per varias futilium occupationes ſtudiorum inconſultâ auiditate diſtrahitur; legitimis, quæque ipſius intentionem ſibi iuſtiùs depoſcunt, dignè fungi muneribus nequeat.

Eat iam igitur aliquis, & noſtram hodierno ſacramento Voluntatem obſtrictam a ſuâ potiùs inhiberi depromendâ virtute; quàm ad ampliora eiuſdem incrementa proficere, exiſtimet. O iudicium nihilò abſurdum & ridiculum minùs; quàm, ſi veteribus Batauis ignauiæ, non ſtrenuitatis ergò putaretur conceſſum (*b*), vt a reliquis omnibus, præterquàm militiæ, officijs vacarent, *præliorum* tantummodo *in Vſum, velut tela atque arma, ſepoſiti:* aut ſi fabuloſæ Danaides (quemadmodum de re ſimili agens perquàm ſcitè animaduertit Plutarchus) (*c*) metuendum cenſerent, ne, ab improbo ſeruilique doliorum emancipatis labore, omnis prorſus deficeret occupandi ſui otij, viriumque exercendarum materies. Scilicet eximiâ, credo, nos aliquâ præſtantiſſimorum operum facultate abdicauimus, dum opum terrenarum ignobiles curas, lutearum voluptatum ſordidos Paſtus, profanæque libertatis ancipitem Vſum a nobis in perpetuum remouimus: vt nihil ideo præclari, nihil egregij, nihil homine digni iam deinceps agendum ſic immunibus reſtet. Immo quidnam eiuſcemodi miniſterijs, ſi probè inſpiciantur, humilius, ne damnoſius

quoque

a Laert. in Ariſtippo.
b Tac. de German. c. 29.
c In Conu. Sept. ſap.

quoque dicam, & incommodum magis? Cùm non modò natiuæ dignitatis ac pretij ex ſeſe nil habeant; ſed a nobiliſſimis inſuper, diuinique ordinis actionibus exercendis ſibi addictos prohibeant: adeo vt, (quod de Perſis atque Indis, cæteroque imbellium id genus nationum delectu, ad Macedonicas Alexandri copias adiuncto, (*a*) ſcriptum Liuius reliquit) *impedimentum maius, quàm auxilium*, mereantur vocari. Et, quæ a talibus coercetur, Voluntas non expediri, non abſolui, non perinde nouà huiuſmodi ceſſatione ſuam priſtinam operoſitatem dicetur prætergredi; ac Theodoſij Principis *otium Aliorum negotio anteuertendum* Pacatus (*b*) cenſuerit? Enimuero, niſi nuper admiſſa, liquidòque approbata reuocare iam in dubium velimus; confecta planiſſimè, & ipſum, vt ſic loquar, in fidei meridiem producta res eſt: videturque adeo idem nobis in præſentia eueniſſe, quod Agathoclis olim Regis militibus: (*c*) quibus ad bellum in Africam deportatis, vt ſublata ignauiæ facultas neceſſitatem virtutis imponeret; maritimà claſſe ante prælium, vt fertur, incensà, omnem ſollertiſſimus Dux euadendi, præterquam ſi viciſſent, ſpem abſcidit. Quemadmodum enim illos, maris vaſtitate, ineluctabili tamquam nexu, hoſtile intra Solum aſtrictos, erepta fugiendi poteſtas adeo impotentiores non reddidit; vt ad fortiùs pugnandum, inſignemque referendam victoriam compulerit; ſic & noſtræ Voluntati intercluſa profanorum actuum licentia vſque adeo efficacitatis

a Lib. 9.
b In Panegyr. Theod.
c Diod. Sic. lib. 17.

tis nil detrahit; vt ad excellentiſſima potiùs quęque obeunda nouas ilicet vires, & quamdam veluti neceſſitatem adijciat. Quid tum, ſi permulta hunc in modū obligatis interdicūtur? Ea interdicūtur ſolūmodo, quæ infirmitatis magis ſunt, quàm potentiæ argumenta: quæque poſſe nihil eſt aliud, quàm minùs nauum ſtrenuumque eſſe poſſe. Quid tum, ſi breuiorem in agendi campum conijcimur? Vel ideo perfectiora, maiorìſque iam virtutis opera enitimur: antiquis pictoribus, Melanthio, Apelli, & Nicomacho, ſimiles, quos, nonniſi quatuor coloribus vſos, eas tamen reliquiſſe tabulas Plinius (*a*) miratur, oppidorum quæ pretijs venirent: cùm inferioris mox ætatis artifices, adeo amplificatà pigmentorum copià, purpuriſque in parietes migrantibus, & Indià tum ſuorum fluminum limum, tum elephantum, draconumque ſaniem conferente; nil præclari viſendique operis promerent. Adeo (quod commemoratus ibi author adiungit, quodque mihi in rem noſtram licet aptiùs traducere) *Omnia tunc meliora, cùm minor copia.* Nempe in operibus, ſecus ac in ſententijs euenire Nouocomenſis Scriptor](*b*) dolebat, pondus magis, quàm numerus, quæritur: nec, vno quàmuis partu (*c*) elephanti, leænæque (*d*) fœcunditas exhauriri dicatur; non ideo plus illæ, quàm cuniculorum vberrimi Nixus, & complendis nati ſyluis lepores, pariunt. Certè Perſio nil obſtitit, (*e*) pauculas quaſ-

a Lib. 35. Hiſt. Nat. c. 7.
b Plin. Epiſt. 12. l. 2. *Numerantur enim ſententiæ, non ponderantur.*
c Solin. c 27.
d Herodot. l. 3.
e Martial. l. 4 Epig. 29.

quaſdam diſtinxiſſe carminibus paginas, quin exigui illius gloria libelli totam Marſi cum Amazonide ſuâ famam obrueret: ſcitèque propterea Octauium Auguſtum, imperij capeſſiturum primordia, Męcenas admonuit. (*a*) ne diminutionem interpretaretur potentiæ, ſi non vniuerſa, quę arbitrij ſui erant, ſimul egiſſet: ſed, quantò ad omnia perficienda obtinebat plus virium; tantò impenſiùs curaret, vt prçſtantiſſima ſibi quæque proponeret: animaduerſum perſpectumque rite habens, (quod authoribus in legendis Sapientes (*b*) diſtinguunt) aliud eſſe, ſi quis plurima; aliud, ſi plurimùm agat: quantùmque illud, ob ineptam prauamque ſedulitatem, mereatur culpari; tantum huic e contrario, pro ſuo ad maxima quæque perficienda vſu, commendationis deberi.

Felix ſanè operum paucitas, quæ operoſitatem in tantum amplificat! Felix obligatio, quæ optimam hominis partem expeditiorem relinquit! Felix debilitas, quæ impedimenta potiùs virtutis, quàm agendi virtutem imminuit! Habet iam Ælianus, (*c*) quod nouum corollarium adiungat Hieronis regis, & Aliorum exemplis, quos valetudo imbecillior, cùm ab externis futilibuſque oblectamentis prępediret; meliores capeſſendas ad artes adegit. Habet Socrates, qui, libertatis ſororem ignauiam eſſe, addo etiam ſubiectionis ſollertiam, pleniùs certiùſque confirmet. (*d*) Ne vltra, facturus rei fidem, vel Indos in

a Dion. l.52.
b Plin. lib.7. Epiſt.9. *Aiunt enim multùm legendum eſſe, non multa.*
c Æl. lib 4.c 15.
d Id. lib.10. c.14.

in libertate ſegnes, vel Phryges, & & Lydos ſub imperio maximè ſtrenuos in Medium producat. Nos illi locupletius multò vtriuſque argumentum partis præbebimus: quales & ante ſuſceptas haſce Numinis compedes fuimus, in maiore actuoſi minùs licentia; & quales ab iiſdem mox ſuſceptis euaſimus, tantò validiores, quantò diuinas tenaciùs in leges aſtricti. Si enim dexteræ quondam pollicem manùs ſubactis bello Æginetis præcidiſſe Athenienſes feruntur, (*a*) quò nempe *remum agere poſſent, haſtam ferre non poſſent*; contrariâ hic omnino ratione illa tantùm, quę circa ſeruilia inferiorisque ordinis miniſteria verſatur, ſubiectę Deo Voluntati facultas præciditur: vt, dum nullis iam vrgetur proletarijs & humilibus curis; æternis ſe totam liberiùs atque pleniùs impendat. Iactent quocirca ſuam profani homines indefinitam atque effrænem licentiam. Iactent, nullis ſe coercitos vinculis, expeditum ad omnia pro arbitratu peragenda retinere voluntatis ſuæ Vſum: eo ſcilicet pretio atque fructu, vt, citra ſapientem operoſi Delectum, egregiam illam conſequantur Margitæ Homerici laudem, (*b*) *Multa quidem norat, norat tamen omnia praue*: ferò que, cum ijs apud Senecam ardelionibus, nouiſſimâ iam ſub luce perſpiciant, *tamdiu ſe, dum nihil agunt, occupatos fuiſſe*. (*c*) Iuſtiùs vos multò, Auditores, feliciſſima hęc iactabitis vincula, quę vos cum ad externam firmiores quamlibet vim, tum ad præclara quæque munia obeunda promptiores efficiunt: veſtram,
que

a Id. lib. 2. c. 9.
b Apud Plat. in Alcib. 2.
c De Breuit. Vitæ c. 12.

que ideo naturalem potentiam, dum videntur deterere; in melius commutant: dum amputando coercere creduntur; vberiori fœcunditate congeminant. Vt planè, quemadmodum ſuo nunquam balſamo Iudæa perhibetur (*d*) copioſiùs fluxiſſe; quàm Romani cùm populi iugum recepit: Victoribus nempe odoratas propagantibus ſyluas, quas indigenarum auaritia paucorum intra iugerum fines arctauerat; (*a*) ſic animus veſter ad eximios & prænobiles Actus plus nūquam feracitatis habuerit; quàm, cùm, ſuæ libertatis pertæſus, in melioris ſe Domini leges voluntariâ obligatione deuinxit. Fuerit hoc igitur Crotoniatæ Miloni (vt in eodem deſinat, a quo ſumpſit exordium oratio) fuerit hoc, inquam, Olympionicæ fortiſſimo (*b*) inuſitati roboris ſpecimen, neruo frontem aſtringere, mox compreſſo ita ſpiritu niti; vt, intumeſcentibus venis, circumiectum temporibus vinculum frangeret: vos contra non alio certiori argumento inuictam poteſtis veſtrarum firmitudinem virium teſtari; quàm, ſi ſacra iſthæc vincula, quæ volenti ceruice induiſtis, nullo vnquam reluctantis animi niſu abruperitis: ſed, arctiùs ſubinde arctiùsque aſtringendo, ſarta tecta perpetuùm ſeruetis.

Li-

a Solin. c.36.
b Strab.l. 17.
c Pauſan. l.6.

Libertas perfectior, quia Compedibus Vincta.

ORATIO XX.

De Votis Religioſis.

SOlennis hic lętitiæ Apparatus, quo anniuerſariam religioſi nexùs redintegrationem à nobis celebrari mos eſt, effuſiſſimos illos in memoriam mihi reuocat plauſus, quibus ſuam ab externo quolibet nexu emancipationem, gratuitum Populi Romani munus, Iſthmiorum ad ludos coacta, excepiſſe vetus Græcia narratur. (a) Quàmuis enim oppoſita prorſus exiſtimari poſſit vtriuſque partis conditio: cùm amiſſam id temporis libertatem Græci reciperent; natiuam nos contra libertatem hodiernâ luce videamur exuere; ſi quis tamen rimari rem altiùs voluerit; non liberiores eos euaſiſſe, quòd humanis ſoluerentur; quàm nos, quia diuinis obligemur imperijs, perquàm facilè intelliget. Adeo non aliam hæc nobis neceſſitatem vincula imponunt; niſi, vt quàm maximè integerrimèque liberi ſimus: in illius nempe Regnatoris leges obſtricti, qui, Pliniano celebratam præconio, (b) Traiani Cæſaris benignitatem tranſgreſſus, totam imperij ſui rationem & vim ad incolumem ſubditorum libertatem tuendam conuertit: ideo *ſedem obtinens Principis, ne tyranno ſit locus.* Vt

a Plut. in Vita Flam. & Liu. lib 33.
b In Paneg. Trai.

Vt ſanè, quemadmodum Aſia tam beneficum in Eumene olim rege ſortita patrem narratur (*a*) fuiſſe; *nullius vt liberæ ciuitatis mutatam ſecum vellet fortunam*; ſic nos quoque, Parentis amantiſſimi obſequijs deuincti, nulli prorſus Mortalium, vel maximè ſoluto & immuni, ſuam inuidendam habeamus libertatem: immo quiuis, vel maximè liber, noſtras nobis, ipſomet libertatis nomine, inuidendas compedes habeat. Quandoquidem igitur neque nobilitatis ingenitæ gloriam, nec potentiam, agendique virtutem, ſubeundis huiuſcemodi vinculis, vel tantillùm imminui, quin & nouis cumulari prouentibus; hoc aliàs ex loco monſtrauimus; age iam, quod poſtremum, tum ad eorum commendationem, tum ad Promiſſi mei fidem implendam, ſupererat, hodierna demonſtrandum oratio ſuſcipiat: ipſam quoque nimirum humani libertatem arbitrij, nedum ſaluam & prorſus incolumem tam beatos inter Nexus conſtare; ſed ad vlteriora inſuper ſeu amplitudinis, ſeu ſtabilitatis, ſeu perfectionis incrementa proficere.

Quod mihi propoſitum in præſentia argumentum vt Contrariorum ex obiectu perſpicuitatis euidentiæque plus habeat; non abs re fuerit, eorum, qui, in omnem cupiditatum licentiam effuſi, nullo ſeſe ſanctiori vinculo aſtrictos, pleniſſimèque adeo liberos iactitant; miſerrimam probroſiſſimamque mancipationem perpendere. Quid enim perduellium affectionum, prauarumque libidinum, ſi quiſquam ijs habenas laxauerit, ſeſeque moderandum, atque adeo rapiendum permiſerit; quid, inquam, eiuſmodi Furiarum dominatu impo- ten-

a Liu. l. 42.

tentius? Quid grauius? Quid indignum & aſperum magis? Leuem, credo, ac ferendam dicemus Voluptatis tyrannidem, quæ hominem ſibi deuinctum non famâ, paternìſque opibus tantùm acerbiſſimè ſpoliat; ſed in extrema quoque toties diſcrimina, obtorto quaſi collo, præcipitem agit? Nihil ſeruile & probroſum ab eo tolerari arbitrabimur, quem præpoſtera & vecors ambitio tot dominis ſubijcit; quot ſuarum is rerum admiratores præconeſque deſiderat, omnium obſeruantem nutus, ad omnium ſe arbitria fingentem, ex omnium iudicijs ſermunculiſque timidiſſimâ anxietate ſuſpenſum? Liber ſuique compos, vel mediocriter ſaltem ſeruus videbitur, qui, prementе auaritiâ, mediaſtini viliſſimi in morem, dies, atque noctes excubare ſolicitus cogitur, vt nō ſibi, ſed Alijs, eam rerum Summam cuſtodiat, quam falsò poſſidere ſe autumat, cùm ab eâ veriſſimè poſſideatur: non impunè laturus, ſed ab inteſtino tortore ad mortem penè diſcruciandus, ſi quidquam ex credito ſibi ad ſeruandum pignore, vel citra ſuam culpam, ſeu caſus, ſeu dolus ſubtraxerit? O captiuitatem, omnium, quæ vel a fortunâ, vel ab externâ qualibet vi accidere poſſunt, grauiſſimam! Ne tuos vltra Phalarides, ne Dionyſios iam, Sicilia, deuoueas. Quid, vltima te humanæ conditionis perpeſſam, delicato nimiùm dolore conquereris? Laneum, quod tuliſti, iugum appellari iure optimo poteſt, ſi cum ferreo & adamantino hoc, quo de agimus, in contentionem vocetur. Non ferendos duntaxat, ſed & manſuetudinis clementiæque laudandos putabis, qui tuis inſultarunt ceruicibus, Dominos, ſi ad truculentiores hos reſpicias tyrannos. Vt acerbiſſima Illorum eſſent

ſent imperia; nihil certè vltra corpus, inſimam naturàque ſeruam hominis partem, potuerunt vexare. Interiores hi Phalarides ipſummet animum, in libertatem dominationenque progenitum, quin & eam animi partem, quæ cæterarum omnium imperatrix eſt ac regina, ponderoſiſſimo iugo, iniquiſſimiſque compedibus premunt. Quantacunque Illorum immanitas fuerit; ſi non ærumnarum finem, at temporarias ſaltem inducias, & nocturnæ quietis particulam ſuis mancipijs indulſit. Noctu Hi iuxta, atque interdiu mancipatas ſibi mentes exagitant, aſſiduiſque flagellis, & ſtimulis miſerorum latera crudeliſſimè effodiunt. Eorum poſtremò qui fræna morderent, hominibus ſaltem famulabantur, par ſibi genus & communem ſortitis naturam. Horum qui vexantur tyrannide, viliſſimis cupiditatibus, & Brutorum ad conditionem proiectis deſeruiunt: digni propterea, quos Romanæ ſcriptor hiſtoriæ, ceu populos quoſdam fœminarum regimini aſſuetos, *non a libertate ſolummodo, ſed ab ipſa etiam ſeruitute degeneres* (a) vocet.

En clariſſimum igitur ſpeculum, in quo religioſorum ſe nexuum libertas nobis contemplandam exhibeat. En obuiam, minimèque fallacem decempedam, illius qui liceat dignitatem ac præſtantiam metiri. Cùm etenim nemo quiſquam ire poſſit inficias, eam huiuſce obligationis vim eſſe & naturam; vt a miſerrimâ, quam hactenus demonſtrauimus, vitiorum tyrannide animos vindicet; illud quoque in confeſſum apud omnes iam veniat, oportet, quanta, quàmque grauis profanorum hominum

a Tacit. de Germ. c. 45.

num ſeruitus ſit; tantam, adeoque felicem obligatæ Deo Voluntatis libertatem cenſendam.

Si tamen etiamnum dictu nouum, perceptuque arduum videtur, vinculorum præſidio à ſeruitute quempiam defendi; non deſunt exempla, quæ & inſolentiam hanc mitigent; & rem totam ſub oculis manifeſtiùs conſtituant. Vlyſſem, age, libeat inſpicere, dum ſirenum prætternauigat ſcopulos, nautico malo ſe arctiſſimè deligari iubentem. Sciſcitemur ex ipſo conſilij tam inſoliti cauſas. Hem, quid agis, prudentiſſime Heros? Quò iſthæc ſeruitutis Inſignia? Quò Nexus, generoſo & forti homine indigni? Itane tanto Duci, Aſięque domitori faſtidio eſſe cœpit, quā ſine prçſtantiſsimus quiſque vel vitam faſtidit, libertas? Quid reſpondebit? Nempe ideo ſuâ ſe ſponte vinciri; ne ab imperioſiſsima vi deuinctus trahatur, quæ, ceu tot Alios, ſic ipſum quoque, ſi ſolutum deprehenderat, blandientibus ijs monſtris feciſſet obnoxium. Sapienter profectò, & ſalubriter. Circumiecti ſiquidem Nexus, quam eripere videbantur, libertatem ſeruarunt. Non poterat ſui magis arbitrij eſſe; quàm, cùm ſuum ſic arbitrium coercuit. Quia vltro deuinctus; alienæ tyrannidis vincula euaſit. Verùm, fac, ille, queis ſeipſum tunc nodis innexuit, ſirenum ijs ora atque voces potuiſſet conſtringere; an non multò etiam præclariùs libertati ſuæ proſpexiſſet? Enimuero tum quilibet id planè fatebitur; tum planiſsimè omnium, quiſquis ex Homero (a) didicerit, eum, licet reuinctum, quòd tamen ſolutæ illæ forent veneficæ peſtes;

con

a Odyſ. lib 12.

conti neri minimè potuiſſe; quin animo ſaltem, quæ vinculorum immunis pars erat, ſeruitutem reciperet: fallaciſsimis hoſtibus voluntariam, ceu moliebatur, iturus in prædam; ni prouiſa tempeſtiuè alligatio vel inuitum ſeruaſſet. Atqui, quod Vlyſsi ſecuriorem ad libertatis cuſtodiam præſtare minùs integrum fuit; a nobis id omnibus per votorum nuncupationem præſtatur: cùm illa non tam noſmetipſos, quàm eos hoſtes, a quibus deuinciri poſſemus, deuinciant: parumque adeo putent, nullam captiuitatem inferre; niſi captiuitatis etiam pericula arcuerint: parum, expeditam Voluntatem relinquere; niſi dominam itidem, & ſuorum fræna affectuum tenentem reliquerint. Quo ſanè fit, vt noſtrorum ad animorum Rempublicam traduci conuenientiſsimè poſsit Spartanæ illud vrbis elogium, (a) in eâ &, *qui ſerui eſſent, maximè ſeruos; &, qui liberi, maximè liberos* degere. Appetitionibus ſiquidem noxijs, tamquam perduellibus & nullius fidei mancipijs, arctiſſimâ ſeruitute cohibitis, ea Noſtri pars iam penitùs libera, Suique compos euadit, cui ſoli, naturæ ſuæ Merito, libertas & dominium debetur.

Neque verò reponat hic quiſpiam, voluntarijs, quæ hodie inſtaurauimus, vinculis ita nos a vitiorum emãcipari tyrannide; vt Rationis, ac Numinis ſubijciamur imperio: præſtantioribus dominis quidem, ſed nihilo tamen minùs obnoxij, mutatâ potiùs, quàm in totum depoſitâ ſeruitute. O ſuæ, communiſque hominum conditionis prorſus ignarum, quicunque obijciendum id putet! Perinde quaſi

a Apud Plut. in Lycurgo.

quaſi vlla vſpiam locorum ac gentium *exiſtat* in tantum effrænata libertas; a Numinis vt imperio ſe poſsit ſubducere: aut perditiſsimus quiſque, diuinas dum leges imminuit; id tandem aſſequatur, ne ſeruiat: non verò id ſolummodo, vt nolens, & improbus ſeruiat. Reſoluant, ceu libet, immoderatis cupidinibus fræna, & cæleſtibus auſcultare detrectent imperijs profani Mortales. Supremi Regnatoris iugum, reluctanti quidem ceruice, ſed tamen ferent. Non licet hunc Dominum fugere. Quilibet ipſi, vel inuitus, immo is etiam maximè, qui inuitus, ſubijcitur. Splendidiorem, & libertati propiorem Famulatum hunc per voluntariam ſubiectionem poſſumus facere: deuitare, & per contumaciam exuere non poſſumus. Vbinam igitur nouus ille Dominus eſt, cui religioſa vota nos mancipent, ſi nihil ea præſtant aliud, niſi vt communi maximoque Domino, cui omnes natura ineluctabili neceſſitate deuinxit, volentes libenteſque, filiorum potiùs, quàm mancipiorum more, ſubdamur? Hoccine nouam ſeruitutem quis vocat? Nouam potiùs libertatem appellet. Hoc ſiquidem noſtræ ſpontis obſequio, præterquam quòd indebitam vitiorum declinamus tyrannidem; legitimam quoque, & omnibus vniuerſis neceſſariò ferendam æterni Regnatoris ſubiectionem, ex ſeruitutis naturâ atque nomine, ad quoddam amicitiæ quaſi Fœdus traducimus. Cùm e contrario perduellis Improborum licentia, duplici mancipatione deuincta, & tyrannicum ſimul vitiorum iugum ſuſtineat; & Numinis poteſtatem adeo non effugiat; vt in violentam ſibi veriùs ſeruitutem paternâ ex gubernatione conuertat. Audiatur, non aſceticus aliquis doctor, vel ſa-

ſacrarum literarum interpres, ſed profanus atque ethnicus vates. (*a*) *Libertas, inquit, populi, quem regna coercent, libertate perit: cuius eruaueris vmbram, ſi, quidquid iubeâre, velis.* Veriſſimè dictum: niſi quòd, qui Numinis ſub legibus viuunt, dum vltro complectuntur atque amant imperia; non libertatis vmbram ſolummodo, ſed pleniſsimam, & quantacunque in hominem cadere poteſt, libertatem tuentur.

Sed quid tandem Rationis de imperio dicemus: quod, licet cum diuino coniunctum, nullâ tamen naturali neceſsitate cuiquam impoſitum, voluntario iureiurando, in nouam & propriam, vt videtur, ſeruitutem aſtricti, ſubiuimus? Hærerem hoc loci, Auditores; niſi ipſa me Ratio, Peripati ex cortinâ reſpondens, moneret, ſuum hunc Dominatum nihil adeo ſeruitutis inducere; vt nemo inter omnes appellari iure poſsit liberior, quàm, qui maximè Rationi ſubiectus. Si enim, iuxta veriſsimum Philoſophi Effatum, (*b*) idem eſſe homo, atque Ratio videtur; quid, rogo, aliud videbitur, Rationem homini quàm maximè dominari; niſi, hominem Sui maximè dominum eſſe? Quid, Rationis ad Præſcriptum aliquem viuere; niſi, ſuâ ſponte ſuiſquemet auſpicijs vitam traducere? Bene igitur eſt. Rationis imperio quàm arctiſſimè dicamur deuincti, dum in Numinis leges irreuocabili ſacramento obligamur. Hac ipsâ de causâ pleniſſimè liberi ſumus: contraque, quàm Armenij apud Tacitum, (*c*) quos ille, dum re-

a Luc. lib. 2.
b Ariſt. l 9 Ethic. c. 4. & c. 8. & lib. 10. cap. 7.
c Lib 2 Annal. c. 4.

gem amiſiſſent, *ſolutos incertoſque, magis ſine domino; quàm in libertate* pronuntiat fuiſſe; Deo nos, Rationique ſubiecti, magis ſub domino; quàm extra libertatem ſtatuimur: eum ſcilicet dominum nacti, qui, Neruà Cæſare meliùs (*a*), *res olim diſſociabiles miſceat, principatum, & libertatem*: quique cumulatiſſimè ſubditis præſtet, quod Nicocles Cyprijs ſpecioſiùs fortaſſe, quàm veriùs promiſerat (*b*): ſuæ qui morem voluntati geſſiſſent; maiorem ijs ipſorum ad arbitrium viuendi poteſtatem atque copiam futuram.

Enimuero, re totà diligenter ad examen vocatà, & ſuis probè momentis expensà, quid vltra perfectiſſimæ noſtrorum nexuum libertati obijciendum ſuperſit, haud video: niſi fortè quis dicat, deteriorum facultatem, quæ humanæ libertatis pars eſt, ab ijs vel vſquequaque ſubduci, vel plurimùm ſaltem imminui. At nihil hoc quoque argumento meam ad cauſam labefactandam infirmius, nihil ad eam confirmandam opportunum & accommodum magis. Fac enim, totum id Aduerſarijs gratificer, proque vero vltroneus admittam. Quid hinc conſequetur; niſi, votis libertatem obſtrictam agnatas ſibi ſordes exuere, eque vitioſà, infelici, atque noxià in ſalubrem, ſinceram, diuinæque propiorem conuerti? En, quò ſolidæ reprehenſionis inopia cenſorem deducat. En, quid tandem votorum ad iniuriam detorquendum exiſtimet. Quod ampliſſimum ſcilicet haberi iure optimo poſſet ipſorum decus & Meritum. Deteriorum, inquit, pote-

---

a Tac. in V. Agric. 3.
b Iſocr. in Nicocle.

poteſtatem & licentiam ſubducunt. Quid porro? Imbecilliorémne ideo humanam Voluntatem relinquunt? Immo ab imbecillitate impotentiáque defendunt. Vel etenim aliquem ſtatuamus, neceſſe eſt, gradum potentiæ, qui omnipotenti vniuerſitatis Domino abſit; vel iſtam ad peiora declinandi facultatem, qua ille penitùs caret, ceu (*a*) nihil potentiæ, nudum præter nomen, habentem, veriſſimæ imbecillitati aſcribamus. Immo videte, quàm, diuinis etiam exemplis ſepoſitis, humana idem ratio dilucidè euincat. An non enim experientiâ compertiſſimum eſt, voluntatem, cui maximè expedita inque promptu adſit peccandi facultas, inuitam quodammodo ad peccandum impelli: minuſque ideo, ſiue vt meliora eligat; ſiue vt mala declinet, retinere poteſtatis & virium? Quonam igitur pacto ad hominis potentiam mereatur referri, quod imbecilliorem, Suique minùs compotem hominem reddit? Aut quid humanæ libertati, meram præter imbecillitatem, ſubduci, eâ ſubductâ facultate, dicetur, quæ (*b*) præſens nil auget, immo & plurimùm minuit humanæ libertatis vigorem? Næ ſuperbas habet plùs æquo miſerias, ſuæque per ambitioſum nimis errorem infelicitati adulatur, qui, vnde eſt fragilior, potentiorem inde ſe autumat: & natiuæ ſibi aliquid periturum credit virtutis, ſi tantummodo poſſe in Mala prolabi deſierit. Non ſecus in huiuſmodi perſuaſione decipitur; ac eos Principum falli doceat Plutarchus, (*c*) qui philoſophiam, ceu

a Vide D. Anſel. Proſol. c. 7. & lib. 2. Cur Deus Homo c. 17.
b Vide eumdem authorem c. 1. operis de Lib. Arb.
c In Op. Ad. Princ. Indoct.

ſuæ diminutionem poteſtatis, formidant: cùm illa e contrario, medicinæ inſtar nimis pleno validoque corpori adhibitæ, nonniſi vitioſam, & iuſto maiorem principali potentiæ vim detrahens; quidquid in eà ſani repererit, intactum id prorſus atque adeo ſincerius relinquat. Immo eumdem penè in modum videtur deſipere, ac ſi rediuiuis ad immortalitatem beatorum corporibus Cælitum de ſuà quidquam ſentiendi perfectione ac virtute opinaretur detractum; quòd priſtinam illa percipiendi iam deinceps doloris, & triſtioris cuiuslibet ſensùs facultatem in perpetuum amiſerint. Quantò Iulius ille Cæſar prudentiùs? Qui, cùm miſſas a compluribus ad Pompeium epiſtolas deprehendiſſet (*a*); vniuerſas extemplo citra inſpectionem comburens, omnem ſibi, nedum vltionis ſumendæ, vel offenſionis contrahendæ poteſtatem præcidit: &, *quàmuis moderatè ſoleret iraſci; maluit tamen non poſſe*. Cuius ego conſultiſſimam ſanè rationem ſecutus, vſque adeo peccandi vim & licentiam pro vitio magis, quàm pro complemento libertatis habendam exiſtimo; vt, ceu de abſurdiſſimis quibuſdam opinionibus Tullius (*b*), *Nihil ſentire eſt melius, quàm tam praua ſentire*, affirmauit; ſic & de illà hìc concludere audeam, multò eſſe magis homini optandum, vt vel quædam Bonorum non poſſit; quàm, vt, quæ adeo peſtifera, & quoduis vltra Malum fugienda ſunt, poſſit.

Et hæc quidem ad ſuſceptæ mihi cauſæ patrocinium valerent, vel ſi totam omnino naturalem eàm vim, qua læuum (*c*) Herculei Biuij trami-

a Sen. de Ira. Lib. 2. c. 23.

b Academ. Q. L. 4.

c Xenoph. L. 2. de fact. & dict. Socr.

tramitem ingredi poſſumus, hodierno in nobis iureiurando extingui concederem. Sed nunquam profectò admittendum id duxerim. Quà noxia, vtentiſque cum damno eſt coniuncta; interdici illam fateor. Quà opportunitatis & fructùs a naturâ ſuâ aliquid habet; nedum eripi abnuo; vel perfici augerique confirmo. Nam, cùm omne facultatis huiuſmodi pretium in eo poſitum ſit, quòd vberioris promerendæ diuinitus Gratiæ capaces nos reddit, dum a peioribus, citra vllam naturæ neceſſitatem, arbitrario liberoque virtutis conatu abſtinemus; adeo religioſi nuncupatio ſacramenti ex eà Meritorum feracitate nil demit; vt eamdem multò etiam copioſiùs amplificet. Niſi fortè, contra vulgatiſſimam Theologorum doctrinam, vel agendi libertate atque Merito carere eſt dicendus, qui ab ijs rebus ſe abſtinet, quarum ſibi liber & volens facultate copiàque interdixit; vel ad translatiuum & vulgare abſtinentiæ huius Meritum nihil noui eſt putandum, celſioriſque adhuc Meriti, per interpoſitam votorum religionem, accedere. Quæ, prorſus abſurda, rectęque rationi pugnantia, nec vllus ſanè omnium, niſi enormem per inſcitiam, in animum inducet, vt credat; & oppoſitam quisquis, vltroque ſe ingerentem in oculos, veritatem perſpexerit; nę is a liberrimo hoc nexu ſola deteriorum facultati, quemadmodum ego affirmaueram, vitæ melioris impedimenta, &peccandi pericula auferri: quidquid verò vtilitatis bonęque frugis in eàdem expetendum ſe objicit, & intactum relinqui, & quęſtuoſiſſimis inſuper nouarum acceſſionum vſuris natiuam vltra ſortem exaggerari, fatebitur. Quemadmodum igitur, quòd agnata creatarum perfectioni rerum vitia

a Deo,

a Deo quàm longiſſimè abſunt; non ideo conficitur, creatarum perfectionem rerum a ſupremo ſuo Authore vllam partem abeſſe, ſed eminentiori duntaxat ratione in eo contineri; ſic, quòd religioſi homines inſitas deteriorum facultati noxas ſuo excludant ab animo; non ideo hanc poſt vota amiſiſſe dicendi ſunt libertatis ingenitę partem, ſed altiori potiùs diuiniorique illam modo obtinere: id vnum videlicet per interiorem ſuam obligationem adepti, quod exuberantia plùſque iuſto profuſa per artis caſtigationem ingenia. Nam & illis disciplinæ Cultus certè *aliquid detrahit, vt lima rudibus, & cotes hebetibus, ſed* mera tamen *detrahit*, ſi Quintiliano credimus, (*a*) *vitia: eo ſolo minus, quod perpoliuit*, relinquens, *quo melius.* Adeo vt, defœcatam & ſinceriſſimam hanc religioſi ſtatùs libertatem ſpectantibus, ea planè obuerſetur, quam Neroniani ſub imperij primordia viguiſſe Cordubenſis Philoſophus (*b*) tradidit, *lætiſſima forma Reipublicæ, cui ad ſummam libertatem nihil deſit, niſi pereundi licentia:* immo cui de ſummâ libertate nil deſit, quia ſola deeſt, libertatis morbus & vitium, pereundi licentia.

O igitur fortunatiſſimas compedes, quę humanam ita Voluntatem aſtringunt; vt a fœdiſſimâ immaniſſimàque vitiorum tyrannide abſoluant: immo quę non tam Voluntatem, quàm eos, a quibus captiuari poſſet Voluntas, tyrannos deuinciunt! O amiciſſimos Nexus, qui hominem, dum Dei ac Rationis imperio ſubijciunt, Suimet perfectiùs dominum & compotem faciunt: quique, dum peccandi coercent licentiam; adeo nil nobis potentię ac liberta-
tis

a Lib. 2. c. 12.
b Lib. 1. de Clem. c. 1.

tis ſubducunt; vt eamdem potiùs amplificent, expient, abſoluant, & ad diuinum quodammodo inſtar perficiant! Alligari tam beatis compedibus renuant, eoſque duriſsimam interpretentur ſeruitutem, qui ſincerę libertatis dulcedinem nec primoribus vnquam labris guſtarunt. Quid crudeles catenę, quid tyrannicum iugum, quid germana ſeruitus ſit, ſuiſmet ab experimentis condiſcent: antiquis apud Valerium (a) Cretenſibus ſimiles, *dum vinci timent, id paſſi, quod eos ne victor quidem pati coegiſſet*: veriſsimumque ſuo etiam exemplo id probantes, quod de vitioſis vniuersè ac nefarijs hominibus Cheronæus Sapiens (b) pronuntiat: eos nimirum, deſerendâ honeſtate, in eaſdem omnino, quarum metu ab eâ receſſerunt; ęgritudines ac moleſtias incidere. Cùm, velut ambitio per honoris aucupium infamiam atque dedecus colligit: vtque labor inertiam; & voluptatum ingluuiem Cruciatus ac dolores conſueuerunt excipere; ſic effręnis improborum licentia, dum paternum ſummi Principis regimen conatur effugere; crudeli atque barbaro immaniſsimorum hoſtium iugo obruatur: *omnia*, cum Romani illo imperij prenſatore, (c) *pro dominatione ſeruiliter* agens: immo cum ijs potiùs, quos Bion Boryſthenites ideo maximè inquietos viuere aiebat; (d) quòd quietem iuſto impenſiùs exquirerent; prępoſterà omnimodę libertatis cupidine in extremam ruens ſeruitutem. Sed cur ego in profanis illorum ergaſtulis orationem detineo, quę ad domeſticas huiuſce collegij aras feſtinat re-

a Val. Max. L. 7. c. 6.
b Plut. de Vitioſo Pud.
c Tac. Lib. 1. Hiſt. c. 36.
d Laert. in Vita Bionis.

uerſi, auſpicatius & pulchrius in ijs habitura non ſeruilis licentię, ſed liberrimę mancipationis theatrum. Si enim vetus apud Memphim columna, (*a*) neſcio cuius, quàmque veri authoris oraculo inſcripta, tunc liberam fore vaticinabatur Ægyptum; Romanorum cùm conſulum faſces, externę nimirum dominationis Inſignia, excepiſſet; non ſanè diuerſum, niſi quòd iam impletum, hę itidem arę de vobis, Auditores, oraculum pręferunt: diſertiſſimiſque palàm Notis teſtantur, ſimul ac diuinos in animum faſces, iurato cęleſtis Imperatoris obſequio, excepiſtis; perfectiſſimam ilicet ac diuinam quodammodo fuiſſe a vobis libertatem receptam. Adeo vt, multò quàm captiuus Diogenes (*b*) ęquiùs, vel inter ipſa, immo propter ipſa famulatùs huiuſcemodi vincula, imperandi artem, & munus iactare poſſitis: veſtràque hac de ſorte non ſecus vobis liceat geſtire; ac ſuę olim gratulatus Themiſtocles fertur (*c*), quando Xerſis in regnum ex intutà infeſtàque ſibi Patrię libertate coactus transfugere; lętioribus ibi fatis repertis, *Perieramus, niſi periÿſſemus*, clamauit. Dum a noxià vos pariter natiuę conditionis licentià diuinum ſub imperium tranſgreſſi, germanęque libertatis ibi guſtum experti, certiſſimo iam vſu intelligitis, quàm indigna vos premeret ſeruitus, niſi ſic ſeruiretis: quàmque duro immanium catenarum gemeretis ſub pondere, niſi obnoxia vltro colla beatiſſimis hiſce obtuliſſetis torquibus veriùs, quàm vinculis. Macti igitur eſte ſubiectionis tam ſplendidę glorià, nec vllo vnquam

quam

a Trebellius in 30. Tyrannis.
b Laert. in vita Diog.
c Plut. in Themiſt.

quam veſtros apud animos tempore cęleſtium iſtiuſmodi nexuum æſtimatio atque gratia exoleſcat. Sed, quemadmodum veſtram ipſi quàm fidiſſimo amplexu libertatem cuſtodiunt; ſic eorum vos firmitatem pro virili tuendam, & recenti vſque niſu inſtaurandam augendamque putetis: gnari, oppoſitam prorſus diuini huius eſſe, ac Gordiani olim nodi ſors fuerit: vtque, illum qui ſolueret, potiturus ferebatur (*a*) Orientis imperio; ita, hunc qui perpetuò aſtrictum ſeruauerit, prꝗſtantioris imperij, ſuì videlicet dominum ac potentem arbitrij futurum.

a Curt. L. 3.

Antiqua Epiphaniæ Domini Miracula, Religioſi Sacramenti nuncupatione inſtaurata.

ORATIO XXI.

De Votis Religioſis.

CVm plurimos,ad ſolennium dierum celebrandam memoriam, quęuis retro ętas conſiderit, publicèque vſurpauerit ritus; ij tamen ex omnibus, quemadmodum inſtitutionis Propoſito maximè idonei; ſic Antiquitatis conſenſu apprimè commendati videntur fuiſſe, qui redeuntia cum ſacris diebus myſteria non communi quapiam ſolummodo honoris ſignificatione recolerent; ſed, per actuoſas & proprias ſpirātium cęremoniarum imagines quàm ſimillimè expreſſa, ipſos etiam ſub oculos ponerent: veteribus monumentis in illo Sui ſimulacro renaſci quodammodo iuſſis, & ad anniuerſariam, vt ſic loquar, iuuentutem nouatis. Hinc ille tediferarum in Siciliā mulierum (*a*), Proſerpinam ſubinde inclamantium, diſcurſus: ad Cereris effingendos errores, cùm, geminā flagrante pinu publicam Mundi noctem illuminans; domeſticam alteram,longèque triſtiorem orbitatis ſuę noctem, inuentā, vnico matris ſole, filiā, cōnaretur depellere. Hinc armata Curetum ſaltatio (*b*), vſitatique ante Idęę Parentis effigiem cymbalorum tinnitus: monumen-

a Vide Natal. Mythol. L. 5. c. 14.
b Lucr. L. 2. & Strab. L. 10. & Ouid. L. 4. Faſt.

mētū ac ſpecimen pueri quondā Iouis, ſimili tripudio, atque ſonitu paternā ab ingluuie ſubducti. Hinc mancipiorum apud Romanos per Saturni vindices ferias temporaria libertas: libertatis promiſcuę adumbratio (*a*), quę, ipſo olim regnante, ſubiectas latè gentes beauerat. Hinc demum (Ethnicorum vt commenta omittamus) illa etiam Iſraelitico in Populo tum, ſabbati quies, tum agni Paſchalis comedendi viatoria celeritas, confectę altera Vniuerſitatis, Ægyptiacæ altera ſymbolum fugę: plurimique apud nos itidem Sacrorum eiuſmodi ritus, veterumque religionum imagines. Sed, quidquid hoc in genere ſeu fabuloſa inanium ſuperſtitio Deorum, ſiue vnius veri Numinis Cultus inſtituit; illud certè affirmare non dubitem, vix vllum ſacrę celebritatis genus viuidioribus vſquam exemplis, ac præſtantioribus ſymbolis fuiſſe inſtauratum; quàm quibus, perpetuā iamdudum lege Inſtitutoque Maiorum ſancitis, celeberrimus hic longèque fauſtiſſimus corporatæ Diuinitatis promulgator dies a vobis, Auditores, recolitur. Cùm enim tria ille in primis eximia ad publicam Chriſtiani Orbis gratulationem reſtituat quotannis miracula: Orientis nimirum Magos diuina ad cunabula noui ſyderis auſpicio perductos: humanæ Reparatorem ſalutis, dum in Iordane ablueretur, Dei filium paterno pronuntiatum oraculo: conuiualium poſtremò hydriarum vulgares, & inſipidos latices iucundā metamorphoſi in vinum conuerſos; miraculorum eam triadem hodiernā vos triplicis ſacramenti nuncupatione feliciter adeo perfectèque exhibetis; vt, ſublato propemodum imaginis, atque

a Iuſt. L. 43. Lucian. in Saturnal.

exempli diſcrimine, illa ipſa vel nunc primò patrari; vel perpetuo quotannis recurſu iterari videantur prodigia. Quod, quàm ſplendidè & magnificè dicitur; tam perſpicuè demonſtratum a me iri confido, vbi ſingulis, quæ hodie celebrantur, myſterijs ſingula, quę illorum ad imitationem a vobis repetuntur, vota oppoſuero.

Iamque primum ad auſpicij fauſtitatem ſe obijcit, & decurrendam orationi meę ſemitam lętiſsimum illud aperit ſydus, quod Dei ſeruatoris Exortum cęco pridem Orienti indicauit, eiuſque ſapientiſsimos viros paternis ex aulis atque opibus ad nudum, & ſolà paupertate conſpicuum Bethlemij mapalis hoſpitium deduxit. O lucem planè admirandam, nec ſyderibus cæteris tantùm, ſed & ipſo planetarum Principe auguſtiorem ac ſplendidam magis: quæ non aurum in ſubterraneis montium latibulis, ſed auri Contemptum in hominum pectoribus gignit: neque rerum pereuntium ignobiles ſcenas corporeis obtutibus reſerat, ſed ſupremi Conditoris notitiam immortalibus animis detegit! Hanc tu, Oriens, Stellam Solem iam tuum appellare non immeritò potes: deterſis per illam antiquorum errorum infelicibus tenebris, nouo iam diuinæ veritatis fulgore illuſtratus. Nam, quod ad communem alterum pertinet ſolem; noctis ille tibi veriùs, quàm diei, Parens vocandus: cùm, indigenas tuos a legitimo veri Numinis cultu ad ſacrilegam Sui venerationem detorquens; non tenebricosà minùs ſuperſtitione mentes fœdauerit; quàm opacà & nocticolori nigredine ſummos artus inficiat. Eſto tamen, portentoſum id iubar iam e cælo euanuerit. In veſtris certè, Auditores Religioſiſſimi, animis tum præſens aſſiduè,

ſiduè, tum hodie, ſi vnquam aliàs, præſentiſſimum lucet: dum vos ad infantis Dei pauperes cunas, natalis Soli atque domûs oblitos, nec tenuem ſolummodo auitorum cenſuum particulam, ſed integra vſquequaque patrimonia eidem reſignaturos, perducit. Quis enim, tam nouum id cernens paupertatis Euangelicæ ſtudium, non animos veſtros altiori quodam inſtinctu, & prodigioſo quaſi ſydere afflatos intelliget? Quis non admirandam, non eximiam, non prorſus diuinam ſapientiæ illius lucem fatebitur, quæ auri fulgorem obruere, faſcinationes diſſoluere, cupiditatem abolere potuerit? Nemo certè, qui communi ſenſu rem æſtimet. Vt proinde, ſi vulgarium in hominum cœtu primi huiuſce prodigij demonſtranda mihi dignitas foret; vel ſimplici & nudà illius expoſitione peroraſſe ſtatim poſſem videri. Adeo nihil quidquam ad vlteriorem tantæ rei commendationem oratori ſupereſſet dicendum; quin id ipſum, & multò etiam diſertiùs, Auditorum ſibi quiſque ſubijceret, quin ſuis vltro penſitaret momentis, quin admirabundus intimoque ſtupore defixus recoleret. Nam prò morum atque affectuum portenta! Itàne pro nihilo duci, faſtidiri, abdicari, quas humanum paſſim genus vel ipſius vitæ pretio bene redimi putat, & Numinis loco veneratur, diuitias? Itane votum iam eſſe, atque ambiri cœpiſſe, quam vel morte nos grauiùs horremus, nulloque non conatu & labore paupertatem defugimus? Vndenam noua hæc rerum pretia? Vndenam animorum hic tam inſolens Habitus? Humanisne conſtare elementis; an ſemideorum genus, excellentioremque ſortitos naturam credamus, qui communi ab hominum conſuetudine ac ſenſu in tantum diſceſſe-

rint, qui caducum & mortale nil ſpirent, qui ſupra terrenarum quauis rerum vota, & ignobiles curas, altiorum capaces Bonorum, diuinæque cuiuſdam indolis conſcientiâ ſubnixi, aſſurexerint? Ne multa. Ceu neminem ibi vnum incitatiſſima vis, ac vehementiſſimum fugeret pondus, quo animus hominis tum ad aurum quærendum impellitur; tum in eiuſdem retinendâ poſſeſſione defigitur; ſic omnes omnino vniuerſi validam adeo intimamque Naturæ propenſionem in contrarium reflexam non minoris penè haberent miraculi loco; quàm ſi Gangis, Niliique curſus ad ſua reuolutos cunabula, quàm ſi Atlantem, vel Caucaſum natiuis e ſedibus aliorſum tranſiectos audirent. At non æquè factu procliue in hac etiam religiosâ panegyri eiuſmodi admirationes ciere: quinimmo, contra illius Sapientis Effatum (*a*), qui facillimum Oratori eſſe ſcripſit, Athenienſes Athenis laudare; nihil ego difficilius experior; ac vobiſmetipſis ſingularem hanc & heroicā, in humanâ omni ſorte eiurandâ, veſtræ laudis præſtantiam probare. Cùm tam largo radiorum illapſu diuinum vos complexerit iubar; vt mortalium quouis rerum nitore ad eam ſacri luminis copiam extincto, ceu nihil iam in auro inueniemini venuſtatis ac pretij; ſic neque veſtram illius abdicationem pro Merito æſtimare poſſitis: ex eo ipſo nimirum generoſiſſimo terrenarum opum contemptu vobis admirabilem minùs; vnde apud cæteros eximiæ inſolitæque admirabilitatis plus habet. Ignoſcite igitur, ſi ex iſto cæleſti meridie ad vulgares Platonicæ (*b*) ſpecûs vmbras, & priores con-

tem-

a Plat. in Menex. vel Epitaph.
b Id. De Rep. 7.

templationem fortunæ tantiſper vos reuoco: nec tam aurum, quàm veſtrum a me auri faſtidium commendari putetis, dum, quid fructûs ac pretij, eo neglecto, neglexiſſe vos dixerim; aliquantò iam diſtinctiùs expono. Illud, illud dixi prodigialis naturę metallum, quo nullum in ſuis homines habent ſeu votis adimplendis operoſiorem miniſtrum, ſeu cordibus mancipandis violentiorem tyrannum: quod, vel ipſo numeroſius Vertumno, in optabilium quaſuis rerum figuras, immo & plùſquam figuras, poſſidentis ad arbitrium, ſe ilico immutat: in quo vno amicitias, honores, famæ præconia, vitæ ſubſidia, genij oblectamenta, pleniſſimumque, vt rem paucis abſoluam, externæ totius felicitatis compendium tenemus: cui ſupremum in humanâ omni Republicâ imperium non profani ſolummodo authores, ſed & ſacrarum monumenta literarum (*a*) attribuunt: quodque adeo Mortalium innumeros, fatali ſuo fulgore præſtrictos, & magico tenaciùs quouis rhombo illigatos, per tela, per flammas, per maria, per vltimorum genus omne diſcriminum obices, ad Amplexum Sui rapit, & tantùm non cogit. Illo (iam tandem veſtrum decus agnoſcite) illo, inquam, validior hodierni apud vos ſyderis efficacitas fuit. Illius veneficia exarmauit, illecebras retudit, ardorem extinxit. Illud veſtros ad pedes, inſigni, quàm quod maximè, exemplo, conculcandum abiecit. Nec inſolens adeo humanis in affectibus nouitas multò illuſtrius mereatur vocari diuinæ argumentum virtutis; ac extima quælibet vſitatas circa corporum leges, cæteroque vni-

a Eccleſ. c. 10. *pecuniæ obediunt omnia.*

vniuerſitatis in curſu immutatio? Enimuero, ſi quidquam eſt cauſa, cur tam egregium, tam naturæ viribus maius, tam propemodum incredibile oſtentum miraculo eximi poſſit; nihil eſſe demum aliud videtur, preter nimiam eorum, in quibus ſpectatur, frequentiam. Siue enim malignum hoc ſit de Naturà iudicium, cuius fœcunditas extraordinario & generoſiori quolibet partu exhauriri adeo credatur; vt multis illiuſmodi edendis prorſus nequeat ſufficere; ſiue humanæ vitium ſuperbiæ, dedignantis ſe infra multos ſubmittere, eo illis admirationis vectigali ſoluendo, quod ſuperiori duntaxat perſoluitur; ſiue demum ipſiuſmet animi indoles, qui, eodem pluries ſpectaculo ictus, quoddam veluti callum aſſuetudinis ducit, nec ad ſingula peruenit totus, quoties inter multa diuiditur; ita certè comparati inſtitutique homines ſumus; vt, venanda ad prodigia, non niſi in raritatis ſolitudines noſtram admirationem mittamus: perinde quaſi nil egregium eſſe poſſit ſimul, & multiplex: nec diuiniorem indolem ſapiat, quod turbam atque numerum recipit, plebeia ex communi iam ſenſu, abiectæque ſignificationis vocabula. Sed vel huius timor præiudicij faceſſat: nec noſtræ adeo inuideamus felicitati; vt, quæ prçſtantiſſima ſunt hominis Bona, non niſi rariſſima, & pauciſſimorum eſſe decus velimus. Vt ſe cunque res alibi habeat; in hodierno Paupertatis voluntariæ prodigio ipſemet raritatem numerus facit. Quò in plures exempli huius gloria diffunditur; eò a vulgari vſu longiùs recedit, eò nouitatis admirationiſque plus habet. Nam quid, amabo, inuſitatius & rarius; quàm in eum alicubi numerum miracula excreſcere; vt pro-

com-

communibus iam ducantur exemplis, nimiàque ſui copiâ miraculi penè pretium exuerint? Hoc ſupremum certè laudis faſtigium: hæc omni raritate admirabilior frequentia: hoc vix prope hominis, aut ſaltem vnius hominis decus. Sic Mundum admiramur, ſic Naturam, ſic Deum. Illuſtre igitur hactenus fuerit hodiernę lucis portentum, tres Arabum proceres, noui ſyderis auſpicium ſecutos, Regiarum ſplendorem obſcuri præſepis inopiâ, breue licet ad temporis ſpatium, mutaſſe: illuſtrius iam aliud feretur deinceps prodigium, innumeros Ignatij alumnos, arcanâ Diuinitatis luce perfuſos, terrenarum cuiuſmodi opum illecebris, paternâ ſimul cum domo, valere penitùs iuſſis, eiuſdem ad præſepis inopes latebras, nunquam inde receſſuros, veniſſe. Neque vos, Sanctiſſimi Reges, hanc nobis e cælo inuidebitis, quam per veſtra ingreſſi veſtigia tam ſublimem retulimus, gloriam. Par quippe exempla præſtantia non eodem conſiſtere loci, vnde cœperint, & adultum iam Fidei meridiem naſcenti vix primùm auroræ antecellere. Stella vos æterni Solis prænuntia euocauit: æternus ipſe ſol diuinæ ſuæ lucis illapſu nos adijt.

Sed properandum ad Iordanis Fluenta, vbi Seruatoris noſtri Diuinitas non elinguibus ſyderum flammis, ſed diſertiſſimo ſupremi Genitoris promulgatur oraculo: vt, quem paupere in ſtabulo Dei filium cum Magis agnouimus; cum eodem in luſtrali baptiſmate ipſi quoque Dei filij agnoſcamur. In luſtrali baptiſmate, inquam. Si enim eum olim Celtarum fuiſſe accepimus morem; vt in lucem editos Partus non ante pro ſuis ac legitimis ducerent; quàm in Rheni Profluentem miſiſ-

ſent;

Digitized by Google

ſent; (*a*) perpetuus diuini etiam Parentis mos eſt, neminem, ſacro niſi fonte luſtratum, in iura Liberorum admittere. Hoc tamen interiecto diſcrimine, quòd Celticus ille amnis adulterini ſeminis ſobolem ab eâ, quæ vitio careret, ſuperſtitioſo quodam experimento iactabatur ſecernere; ſacer verò Baptiſmus, quoſcunque vel adulterinos ſuſceperit Fœtus, in ſinceros ac Numinis proprios cœleſti virtute regenerat: ablutis videlicet ijs criminum ſordibus, quę ſupremi Conditoris pulcherrimam ſpeciem, diuinique generis Notas in hominum mente corruperant. Quid ergo? Num alterum id celebritatis hodiernæ miraculum altero a nobis exprimi voto quiſquam ibit inficias? Eat ſanè, ni iuratam Deo Caſtitatem (*b*) ſanctiſſimum ego quoddam lauacrum, illique adeo, quòd Numinis Filius ad Iordanem, ſubeundo, ſacrauit, perquam ſimile oſtendero. Atqui talem ſe ipſa, vel tacente me, prodit. Nam & impuris lutearum ſordium corruptelis animos expiat; & receptum in priori Baptiſmo decorem nouæ adhuc pulchritudinis incremento congeminat: non eas tantùm maculas remouens, quę auguſtam Dei parentis effigiem in nobis obliterant; ſed vel ijs a voluptatibus ſegregans, quæ, vt nihil labis inſpergant; ne vlteriori tamen gratiâ, perfectiorique adeo ſupremi Genitoris ſimilitudine decoremur, impediunt. Nobiliſſimum igitur fateamur, neceſſe eſt, religioſi hoc Baptiſmatis genus. Sed multò etiam nobilius fatebimur, ſi aliam prætereà, & luculentioris fors Meriti eiuſdem prærogatiuam intueri libuerit. Cùm enim

a Vide Cerd. in Lib. 9 Æneid. ad v. 603.
b S. Th. p. 3. qu. 66. art. 2.

enim communis ſacro in fonte noxarum ablutio ad præterita potiùs delenda, quàm futuri porro temporis excludenda contagia vim habeat; ſuſcepta hac a nobis luſtratio nequaquam ſuo factum ſatis muneri exiſtimat, quòd prioris emendarit turpitudinem vitæ; niſi etiã manſuro in reliquum mox æuum nitori, perpetuus ceu quidam Baptiſmus, proſpiciat: tantò penè animorum ad integritatem tuendam temporario, nec iterabili Chriſtianæ initiationis lauacro plus conferens; quantò corporis ad munditiem retinendam plus faceret perpetem inter aquas vitam traducere; quàm ijs ſemel duntaxat ſe tingendum præbere. Vt propterea, Caſtimoniam vouentes, non tam breue id præconium, humani quo generis vindex Dei filius ad Iordanem audiuit; quàm æternum, nec humanis comprehenſibilem ſenſibus, quem eidem paterna mens tribuit, Exortum videamur referre. Quemadmodum etenim Verbum Diuinum a ſummo ita Genitore ante primam ſæculorum originem prodijt; vt ab eodem inexhauſtâ & continenti generatione nunquam non prodeat; ſic (quantùm Diuinis noſtratia comparare fas eſt) religioſa etiam integritas non ſemel tantummodo, inter vitæ ſanctioris primordia, ſimiliorem, magiſque ideo profitendam Deo Parenti nos ſobolem finxit; ſed quouis penè temporis puncto illum ipſum nobis honorem, eamdemque generoſiſſimorum Natalium dignitatem continuat. Si itaque ſupra nobiles illas Iudæi fluminis ripas, columbæ ſub imagine, ſpirabilis cæli Amor intuendum ſe præbuit; quidni ſupra hoc quoque interius lauacrum, quod corporeis expiatas ſordibus mentes candidiſſimæ in columbæ ſpeciem componit, propitius & volens aſpiret?

Si

Si Virginis filium, cùm eos latices fronte excepiſſet, ſuam Pater diuinus progeniem palàm aſſeruit; quidni eiuſdem præclariſsimi nominis conſortione nos etiam dignetur, dum piaculari votiuæ Caſtimoniæ fluento totis vſquequaque corporibus, animiſque demergimur?

Diutiùs fortaſſe in aquarum eiuſmodi prodigioſâ vi celebrandâ immorarer; niſi ad alias me tempus vocaret, non celebri minùs prodigio in vinum conuerſas. Nimirum hic tertius, & vltimus imitationi noſtræ quaſi Actus iam ſupereſt, vt lucis hodiernæ miracula felici conatu expreſſiſſe dicamur. Atquì bene eſt, Auditores. Hunc quoque iam Actum impleuimus: hic quoque, nihilo quàm cæteri minùs, abſolutus; perfectus, ſuâque terminatus coronide, ſupremum iam *Plaudite* expectat. Nam cur ego vulgaribus aquis, ad ſupremi Conditoris imperium vino mutatis, humanas Voluntates, per obedientiæ ſacramentum in diuinam transformes, conferre nunc metuam? Immo uerò non conferam ſolùm; ſed & nouum hoc in veſtris editum animis admirandæ virtutis prodigium tantò pluris faciendum euincam; quantò plus & ſuauitatis, & pretij humana Voluntas in diuinam conuerſa nanciſcitur; quàm plebeius ille humor, generoſioris in potùs naturam ſaporemque immigrãdo, retulerit.

Et ſanè, vt a pretij æſtimatione ordiamur; quid homine ſeu, quamdiu intra ſemetipſum hæret, abiectius; ſeu, authori cùm ſuo per vltroneam ſeruitutem copulatur, ſublimius? Nonne, ſi conditionis vtriuſque diſcrimen perpendimus; de illo quoque affirmandum generatim cenſebimus, quod de Caio Caligulâ, Priuati modeſtiam in ſolio exuente, Paſſienus

orator

orator protulerat, (*a*) *neque meliorem* eo *Seruum, neque deteriorem vnquam Dominum* viſum? Certè, quidquid altum & magnificum ſonent libertatis imperijque ampulloſa vocabula; non quilibet ſuis plus ab auſpicijs habet; quàm ex alienis conſequitur, Decoris. Quin omnis natura tunc maximè excellit, & ſupra ſeipſam quodammodo aſſurgit; cùm præſtantioris alterius arbitrio ſe penitùs moderandam ſubiecit. Fallitur, quisquis eam ſeruitutem dehoneſtamentum libertatis exiſtimat, non acceſſionem potentiæ, ſupplementum virtutis. Errorem dediſcet, ſi aut iumenti maxillam, bellicum in Sampſonis Dexterà fulmen, aut ignobilem coryli virgam, Hebræo legislatore mouente, plurium prodigiorum, quàm antea frondium, feracem meminerit. Quamquam nec opus ad miracula, & quidem tam longinqua reſpicere. Sat vbique argumentorum, & teſtium. En telluris, dum colono ſubijcitur, quà frugibus conueſtitæ, quà vitibus inumbratæ, quà pomiferis arboribus lætæ, florentiſſimam ſpeciem. En corporum, quamdiu ab animà temperantur, pulchritudinem, habilitatem, vigorem. En inſtrumentorum, quæ peritus artifex regit, miram prorſus & nouam, in tot, tamque eximijs peragendis operibus, vim. Quæ quidem omnia cum legitimę ſubiectionis dignitatem ac pretium vniuersè demonſtrant; tum hominum quemque ad æterni Regnatoris obſequium tacitis quibuſdam veluti vocibus ſic hortari videntur: Quouſque, infelix ac demens, in luto tuo hæres? Quouſque intra natiuæ conditionis anguſtias voluntarius includeris? Teipſum excede, teipſo vt ſuperior eua-

a Tac. L. 6. Annal. c. 20.

euadas. Perfectiori, immo perfectiſſimæ omnium naturæ informandum regendumque te præbeas, perfectiorem vt induas naturam. Suum eſſe ſimul, & diuinum Mortali non licet. (a) *Impendendus homo eſt, Deus eſſe vt poſſit in illo*. Felix profectò; atque iterum felix, qui ſacri huiuſce fœderis nexu ſe obſtrinxerit. Vt ille poſitos ſibi a naturâ ſuâ limites tranſilit! Vt altiorem ad honoris gradum euehitur! Vt cæleſtem indolem ſpirat! Vt cum illis gloriari poteſt in alienâ, quàm ſuâ, ſtirpe melioribus pomis, (b) *Vilia maternis fueramus præcoqua ramis; nunc in adoptiuis Perſica cara ſumus!* Itâ planè. Vulgarem infimique ordinis truncum vocauerim: qui, lectiori cum germine per inſitionem commiſtus, iam, quid fuerit, dediſcit: iam, in ſocij familiam & nomen translatus, illius pretio cenſetur, illius fœcunditate diteſcit, (c) *miraturque nouas frondes, & non ſua poma*. Immo, vt nobiliora eoque magis digna producam exempla; vel cum mortali, quam Dei Filius hypoſtaticè ſibi iunxit, naturâ comparandum exiſtimem. Si namque tam exaggerato dignationis ampliſſimæ cumulo aſſumpta ſibi Humanitas creuit; vt vel communia cæteroqui illius opera æterni Verbi Perſonæ aſcribantur, immenſumque propterea diuino ex authore pretij pondus accipiant; ad tantam hic etiam obſtrictus Deo animus nobilitatem extollitur; vt, quidquid hoc ex fœdere ſiue agat, ſeu velit, non iam hominem ſapiat, ſed excellentioris principij Notam, & diuinæ Voluntatis titulum præferat. Quamquam

a Manil. L. 4.
b Mart. L. 13. Epig. 46.
c Virg. 2. Georg.

quam neque illo ipſo coeuntium in eamdem Hypoſtaſim naturarum auguſtiſſimo nexu omnimodis adque plenum declarari videtur religioſæ, qua de loquimur, coniunctionis præſtantia. Cùm enim admirabile id vinculum ita humanitatem Deo copulauerit; vt integram tamen, & creatæ natiuæque ſuæ Voluntatis haudquaquam expertem relinqueret; amica hæc ſubiectio humanam in nobis Voluntatem, vt diuinâ iam deinceps viuamus, quodammodo abſumit: nonnullam idcirco Euchariſticæ potiùs conuerſionis ſimilitudinem referens, quæ terreno vulgarique alimento cæleſte & diuinum non, ceu ſocium, adiungit; ſed, tamquam vicarium, ſubſtituit. O veſtram igitur, Auditores, dum eiuſmodi authoramentum ſuſcipitis, nullis non ſublimiorem imperijs, nullis non inuidendam regibus, ſortem! O metamorphoſim ſanè pulcherrimam, quę gentilitij vos luti contagijs purgatos in cæleſtem naturam, & immortale quaſi genus traducit: ita hominem homini eripiens; vt, quàm ſuo ſpiritu vacuum, tam diuino plenum relinquat!

At pretio duntaxat religioſa ſubiectio nos cumulat, non itidem ſuauitate ac dulcedine. Faterer fortaſſe, ſi reluctantes & coactos vrgeret. Cùm verò ex liberrimâ vnius amoris inductione vltro fuerit ſuſcepta; quid tandem eſt cauſę, cur non ęquè iucunda appelletur; ac ipſummet iucundum experimur amorem? Teſtentur vel profani amatores: qui, ſi ſuam terreni ſub amoris imperio captiuitatem, vt vt ſępe tyrannicam, rectęque rationi inimicam, ipsâmet libertate gratiorem deprędicant; nę nunquam idipſum de noſtrâ ſeruitute negauerint, tum ab amantibus vltro delectâ, tum adeo inſuper nobili, totque fructuum fœcundâ;

vt

vt placere, quamquam non amantibus, poſſet. Addite huc, quòd, humanam illa Voluntatem cum diuinâ commutans, ita prioris dulcedinem ſubtrahit; alterius vt gaudia ſubſtituat: compenſatione non minùs ſuaui & optandâ; quàm ſi pro lutulentę paludis colluuie inexhauſtum liquidiſſimi nectaris fontem reponeret. Addite & ſinceriorem quaſi valetudinis Habitum, quem perpurgato a vitioſis cupiditatibus, arbitrijque ſui corruptelis animo inducit: tantò illum propterea voluptatibus ſuis deguſtandis aptiorem efficiens; quantò ſani cuiuſque hominis, quàm morbo laborantis, palatum ciborum ex ſapore oblectationis plus percipit. Addite hęc, inquam: omnibuſque perpenſis iam tandem apud animos veſtros ſtatuite, ſatiſne luculenter iuratum a nobis Numini obſequium, dum vberi adeo ſuauitatis prouentu reſpondet, tertium illud, hodiernâ quod luce recolitur, inſipidi laticis dulciorem in Potum abeuntis, prodigium exhibeat.

Verùm multò etiam id faciliùs ſtatueris ac certiùs; ſi proprias humanę hinc libertatis, diuinę hinc ſeruitutis delectationes ſuum rite reuocandas ad genus, mutuòque conferendas ſumpſeritis: manifeſtò agnituri, has illis non quolibet tantùm, ſed eo ipſo anteſtare dulcedinis genere, quo Falerni, vel Cretici palmitis ſuccus fontano cuiuis humori antecellit. Et verò adeſt nobis in tempore ſapientiſſimus Plato, qui comparationi propoſitę certos quaſi fines ac terminos ſtatuat: dum, nobilem illam in Philebo de ſummi Boni naturâ diſputationem ingreſſus, voluptatum duo genera enumerat: præſtantioris quidem indolis primum, earum videlicet, quę adiuncti doloris lenocinio ad oblectandum nil egent, ſed, omnino

ſin-

ſinceræ, ſanorumque hominum propriæ, a ſeipſis ſuâque tantùm a naturâ habent, quod placeant; deterioris contra alterum Notæ, illas nempe complexum, quæ ab Ægrotis duntaxat, ceu quædam medicamenta, expetuntur, impuræ propterea, nec moleſtiæ ac doloris in totum expertes: cùm tamdiu earum guſtus arrideat; quamdiu morborum, quos depellunt, acerbitas ſæuit. Age igitur, veri tandem illiuſmodi claſſium oppoſitas illas, quas vel addictus Numini animus ex coniunctione diuinâ; vel arbitrij ſui retinens ex natiuâ libertate deriuat, aſſignandas voluptates cenſebimus? Neminem certè tam obtusâ mentis acie futurum exiſtimo; quin, ambarum naturam perſpiciens, primas, vt ſuomet ingenio iucundas, & a vitioſarum affectionum perturbationibus ſegreges, priorem in numerum atque ordinem referat: alteras verò, vel earum ſaltem quamplurimas, & illas cumprimis, quæ vehementiſſimè fruentem afficiunt, vtpote inquietarum cupiditatum, ad quas leniendas expetuntur, moleſtijs confuſas, & ex morbi potiùs iniuriâ, quàm ex naturæ ſuæ Merito amabiles, poſteriorem in gradum reijciat. Atqui vel palati experientia nos decipit; vel hoc ipſo diſcrimine geminos etiam, qui alterâ ex parte obijciuntur, liquores natura diſtinxit. Quis etenim, priùs adhuc, quàm Plinium(a) audiret; ex communi ſenſu non didicit, *Vino deberi, quòd etiam non ſitientes homines bibant*: potui nimirum, vel citra deſiderij egeſtatem iucundo, nec ad morbi duntaxat auxilium compoſito? Quis contra medicamenti ad genus ſpectare, ſitiſque cruciatu miſceri, & cum illo prorſus deficere,

S quæ

a Pl. l. 23. Hiſt. Nat. c. 1.

quæ ex riuis fontibuſque hauriatur, delectationem ignorat? Cùm itaque libertatis ex ingenitæ vſu, non ſecus ac ex Frigidæ hauſtu, medica quædam, & ægritudinis ſocia percipiatur voluptas; ex iuratâ verò Numinis ſeruitute liquidiſſima, tamquam ex Engaddi racemis, iucunditas profluat; quidnam vltra dubij iam ſuperet; quin religioſi hominis animus, dum, ſupremo Vniuerſitatis moderatori ſe penitùs deuouens, inſinceras arbitrij ſui voluptates integerrimis Diuini famulatùs gaudijs commutat; eodem peregrini ſaporis genere ſe ipſum priorem excedat, quo Gauranæ, Lesbiæque vindemiæ riuorum ac fontium ſuauitatem exuperant? Aut cur quiſquam mihi obſtet, quòminùs, circumacto ad ſua retrorſum primordia orationis meæ curſu, quod tertiæ huius partis initio affirmaui, ceu rite confectum hic colligam: interiorem metamorphoſim nimirum, quam, Voluntatibus noſtris in Diuinam vertendis, ad matutinas collegij huiuſce aras Obedientia peregit, prodigioſæ liquorum conuerſionis Galilæas olim inter menſas exhibitæ abſolutiſſimum vſquequaque inſtar referre? Niſi quòd longè etiam præſtantior in noſtratibus hiſce, vt ſic loquar, repotijs; quàm in veteribus ijs nuptiarum Solennibus, voluptas exuberat: cùm vel Meri cuiuſque guſtus citiſſimè in ſatietatem degeneret; ſacram verò diuinæ coniunctionis iucunditatem ipſe Hauſtus irritet, nec vlla vel æterni longinquitas temporis finiat.

En igitur, quantum vobis, Sodales, hodierna lux debeat: cuius ita ſanctitatem recolitis; vt geminetis: quamque felici adeo repræſentatione inſtauratis; vt, antiquis licet myſterijs nequaquam venerabilis foret; veſtrà tamen

pre-

prȩſenti pietate ad poſteritatis totius veneratiónem & Cultum conſecrata ſat poſſit videri. Meruerit antiqui pictoris crudelitas, dum Promethei ſupplicium, quod fictà ſimilitudine in tabulam meditabatur transferre, veris in mancipio adumbraret tormentis; illo Romani Declamatoris (*a*) elogio notari, *Hoc eſt facere Promethea, non pingere*. Quidni ſimili elogio veſtra etiam celebretur religio? Quidni, dum tam pleno ſucceſſu hodierna vos Solennia referentes intueor; iure optimo exclamem, *Hee eſt miracula non ſimulare, ſed facere?* Ita planè affirmandum. Nihil hic vmbratile & ſcenicũ, nihil vanam ad ſpeciem effictũ. Repreſentationi plus repreſentatione aliquid ſubeſt, & imago in veritatem rei tranſit: adeo ſuo exemplari, quàm ſibi, ſimilior; vt ipſa etiam, ceu de quodam poemate ad Veterum normam conſcripto affirmauerat Plinius, (*b*) *exemplar quandoque eſſe poſſit*: illudque adeo ſplendidiſſimum vobis aſtruat præconium, quo Deorum percelebres fabros, Polycletum, Praxitelem, Phidiam, ſua imaginum cudendarum facultas apud Lucianum ſacrauit, (*c*) tamquam, cum Ioue, cȩteriſque a ſe effictis Numinibus, adorari per Orbem promeritos. Diuinorum quippe operum formam non in marmore, aut ærȩ, ſed in veſtris rite animis moribuſque exprimentes, multò, quàm ij Artifices, veriùs, vos Diuinos probaſtis: &, dum, Orbis quȩ prior tot iam ſæculis adorauit, exempla imitamini; quæ vniuerſa ſecuturi poſteritas temporis veneretur, feciſtis.

a Sen. Controu. 34. l. 5.
b Epiſt. 21. lib. 6.
c In ſomnio Luciani.

Ex præterito Munere noua Donationis amplioris Materies.

ORATIO XXII.

De Solenni Votorum Inſtauratione.

TAnta eſt, Auditores, comunemque adeo prætergreditur modum noſtræ illa Voluntatis prolixitas, qua, ſub vitæ ſanctioris primordia, vniuerſos non patrimonij duntaxat, ſed vel corporis, atque animi cenſus, nuncupatis rite votis, Numini obtulimus; vt, rem primâ æſtimantibus ſpecie, non tam iuſtæ liberalitati aſcribenda; quàm enormis prodigentiæ videatur damnanda. Si namque immoderatam largiendi proluuiem eo vel inprimis nomine Romanus incuſat Orator; (a) quòd, veluti ſe indignam exiſtimans, quę benemerendi voluptate diutiùs fruatur, præcipiti quodam æſtu, & quaſi torrente ipſummet largitatis ſuæ fontem celerrimè exhaurit; ecquam tandem laxiſſima illius muneris noſtri amplitudo liberalitatis in futurum promendæ facultatem iam nobis, aut materiam reliquit? Num ab omni rerum poſſeſſione ſic funditùs vacuis, extremamque ad nuditatem & inopiam redactis illas adhuc implere fas erit virtutis actuoſiſſimę leges: vt (b) iuſtiſſimam dandi rurſus cauſam exiſtimet, ſemel dediſſe: vt non niſi alio erogando (c) prioris beneficij accipientem commo-

a Cic. 2. offic.
b Sen. l.4.de Benef. c.15.
c Ibid. l.2.c.11.

moneat: vt, (a) quos ſemel inierit, nullo vnquam tempore curſus abrumpat: vt vetera demum (b) Promerita ſe arbitretur ſubuertere, niſi nouis in dies, ac maioribus cumulet? Nonne omnino conturbauimus, &, vel ipsâ cum rebus ſpe abſumptâ, in totum ac perpetuum decoximus? Nonne, illarum Animantum conſimiles, quę, relicto in vulneribus primis aculeo, mox inermes torpeſcunt; vnius largitionis impendio, quantacunque nobis erat, largiendi vim atque copiam prodegimus? Ita fortè ſuum quis apud animum ſtatuat, erroris & vecordiæ nos arguens, qui, peruerſo tumultuariæ cuiuſdam effrænatæque liberalitatis impetu abrepti, quidquid ea in reliquam omnem ætatem commeatuum habebat & cēſuum, vnius diei iactu, tamquam ilico morituri, egeſſerimus: nequaquam adhibitâ ſapientiſſimis Tullij vocibus mente, (c) nihil eſſe ſtultius clamantis, quàm, libenti quod animo facias, longiori ne tempore faciendum id habeas, curare. Sed inanes obmuteſcant calumniæ. Ab omni temerariæ profuſionis inuidiâ noſtrorum largitatem votorum hodiernus ſat vindicat dies: planiſſimum faciens, vel poſt omnia Deo mancipata, integram etiamnum nobis ſuppetere, illius nouis nouiſque, immo & præſtantioribus demerendi muneribus, copiam. Ita prorſus res habet. Dum iterum, dum tertiò, dum pluries concepta pridem vota inſtauramus; aliud toties atque aliud: parum eſt: nobilius toties ac maius, ex eâdem licet materiâ, Diuinitati donarium ſacramus. Quod enim ſemel

 ex-

a Plin. Ep. 12 l. 5.
b Id. Ep. 13. l. 2. & Ep. 4. l. 3.
c Lib 2. Offic.

exhibitum omne decus & pretium videbatur excedere, toties ſeipſo pretioſius euadit;quoties iteratò exhibetur. O miram planèque inauditam prodigentiæ rationem, quæ patrimonium ſuum, quò immoderatiùs effundit; eò quæſtuoſiùs exaggerat: &, omnia ſemel donando, ad maiora in futurum donanda ſibi campum recludit, nouæ vberioris munificentiæ facit ſementem! Frugiperdas & decoctores appellare quiſquam vos audet, quòd totam veſtri peculij Summam vnicà largitione exhauſeritis? Fortunatos potiùs appellet, quòd eamdem pluries, ac pluries ſine modo elargiri poſſitis. Tales ego vos ſanè in præſentia appellabo, taleſque non iniquo cuilibet rerum æſtimatori me ſatis comprobaſſe arbitrabor; vbi illud euicero, quod hodiernà mihi oratione demonſtrandum propoſui, Pretioſius vos Deo ſacrificium & munus offerre, dum vota religioſa iteratis; quàm, cùm ea initio obtuliſtis.

An igitur non idoneum rei probandæ argumentum veſtra præſens conditio, nouis Meritorum prouentibus ditior, ſublimiuſque ideo dignitatis ad faſtigium euecta, ſuppeditat? Certè *multum intereſſe, quid a quoque fiat*, & in rebus authores plerùmque æſtimari, non affirmatiùs diſertèque magis Familiari ſuo Plinius (a) perſcripſit; quàm publica hominum conſuetudo, receptiſſimuſque vitæ Vſus cuiuis demonſtrat: cùm *eadem* paſſim *Facta claritate, vel obſcuritate facientium aut altiſſimè tolli* cernantur, *aut humillimè deprimi*. Quemadmodum etenim Maiorum virtus & gloria non paruam nepotibus, Liberiſque commendationem adiungit,

a Ep 24 l. 6.

git, quò peculiaris eorum in Republica ratio ducatur; ſic actionibus itidem, quæ Partus quidam hominis vocari non immeritò poſſunt, originis altitudo permultum dignitatis conciliat, quò ſupra cęteras, naturali quidem excellentià non impares, humiliori tamen ſtirpe prognatas, emineant. Nouerat id, egregioque conſignatum documento reliquit Lacedæmoniorum ſapientiſſima ciuitas: (a) quæ, cùm in communi populi coetu neſcio quam de ſummà republicà ſuà deliberationem haberet, vitàque ibi quiſpiam probroſà atque indecori ciuis ſaluberrimum, vt cunctis videbatur, protuliſſet conſilium; adeo vel honeſtam ſententiam dicentis contagione dehoneſtari putauit; vt, quia neque propter vtilitatem omnino explodenda, neque propter authoris turpitudinem amplectenda ilico videbatur; ab alio laudatioris famæ ciue ſuis eamdem verbis, & ſuo quaſi nomine pronuntiari iuberet, ſicque expiatam quodammodo publico demum Scito approbaret. Num igitur, quod in actibus reliquis vſitatum adeo & commune intuemur, vt non propriâ ſolummodo, ſed & facientium dignitate nitantur; in beneficijs doniſque ęſtimandis minus loci obtinere arbitrabimur? Immo, ſi noſtrum, communemque ſenſum interrogemus; multò etiam, quàm in cæteris amplius. Quotus enim quiſque non permultum diſcriminis eodem in honore eſſe ſtatuat, ſi a maximo illum rege, priuato vel a ciue retulerit? Aut quotocuique par gratia ſit muneris ſeu præſtantis a Meriti viro, ſiue a vulgari & gregario profecti? Sat inſigne pro cunctis Romanus il-

a Gel. l.18.c.3.

le miles teſtimonium præbuerit: (a) qui, peculiari ob rem fortiter geſtam præmio donandus, argenteas de manu Scipionis imperatoris armillas, quàm aureum à Legato munus longè maluit accipere. Adeo, vel citra Senecæ magiſterium, (b) ipsâmet à naturâ didicerat, ea beneficiorum iucundiſſima accidere, in quibus *magis à quo, quàm quid fuerit acceptum*, cogitare delectat. En igitur, niſi mea fruſtratur me opinio; iam disertè comprobatum, Sodales, orationis quod initio affirmaueram, vt vt ſplendidiſſimum fuerit id munus, quod diuinam inituri ſeruitutem vouiſtis; nouæ tamen quaſi lucis adiectu ſplendidius euadere, quoties illud denuo vouetis iam diuinam ſeruitutem profeſſi. Nimirum, auitos dum cenſus, ac titulos, dum corporis, atque animi arbitrium, dum vos, veſtraque omnia ſolennes ad aras, Deo primùm immolanda, afferretis; inter Externos quodammodo eratis, nequedum ex arcanâ illius cenſebamini cohorte & familiâ. Tanto rite ſacrificio peracto, in Domeſticorum Album relati, in intima familiaritatis amicitiæque iura iam eſtis aſciti. Quamobrem, ſi & veſtra inde plurimùm authoritas creuit; & donantis excellentior conditio par donatæ rei pretium adiungit; dubitari certè non poteſt, quin, quod vobis eſt additum, veſtro itidem muneri commendationis incrementum acceſſerit: quantòque plus Meriti hodiernas vos ad aras, quàm ad primas, vobiſcum tuleritis; tantò & veſtra, quæ hodie redintegratur, quàm quæ ibi anteceſſit, litatio dignitatis ſplendoriſque plus habeat.

Ve-

a Val. max. lib. 8 c. 15.
b Lib. 1. de Benef c. 15.

Verùm hæc ab authoribus hæreditario quaſi iure deriuata in munus nobilitas, ceu prorſus aduentitia & extraria, non perinde æſtimandum illius nunc repetiti poſſit decus videri. Agedum, rem altiùs rimemur, inque cauſæ penitiſſimos ſinus, & ipſa beneficentiæ quodammodo viſcera oratio deſcendat. Hic porro prima nobis expendendam ſe offert donantis cognitio, maximum, ceu liquidò patet, iuxtaque proprium & intimum rei donatæ momentum. Cùm enim Voluntas non niſi in ea, quæ nouit, feratur; neceſſariò planè conſequitur, vt tantum, & tale dare munus quilibet velit; quantum, & quale ſuo ipſe in animo concipit: vtque propterea interioris tantum Meriti pondus vel adijciat eidem, vel detrahat; quantò illius pretium & decus ſiue per inſcitiam minùs intelligit; ſiue per comprehenſionem iudicij pleniùs agnoſcit. Ex quo ratiocinationis veluti fonte certiſſimam Venuſinus poeta (*a*) cauſam elicuit, cur profuſa a Nepotibus dona minimum honoris, & gratiæ apud accipientem inueniant. Quia nempe *Prodigus & ſtultus donat, quæ ſpernit, & odit*, parcior alioquin futurus, ſi probè ſubductas in animo largitatis ſuæ rationes haberet. Cùm contra, quod a viro ſapiente proficiſcitur, munus æſtimationis integerrimæ pondus obtineat: quia ille nimirum, quàmuis in donando minimè aſtrictus; *non tamen ignorat, quid diſtent æra lupinis*: nec beneficia contẽptim ac temere, velut onus inutile, abijcit; ſed cum delectu & iudicio, tamquam beneuolentis animi pignus, diſtribuit. Quocirca Traiani quoque Cæſaris egregius lauda-

a Epiſt 7 lib. 1

tor, (a) quod in Medium protulerat, beneficentiſſimi Principis *munus ſe augere* non immeritò dixit, *illius dum liberalitati ineſſe rationem oſtenderet*: ſapienter intelligens, cuius munificentia vitali hoc quaſi ſpiritu careat, eum, veluti de Othone pronuntiauerat Piſo, non donare cenſendum, ſed perdere. Quid igitur? Ad arguendum, quàm hoc itidem nomine votorum augeatur præſtantia, dum ſecundò, tertiòque iterantur; cæco quodam animorum vos impetu, citraque legitimum & conuenientem rationis Prouiſum, ea primò nuncupaſſe contendam? Apage hinc tam præpoſterum de veſtrâ grauitate & ſapientiâ iudicium. Vt, quos mihi laudandos ſuſcepi, eos, niſi per contumeliam, exornare me poſſe diffidam? Cauſam citiùs deſerere, quàm tueri ſic velim. Perſuaſiſſimum equidem habeo, examinatis, vt par erat, grauiſſimæ deliberationis momentis, reque totâ non ſemel in Medio ad æſtimandum propoſitâ, & ſollerti diu cogitatu perpensâ, initum, peractumque id a vobis conſilium fuiſſe. Sed neque vos, arbitror, fateri viciſsim piguerit, Sacrificij tum oblati notitiam, perplurimum euoluto dein tempore incrementi accepiſſe: poſteaquam, confirmatâ paulatim ætate, communique ſenſu pleniorem ad maturitatem perducto, tum diuturniori præterea experientiæ magiſterio accedente, cominus penitùſque inſpexiſtis, quibus vos vitæ Commodis, repudiato patrimonio, exueritis; quàm arduum, perpetuumque Deo ſpoponderitis, iuratâ caſtitate, martyrium: quod poſtremò, quàmque ingenuis onerosum ceruicibus, voluntate

a Pl in. in Paneg.

b Tac. L1. Hiſt. *Perdere iſte ſciet, donare neſciet.*

tate in Moderatorum quaſuis leges obſtrictâ, exceperitis iugum. Vt, omnibus demum calculis poſitis, & totius Summa ratiocinationis ſubductâ, nullæ mihi Dialecticorum iam leges videantur obſtare; quin legitimè colligam, quemadmodum cum rei pleniore notitiâ; ſic & ampliore cùm Meriti cumulo talia nunc a vobis iteratò ſponderi; quàm, illa cùm eadem, minùs olim ab vſu & ſcientiâ parati, ſecundùm tyrocinij rudimenta obtuliſtis.

Non tamen vel iſtiuſmodi expreſsior cognitio totum ſummumque illud eſt, quo religioſæ vitæ conſuetudo productior hodiernæ inſtaurationis congeminat pretium. Maiori ego in gloriâ poſuerim Voluntatis contentionem & vim: quæ, licet eximia minimèque vulgaris, vel in primo dicendo noſtrę huius militiæ ſacramento, enituerit; multò tamen efficaciorem ſe hodie, inuictoque magis robore effultam probauit: cùm deuotionis præteritę Nexum, vel poſt exploratas diutino temporis ſpatio illius aſperitates moleſtiaſque, adhuc integra virium, ſui adhuc Propoſiti tenax, repetitâ ſponſione firmauerit. Neget id quiſpiam, cui nondum vel ratio, vel experientia perſuaſit, bonam quoque mentem (perinde vt de imperijs (*a*) Cyrus aiebat) difficiliùs retineri; quàm ſuſcipi: longèque fortiori conatu opus eſſe, ad ardua facinora cōſtanter vrgenda, quàm promptè alacriterque inchoanda. Non etiam negauerit, quin ab omni remotiſsimum Dubio teſtabitur Heracleotes Dionyſius, (*b*) tantò ille certus magis rei author, quantò eam in ſeipſo luculentiùs agnouit. Hic, Zenonis diu porticu

S 6

a Xenoph de Cyri Inſtit. l. 7.
b Cic. l. 2. Tuſcul. Quæ

ticu tritâ, Stoicam illam humanorum caſuum contemptricem ſapientiam toto pectore hauſerat, pleno ore ructabat. Nihil hominis vultu, nihil oratione conſtantius. Vidiſſes: ¡Olympum ſanè aliquem, turbinibus ventiſque inacceſſum, tibi viſum putares. Diſſerentem audiſſes: Dodonæis vnam ex quercubus exiſtimares locutam. Adeo inconniuentibus oculis, immotàque & ęquabili frontis temperie alienas calamitates, ſuos terrores ſpectabat: adeo ipſiſmet roboribus firmior, tertio quoque verbo laceſſebat Fortunam, ærumnis & cruciatibus laqueum mandabat, Sapienti vel in Phalaridis tauro certiſſimam beatitatem ſpondebat. Et quidem, dum procul periculum, prçſumpta hæc fortitudinis ſpecies impunè aliquandiu homini ceſſit. Sed en tibi renum dolore corripitur, violento illo ſanè & immiti, quique nullam, repetitis vſque morſibus fodiens, laboranti quietem permitteret. Tum verò admirabilem quamdam, nulliſque antea in Olympicis viſam, aut Nemeçis certaminibus pugnam aſpiceres. Hinc morbus ferociter impetum facere, vehementiſſimè inſtare, vrgere, debacchari, ſæuire. Illinc contra Philoſophus obnixo firmiter gradu vim hoſtilem excipere, ſuâ virtute ſe inuoluere, totam in Medium ſapientiam proferre. Clamare Alter ſubinde, Adhucne in Decretis prioribus perſtas? Nulla in tabulis Sapientum litura, Alter reponere. Etiãnum Cruciatus pro indifferẽtibus habes, & tua nil referre arbitraris? Quidquid moueant, non digitum verterim. Pergiſne te beatum iactare? Ne Iuppiter quidem beatior. O Virum adamantini pectoris! O Herculi parem! O germanum, germaniſſimum Stoicum! Ita planè vos hic mihi videor proclamantes audire. Et

me-

meritò quidem, ſi vlteriora primis reſpondeant. Sed exitum, quæſo, intuemini. Cùm nil dolor remitteret, quin maiori maiorique continenter ſæuitiâ oppugnaret; inflecti paulatim Philoſophus cœpit, & neſcio quid ſecum, quaſi deliberabundus, muſſare: mox inducias certaminis poſcere, & cum Aduerſario paciſci: victâ demum Malis patientiâ, ipſoque conſumpto, qui feſſam aliquandiu virtutem ſuſtentarat, pudore, in tantum a ſe ipſo deſciuit; vt palinodiam longè fœdiſſimam caneret: deditionem in quaſcunque hoſtis leges conficeret: &, verba ſibi a Zenone data, mentiri vaniſſimè Stoicos, nimiùm quàm magnam dolori vel contra Sapientes vim eſſe, palàm eiulabundus clamaret: illuſtri documento relicto, quàm non vulgaris animi ſit, operoſum & ſublime Propoſitum per obuia quæuis diſcrimina vrgere, nec vllo ſeu labore, ſeu metu ab inito eximię laudis curriculo abduci. Quamquam quid opus ex adeo remotis a noſtrâ memoriâ temporibus compertiſſimæ rei ſubſcriptores accerſere? Teſtantur hoc ipſum multò etiam diſertiùs non pauci, nec nobis ignoti, qui, cùm prolixo & alacri animo noſtram olim militiam iuraſſent; illius mox difficultatibus victi, deferueſcente paulatim primæuo tyrocinij calore, authoramenti ſui fidem, & ſanctiſſimo aſtricta iureiurando Promiſſa, leuiſſimi deſertores, fregerunt. Adeo, quibus ad nuncupanda fortiter vota virium animorumque ſat fuerat; ad ea perpetuò deinde iteranda voluntatis robur defecit. Neque mirum id certè. Nam, ſemel quid egregium præſtari, vel fortuitò nonnunquam contigerit: & breuis quædam virtus, ac temporariæ fortitudinis calor,

vt

vt veriſſimè Statius (*a*) obſeruat, timidiores quoque animos ſuo interdum afflatu ſuccendit. At experta in diſcrimina ſe pluries, atque pluries offerre, quantùmcunque dimicatio producatur, nunquam locum deſerere, nullis defatigari laboribus, nullis rerum aſperitatibus frangi, ſed fortiter cœptis vſque fortiùs inſtare, generoſos Conatus per quaſcunque difficultates prouehere, &, quod ſemel decreuerit virtus, adamantinis, & trabalibus clauis altiſſimè in animò fixum, nullâque temporis diuturnitate reuellendum ſeruare; id enimuero decus Paucorum, id palmare & eximium inuictæ fortitudinis ſpecimen, id a fœminis viros, ab inertibus ſtrenuos, ab humili vulgo heroum nobilitatem ſecernit.

Quidni igitur veſtram hanc ego, Sodales, in primo illo tam excellenti arduoque conſilio, poſt quęuis experimenta, approbando, integerrimam ſoliſſimamque voluntatem maximopere admirer? Quidni prorſus heroicam, & vel in vobis ſingularem iure optimo appellem? Quidni cęteris omnibus veſtrorum Decorum titulis multò tantò anteferendam exiſtimem, & veluti ſummam ſummarum gloriam deprædicem? Eſto, præclariſſimum fuerit exaggerati ac ſublimis animi Inſigne; luculenta patrimonia abdicare, voluptatibus corporis nuntium remittere, libertatem demum ipſam, qua nil homini penſius, alienis in perpetuum arbitrijs ſubijcere. Quantò tamen præclarius, a laudatiſſimâ illâ mentis deſtinatione nunquam recedere, nullâ impendioſiſſimi muneris pœnitentiâ morderi, ex continenti tam difficilis

---

a L. 4. Theb. initio. *Timidiſque etiam breuis addita Virtus.*

lis Propoſiti vſu nihil quidquam ægritudinis capere: quin illud vſque impenſiùs fouere, & alacriori tunc voto inſtaurare; cùm, quantæ ſit molis, experimento certiore dignoſcitur? Memorabile in primis, nec authore ſuo dignum Neronis hic exemplum ſe obijcit. (a) Centies aliquando ſeſtertium, prægrande, vel ſi donaretur Cęſari, munus Prætoriano cuidam erogari mandauerat. Percuſſit non leuiter Agrippinæ Parentis animum inſolens adeo atque effuſa largitio. Quid enim principali mox Ærario futurum, ſi tales inde riui crebriùs diffluerent: quoſque cenſus imperij tam patula & incontinens Dextera non breuiſſimum intra tempus prodigeret? Illam igitur ipſam donationis nuperrimæ Summam, firmiſſimi tamquam aggeris molem, pręcipiti & exundaturæ latiùs in dies liberalitati opponendam exiſtimans, in conclaui, quò acceſſurum paulò poſt filium ſciebat, explicari vniuerſam præcepit: vt immodicus animi Iuuenis ſuâmet a prolixiori munificentiâ iuſtam in futurum parſimoniam condiſceret: nec iuſſa donari facilitate metiretur iubendi, poſtquàm ſemel vidiſſet, quàm tardè numerari vel oculis poſſet, quod tam citò, tamque leui negotio vox vna imperaret. Callidè proculdubio excogitatum videbatur conſilium. Sed euentu ſuo caruit, immo & in oppoſitum ceſſit: vehementioribus concitato inde ſtimulis filio, vnde mater frænandum putauerat. Poſtquàm enim tantum illem auri ſuper menſâ coaceruatum aſpexit, ſcitatuſque a diſpenſatore, quidnam foret pecuniæ; eam eſſe ipſam audiuit, quam non ita pridem donari iuſſiſſet; vultu primùm, dein voce aſ-

per-

a Xiphil. in Epit. Dion.

pernatus, Itane, inquit, non iſto plus cumulo noſtrum illud centies amplectitur? Locupletiorem enimuero Summam credideram. Pudet muneris Cæſare indigni. Age, alterum tantum ex Ærario confeſtim adijcias: vt neque mea erubeſcenda mihi liberalitas ſit; &, quiſquis pro minore olim decretà pecuniâ mox duplam numerari cognouerit; hac vnâ priorum largitionum pœnitentiâ poſſe tangi Neronem intelligat. Hęc Princeps donandi inexpletus: quę non priſtinam magis illius gloriam duplo fœnore auxerunt; quàm ſimile iam & vobis adiectum nouæ laudis incrementum declarent. Quemadmodum enim luculentius ibi fuit Voluntatis munificæ ſpecimen, totum oculis coram luſtratum geminando approbare ſplendidiſſimum munus; quàm, minùs exactâ vnius mentis decempedâ e longinquo antea dimenſum, iuſsiſſe; ſic & voluntati illi veſtrę, quæ, quidquid ſuum, immo quidquid ipſa erat, ſacrum Numini fecit vectigal; non paruo hæc laudis interuallo poſterior antecellit voluntas, quę ſumptuoſiſſimam præteritæ donationis illius largitatem adeo, poſtquàm propiùs ęſtimauit, non reuocat; vt, hoc ipſo certiore introſpectu, nouo quodam ceu ſtimulo impulſa, quando priſtinum munus per omnimodam ipſius plenitudinem geminare non licet; ſuum ſaltem ardorem ac ſtudium (quod perinde ad pretij magnitudinem facit) eo impenſiùs approbando, congeminet. Sed conuicium poſſet veriùs, quàm præconium, videri; ſi veſtram cum Neronis gloriâ componerem. Relinquamus tyrannum, deteſtandę vel actibus in honeſtis memoriæ, cæteràque vitiorum infamiâ, ne honoris vnquam causâ, & inter virtutes nominetur, promeritum. Nobilius, ſeu

rem ipſam, ſiue authorem inſpicimus, ab Agide, Laconicorum huiuſce nominis regum poſtremo, fas erit argumentum deſumere: (a) qui, Spartà digniſsimus, ſed veteri & adhuc integrâ Princeps, quòd corruptos ciuitatis ſuæ mores ad antiquâ Lycurgi Inſtituta reuocare pro virili ſtuderet; conatùs ſaluberrimi pretium, mortem ab Ephoris iniquiſsimam tulit: cùmque ideo iam coniectum in vincula neſcio quis percontatus fuiſſet, num prioris ſententiæ tunc ſaltem, cùm diſpendioſam ſibi adeo experiebatur, pigeret; nullam hoſtium iniuriam, nullam temporum iniquitatem facturam, reſpondit, vt honeſtè & laudabiliter placitum degeneri pœnitentiâ retexeret. Perpendite, amabo vos, tam eximium heroem, & quodammodo ſecum conferte. Vtrumnam tandem gemina ipſius inter Decora illuſtrius, & maiori dignum admiratione cenſebitis? Emendandæ quòd Patriæ conſilium in Regiâ, ſuis opibus fretus, ſuſceperit? An quòd ibi ſuſceptum, ne in ipsâ quidem cuſtodiâ, Inimicorum vi oppreſſus, mutauerit? Neminem certè mihi perſuadeo futurum, quin ſupremæ hoc exemplum conſtantię honorificentiori celebrandum præconio arbitretur, eique principatum dignitatis & gloriæ ſuffragatione meritiſsimâ adiudicet. Quapropter (vt ad vos reuertatur oratio) neque vllus vel mediocris rerum penſitator ibit inficias, enixioris operæ, ac Meriti proinde maioris eam in vobis virtutem cenſendam, quâ veſtras poſſeſsiones & copias, vobiſcum vnà, vniuerſas Deo mancipaſſe, poſt diu toleratam huiuſcemodi abdicationem, in preſentia gaudetis; quàm, quæ ad tantum olim mu-

a Plut. in Vitâ Agidis.

munus vouendum recenti pietatis ardore vos impulit: ac, veluti in rhetorum ludo ſimplicibus rectiſque ſententijs plùs illæ ab artificio laudantur, in quibus, ſupra ſuum priorem Conceptum ſollerti animaduerſione ingenium recurrens, ex ipſo illo acutè atque commodè dicto noui quidpiam acuminis parit; ſic in Voluntatis etiam palæſtrâ priſtinam illam ſub exitum tyrocinij nuncupationem votorum, quæ muneris duntaxat materiam ſimplici quodam actu ſpectauit, inſtaurationi hodiernæ, quæ cum munus oblatum, tum ipſam illius offerendi voluntatem nouo reflexæ virtutis conamine amplectitur, non parum de Merito, deque laudis exuperantia concedere.

Cùm igitur, ſiue authorum nobilitas, ſiue cognitionis Præſtantia, ſiue Niſus ac firmitas Voluntatis ſpectetur; nullâ non ex parte inſtauratiua hæc religioſi holocauſti celebritas ſupra olim peractam primarum litationem hoſtiarum emineat; quid ſupereſt, niſi vt communis vos plauſus ter, & quater, immo toties beatos, priſtinum quoties integratis ſacramentum, deprædicet? Quibus nimirum ex eo ipſo nihilo, ad quod veſtras opes & copias profuſiſsima erga Deum Voluntas redegerat, aliæ toties atque aliæ, largioris in munificentiæ materiam, facultates ſuccreſcũt: adeo vt, quamuis totam oblato primitus munere conſumpſiſſe videamini liberalitatem; veſtra tamen (quemadmodum Iuliano de Cæſare Mamertinus (a) iactauit) *poſterior liberalitas vincat priorem; nec fiat effœta gignendo, ſed per vices fructuum fœcundetur.* Ne amaranthum iam pergat,

(a) In Paneg. Iulian.

gat mihi Plinius (a) mirari, *gaudentem decerpi*, eàque ipsâ ſe lætiùs propagantem iniuriâ. Vberiorem permultò iuſtiſſimæ admirationis materiam vos illi exhibebitis: quorum fortunas & cenſus cùm ſuſcepta pridem vota non ex parte ſolùm decerpſerint, ſed funditus ſtirpituſque ſucciderint; nouis tamen huiuſcemodi per damna incrementis immensùm auctiores fecerunt. Ne vnum eſſe aurum pronuntiet, (b) cui ad ignes admoto nil prioris opulentiæ decedat, immo quod & *ſæpius ardendo ad bonitatem proficiat*. Veſtra quoque religioſa holocauſta, dum Deo, charitatis in igne abſumenda, offeruntur; adeo nullâ Sui parte propterea deficiunt; vt, quò pluries cæleſti illo incendio flagrauerint; plus eò ſemper dignitatis nanciſcantur & pretij. Quamobrem, ſi ea olim tabula, in qua celeberrimi duo Græciæ pictores miræ ſubtilitatis lineas certatim produxerant, (b) ita alij ſuperpoſitam aliam; vt priori ſemper poſterior tenuitatis artificio anteſtaret; ſi pulcherrimum illud, inquam, conſummatæ artis miraculum eruditæ totius poſteritatis oculos in contemplationem Sui meritò rapuit, & inexhauſtâ ſuſpenſos admiratione detinuit, quoad ſimul cum Palatinâ, vbi ſeruabatur, Cęſaris domo, maximum incendij crimen atque inuidia, periret; ſanctiſſima hæc ego, quæ ſolenni quotannis vos ritu iterum iterumque concipitis, vota, ſingula inuicem de principatu certantia, ita tamen, vt poſteriora ſemper prioribus pretio & nobilitate antecellant, Cęſareo quouis Lare auguſtius donarium, æternitatis

tatis

a Lib. 21. Hiſt.Nat c.8. *Mirum in eo, gaudere decerpi, & latiùs renaſci.*
b Id. l.33.c.3.
c Id. lib 35.c.10.

eatis in templo,cęleſtique Numinis Regiâ ſuſpendam: vbi, damnoſas ſupra temporum vices,nullis caſuum iniurijs obnoxia, perpetuùm ſuperſint: & omnibus tum admirationi ſint, tum exemplo, quàm nullis circumſcribatur religioſa liberalitas terminis: quantuſque inexhauſtarum opum ſit homini ſuamet Voluntas theſaurus, quæ nouæ ſibi amplioris munificentiæ materiam præteritis etiam de muneribus facit: dum vel pręteritis non modò nouitatem impertit; ſed præſtantioris quoque Meriti decus adiungit.

Nouitas Æquè Iucunda, & Laudabilis

ORATIO XXIII.

De Solenni Votorum Inſtauratione.

QVod de canticis apud Homerum Telemachus dixerat,(*a*) ea maximè probari Auditoribus, quæ plurimum à nouitate commendationis attulerint; in reliquis pariter Mortalium oblectamentis valere qui abnuat; næ humano ille ſenſu deſtitui, communemque vitæ genium ac morem, haud extremi ſine Notâ ſtuporis, videatur neſcire. Nam quid Hominum animis primo illo integræ adhuc nouitatis guſtu, & quaſi flore iucundius? Immo quid, hoc rebus lenocinio detracto, ſatis vſpiam iucundum? Nonne ſuam hinc pulchritudinem habent ſpectacula, amœnitatem loca, remiſſiones gratiam, ipſimet labores dulcedinem? Fac, nulla in conuiuio adſit epularum varietas: Lucullei quoque Apparatus faſtidiũ creauerint. Fac, nullum, niſi thuris, & balſami, halitum nares percipiant: ad tetra & viroſa (*b*) cum Arabum populis ſuffimenta confugient. Fac, plano & æquabili ſemper tractu ambulatio ducatur: vel montium Abrupta(*c*) in ſolatijs habebit, ac votis. Vſque adeo, velut cæli, aquarumque ſinceritatem frequens agitatio tuetur, diuturna tabefacit quies; ſic & voluptas tempeſtiua mutatio-

a Odyſ. 1.
b Plin. Hiſt. Nat. L. 12. c. 17. & Diod. L. 4.
c Ariſt. in Probl.

tatione integratur, quotidiano contra vſu nimiàque aſſiduitate corrumpitur. Verùm, quàm flagrantibus nouitatem ſtudijs, ſapidiſſimum veluti ſuarum cuiuſquemodi oblectationum condimentum, Natura aucupatur; tam ſeueris & triſtibus eamdem Senatusconſultis, tamquam priuatæ, publicæque rei certiſſimam peſtem, Sapientes proſcribunt. Teſtes Romani, apud quos ipſummet eius nomen adeo crimini erat; vt turbulentos, & exitioſos Patriæ ciues ſatis arbitrarentur expreſſos, ſi nouarum appellarent cupidos rerum. Teſtes Ægyptij, (*a*) quorum per leges ne in Picturâ quidem, & Muſicâ, artibus cæteroqui ad ſenſuum oblectationem repertis, noui quidpiam licebat inducere. Teſtis poſtremò (ne ſingulis commemorandis iuſto longiùs orationem producam) celeberrimarum conditor legum, ciuiliſque rei ſcientiſſimus opifex, Plato: (*b*) qui nullum concedi, vel pueris, (occupationis fortaſſe atque ſtudij?) immo neque ludi & remiſſionis patitur genus, niſi Maiorum conſuetudine ſolennique vſu receptum: ſeuerè denuncians, ex permiſsâ hiſce in rebus licentiâ, vt vt nihil ea præter iocum, & puerilem in præſenti leuitatem exhibeat; non leuem impendere atque ludicram vniuerſę ciuitati perniciem. Quid igitur? Nunquamne inſito illi naturæ deſiderio obſecundare fas erit Mortalibus; quin cenſorijs extemplo Sapientum configantur iudicijs & Notis? Erit profectò: idque ipſum iam vobis, Sodales, nuncupata olim renouantibus vota, miro & ſingulari diuinæ cuiuſdam artis beneficio contingit. Cùm primi iſthæc ſacramenti Inſtauratio ita omnem con-

a Plato 2. de Leg.
b Id. 7. de Leg.

contineat, quę nouitati lenocinatur, dulcedinem; vt nullis omnino eiuſdem ſit Incommodis atque vitijs obnoxia: mihique propterea copioſum, ac ſplendidum orationis hodiernæ argumentum ſuppeditet, nihil iam dubitanti, quin planè diſertequè pronuntiem, hanc demum nouitatem eſſe, quæ cum ab omnibus diligi; tum a ſapientiſſimo quoque mereatur probari. Quod vbi (ceu facilè me confido præſtaturum) euincam; pronum erit cuiuis colligere, quanto & proſequendus ſtudio, & habendus ſit in pretio ille ritus, qui vſque adeo feliciter optatiſſimam naturæ iucunditatem cum virtutis conſtantià, integerrimàque honeſtate coniungit.

Quinam igitur (certum vt aliquod inſtitutæ confirmationis fundamentum ponatur) præcipui ſunt fontes, nouarum vnde rerum ſuauitas communiter profluit? Si perſpicaciſſimum naturæ totius indagatorem conſulere, Ariſtotelem, (a) libeat; maiorem ad agendi vim & pręſtantiam illius ſcatebras referet. Voluptas nimirum, quemadmodum noſtro quopiam ex actu ſuam originem ducit; eidem ſic actui naturali reſponſu adæquetur neceſſe eſt, atque congruat, tantò ſeu viuidior, ſeu lentior; quantò ille circa obiectum ſibi Bonum iam acriùs verſatur, iam ſegniùs. Cùm igitur humana quæcunque operatio, primos inter Conatus, ſolidis adhuc viribus polleat, a recenti mox vigore, paulatim languidior, deficiat; quid aliud hinc conſequi poteſt; niſi, vt voluptas ſimiliter, illius Partus, & comes, dum rem primò delibat; experrecto ac vehementi ſenſu animum vellicet, tum porro per eoſdem deceſ-

a Ethic. L. 10. et 4.

deceſſionis quaſi gradus ſeneſcat & concidat?

Nec alter minus certus, atque locuples fons, quem nobis Lucretius, (a) immortalium ille vtinam, cœleſtiumque rerum æquè callidus iudex, ac ſubtilis cæterarum obſeruator, indigitat: vſitata videlicet humanę cupiditatis allucinatio, in abſentibus Bonis ſupra germanum & naturalem illorum modum augendis. Quo ſanè fit, vt maximos inibi fructus, minimum verò laboris & moleſtiæ concipiens, validiſſimo ad ea niſu feratur, paremque ex adeptis voluptatem percipiat: quoad propior, diuturniorque rei Vſus, ſuam intra tenuitatem redactis, quæ ampliora ſpes finxerat, Commodis, contra verò in Medium productis, quæ longinquitas texerat, vitijs; præteritæ perſuaſionis temeritatem redarguat. Tunc etenim animus, minorem iam, minoremque, quàm ſibi promiſerat, præſentis in Boni guſtu oblectationem reperiens; ad alia deinceps, atque alia perſequenda progreditur: eodem in ijs quoque, vt ignotis, praſtigioſæ opinionis ludibrio deceptus, nec minori ipſa quoque, vbi tandem interiùs perſpexerit, damnaturus faſtidio. Nam, *dum abeſt, quod auemus; id exuperare videtur cætera: mox aliud, cùm contigit illud, auemus.*

Sed vbinam inexplebilem illam, altèque adeo noſtris inditam ſenſibus, plura & plura cognoſcendi, immo nihil omnino ignorandi cupiditatem relinquimus? An quidquam vel naturæ hominis proprium magis, vel ad nouitatem commendandam validius? Nempe id genus cupiditas, cùm nullum, niſi nouis in rebus, ſuæ pabulum fami reperiat; ceu ad quiduis explorandum propenſiſſimè rapitur; ſic ab eodem iam

(a) Lib. 3.

iam explorato & comperto, quàm citiſſimè auertitur: nota ignotis ſubinde commutans, nec vſpiam diutiùs quieſcens; quàm plenioris dum quidquam notitiæ aſſequendum ſuperſit: eadem prorſus ratione, qua mellis colligendi ſtudium Hymettios huc, illuc per ſaltus errabundas apes circumagit, & a primo, quem iam delibauerint, flore, ad alium intacti adhuc censûs libandum, recentibus vſque prædis inhiantes, traducit: aut veluti de ſole antiquiores (a) ſomniabant philoſophi, hac illum de causâ perpetuis in orbem conuerſionibus volui; quòd aſſiduo tempeſtiui humoris alimento indigeret: cuius nuſquam locorum ſat vberem copiam inueniens, poſtquam illam, quæ præſto erat, ſuo feruore abſumpſiſſet; ad vlteriorem vlterioremque in Proximo requirendam, integrâ ſemper, nec explebili auiditate vrgeretur.

En itaque nouitatis dulcedinem, quod rei propoſitæ ordo videbatur exigere, ad ſua reuocatam principia aſpexiſtis. Vultiſne iam eamdem, quò hæc omnis diſputatio collimat, ad noſtra deriuatam ſacramenta intueri? Nihil factū procliuius. Quos illius modò fontes attigimus, mecum ſingillatim repetite. Mentiar, ni omnes pleniſsimo huc alueo exundantes videritis. Vt enim a primo, quem agendi perfectio conſtituit, exordiū ducatur; vndenam, rogo, voluntatis illius vigor, quæ ad religioſum concipiendum iusiura ndum vos impulit, interiecto temporis ſpatio elanguiſſe dicendus eſt potiùs, quàm noua firmitatis viriumque incrementa accepiſſe? Num quia diuturnior illum Vſus, & agendi quotidiana contentio paulatim infregerit? Dicat id ſanè, qui neſciat, vel fre-

(a) Apud Ariſt. L. 2. Meteor.

quenti exercitatione virtutis illius voluntatem ac Propoſitum perfici; vel, quò perfectior ſit cauſa; eò perfectiores inde Partus exiſtere. Quem ratio, quem experientia, quem Sapientum authoritas ſaniora docuerunt ſentire; næ is vltro fatebitur, religioſi cuiuſque hominis animum, ceu aſſiduo promiſſæ Deo ſeruitutis vſu impenſiùs quotidiè perficitur; ſic plus etiam habitudinis conſequi, eamdem vt efficaciùs mox diligat, dum iterum ſpondet; quàm inter primam ſponſionem, minoribus tum virtutis, tum diuinæ Gratiæ præſidijs munitus, dilexerit: pomiferæ arbori ſimilis, quæ magis adultos, atque adeo ſapidiores altero, tertioque autumno ſolet fructus progignere; quàm primo, adhuc recens & rudis, nec ſuam ad maturitatem excocta, pepererat: aut illi apud Cheronenſem (a) Philoſophum Lampidi, qui ſollerti labore atque ſtudio florentiſſimas paulatim ad opes prouectus, prima quidem ſibi lucra & exigua, & maximè laborioſa, quæ verò ſubſequerentur deinceps, cum vberiora ſemper, tum faciliora eueniſſe affirmabat. Quemadmodum enim illi, quas initio parciùs ægriùſque congerebat, diuitiæ molliorem ſtrauerunt vberioribus cumulandis quæſtibus viam; ſic primi, quibus obſtrinxiſtis vos Numini, Actus facultatem vobis atque habitudinem præſtant, vt eoſdem mox Nexus tum perfectiori enixàque magis cum voluntate, tum impenſiori (quod iuxta Philoſophi regulam ſequitur) cum animi oblectatione iteretis.

Iamuero de alterà Lucretianà ratione quid memorem? An non ipſa quoque plus multò iucunditatis ex inſtaurando, quàm primùm

ineun-

a Plut. de Rep. Seni ger.

iucundo ſanctioris vitæ Propoſito, hauriri perſuadet? Perſuadet planiſſimè. Cùm enim, iuxta illam, nouitatis commendatio ex amplioris Boni ſpecie ducatur; ſi religioſi ego ſtatûs præſtantiam ab ijs maiorem deprehendi, qui eam diutiùs experiuntur, oſtendero; nullus certè dubitandi ſupererit locus, quin eamdem omnino, quam prima alibi deguſtatio obtinere conſueuit, crebrior hic Vſus, & familiaris conſuetudo delectandi vim habeat. Atqui per ſe ipſam res loquitur, nec vllas ſinuoſæ confirmationis ambages, ſuàmet ſatis luce ſe prodens, deſiderat. Eſto quippe, aſpectabilium ea Bonorum ſit indoles; minus vt amabilitatis in receſſu cōtineant; quàm extimâ ſpecie promiſerint: multòque propterea (ceu de diuitijs, primario eorum inſtrumento, & quaſi compendio, Xenophonteus ille miles (*a*) aiebat) acquirantur, quàm poſſideantur, iucundiùs; ſecus omnino in diuinis atque interioribus euenit Bonis: cœleſtibus nempe aurifodinis, quarum in penetralia qui altiùs experiendo deſcenderit; plus etiā opulentiæ atque fructûs nanciſcitur. Vt planè, quod apud Plutarchum (*b*) in diuerſis liquoribus, oleo, atque melle, notatur diſcrimen, illius nempe optimum eſſe, quod in ſummo primum obijcitur; huius contra, quod in imo extremum ſubſidit; gemina hæc pariter diſſidentium inter ſe Bonorum genera exhibeant: cùm in primis, quod initio ſe offert, maximè arrideat; in alteris verò, quò plus exhauritur; eò ad potiora deguſtans perueniat. Quapropter vſque adeo hic principia conſuetis ad animos capiendos delinimentis non affluunt; vt ſubtriſti quodam

a Xen de Cyri Inſtit. L. 8.
b Sympoſ. L. 7. qu. 3.

dam potiùs horrore accedentes deterreant: ignis exemplo, quem, caliginoſa mordacis inter fumi naſcentem volumina, ferre oculi aſtantium ſine tędio atq; lacrymis nequeunt. Idque adeo Romanus ille philoſophus, Sextius, inſigni documento ſanciuit (*a*): qui, Reipublicæ nuntio remiſſo, vt ſapientiæ vacaret liberiùs; tantis inter nouæ profeſſionis primordia conflictatus fuiſſe intemperijs atque angoribus fertur; vt vix non aliquando, aſſiduæ, intimæque tempeſtatis impatiens, in profundos maris ſe gurgites e Biremi præcipitem dederit. Sed enimuero, ceu tetricis ijs, quæ flammæ Ortum circumſepſerant, nubibus non longum poſt luctamen abſumptis; viuidus tandem atque alacris fulgor ſuccedit; ſic & illas, quibus melioris vitæ veſtibulum obſideri ſolet, moleſtias maior in progreſſu voluptas ſubſequitur: &, ſi de Platonicis olim cœnis appoſitè pronuntiauit Timotheus, (*b*) earum vel poſtridie integrum percipi, & quodammodo reguſtari ſaporem; de interiore hoc Euangelici Patrisfamilias conuiuio nemo eſt, quin, expertus, affirmare iure optimo poſſit, multò illud in poſterum, quàm, dum exhibetur, & iam paſtis, quàm veſcentibus, ſuauius accidere. Quam in rem permittite mihi, Auditores, non illepidum, nec præſenti a loco abhorrentem referre Themiſtoclis, ſapientiſſimi iuxta, fortiſſimique Athenienſium Imperatoris, apologum. (*c*) Nempe is controuerſiam aliquando, feſtum inter, eumque, qui proximus conſequitur, diem, extitiſſe narrabat: & hunc quidem ſe alteri eo nomine anteferendum iactaſſe; quòd ille, in ſacrificijs,

a Plut. De ſuo cognoſc. in Virt. prof.
b Cic. Tuſcul. 5.
c Plut. de Fort. Roman. & in quæſt. Rom. qu. 15.

ficiis, rerumque fruendarum apparatu, & hoſpitum excipiendorum curà occupatus; celebritatem vtique & pompam, ſed tumultu ac ſolicitudine permiſtam haberet: cùm ipſe pridianis reliquijs, otioſus, omnique a perturbatione vacuus, accumberet. Quam Æmuli tranquilliorem lætitiam feſtus dies inficiari minimè eſt auſus: ſed ſibi tamen deberi affirmauit, tamquam ſui opus atque fructum laboris. Ita illi tunc ſanè, hilaritatis lætitiæque pro virili parte Alter ſibi Vſum, Alter Meritum vindicans: ſuiſque in hiſce geminis dotibus ſimiles itidem duas, quibus prima, & ſequentia inter ſe diſtinguuntur religioſorum hominum vota, adumbrarunt. Vt enim id gloriæ concedatur primoribus, quòd, crudas adhuc recenteſque Propoſiti ſui difficultates frangendo, plus egregij conatùs & laboris exhauſerint; ſequentibus certè maior illa & ſincerior denegari nequit voluptas, quæ honeſtis in actibus perdomitas initiorum aſperitates conſueuit excipere: quæque, vt ſupra affirmauimus, de inſità cęterarum rerum principijs ſuauitate vel ideo plus habet; quòd prouectiorem per Vſum ſuis longiùs a primordijs abſceſſit.

Reliquum eſt, vt neque poſtremam nouitatis illecebram, vlterioris nempe fructum ſcientiæ, hic abeſſe oſtendamus. Sed quemnam ad id comprobandum locupletiorem vobismetipſis, Sodales, poſſum teſtem producere: qui adeo non omnem religioſi huiuſce holocauſti notitiam, illud ſemel litando, exhauſiſtis; vt, quoties ſtatis iterandum recurrit temporibus, ſolidum in eodem, prolixas per commentationes penitiùs inueſtigando, bene collocari triduum putetis? Vos itaque meas hìc partes ſuſcipite, & cuicunque, ſi quis fortè adhuc ſu-

ſpereſt, de rei veritate ambigenti palàm exponite, quos nouæ lucis radios,ad pleniùs introſpiciendum ſponſionis priſtinæ pretium, hauſeritis: quas ignotas pridem artes, ad eam ſartam tectam tuendam,veſtro illo in ſeceſſu inueneritis: quàm demum hæc porro acquiſita, recentibuſque ſemper additamentis locupletior cognitio nil præteritæ illi,ex tyrocinij rudimentis allatæ,de iucũditatis prærogatiuà concedat. Nimirũ, ceu flamma, tametſi eamdem,quam initio exhibuerat,& deinceps Sui ſpeciẽ exhibeat; (*a*) nunquã tamen prior, nunquam eadem conſiſtit, ſed, vſque inſtauratas deceſſionum, & ſucceſſionum per vices continenter ſe renouat; ſic quæ vos hodie ſacramenta repetitis, licet nihil omnino a pridem nuncupatis videantur differre; alia tamen, atque alia ſunt ſemper,ſi perfectior de illorum fructibus intelligentia, quæque inde promanat, oblectatio æſtimetur.

Parum tamen commendationis atque Decoris foret, cumulatiſſimam hic affluere nouitatis dulcedinem, ſi permiſtas ea interim ſecum deueheret, quibus infici ſolet,corruptelas & fraudes: ſiue in aberrandi nos aleam conijciens, dum ab exploratis & certis ad ignota, eòque ancipitia viarum traducit; ſiue maturitati & abſolutioni Cœptorum officiens, dum ea nuſquã ſolidè iactis confirmari radicibus ſinit. At nihil eiuſmodi vitijs a noſtrorum inſtauratione votorum remotius. Num enim ab inſtituto illa curſu atque tramite Voluntatem abducit? Immo circa vetus Propoſitum, iiſdem perpetuò inhærentẽ veſtigijs,cõuertit:nihilo admirãdũ minùs cõſtantiæ in hoc ſpecimen præbens; quàm artis ſollertiæque Cyrenæus ille auriga (*b*)præbuerit, dum

a Ariſt. de Iuu. ac Seneſt. c. 3.

b Ælian. L. 2. c. 27.

dũ plures eodem in circo ita orbes flectebar; vt alter, tertiuſque diuersũ nuſquã ſulcum deſcriberet, ſed prioris veſtigia, ne latum quidem vnguem aberrans, remetiretur, altiùſque ſignaret: ideo ſibi conſtans; quia nouus: & toties præclariùs idem; alter quoties ac geminus. Quocirca tantùm etiam huiuſcemodi nouitas abeſt, a ſuſceptis, iuſtam ante maturitatem, deſerendis conſilijs; vt oppoſità prorſus ratione nihil ijs diuerſum adiungat & recens, præter vlteriora ſtabilitatis, perfectioniſque incrementa: peregrinum hoc pacto earum Indiæ arborum miraculum referens, quas apud (a) Strabonem Oneſicritus tradit, poſteaquam duodenùm ad proceritatem cubitorum excreuerint; reflectentibus paulatim ſe ramis, terram denuo comprehendere, nouiſque ibi iactis radicibus, in alterum mox truncum aſſurgere, qui & ipſe, prioris exemplo, poſt iuſtum ſe incrementum aeclinans, tertiam, eodem propagaturam ſe ritu, arborem gignat: cùm vtrobique, quod ex primis conſequitur, eorum non vbertati ſolùm; tot nouis adiectis germinibus; ſed & ſtabilitati, alijs atque alijs defixis radicibus, ſeruiat.

Quæ cùm ita ſe habeant; quidni ego veſtram hanc vobis tam eximiam oppoſitorum inuicem Decorum coniunctionem impenſiſſimè gratuler? Id nempe aſſecutis, quod difficile adeo naturalis hiſtoriæ arbitratus eſt Scriptor, (b) *vetuſtis vt nouitatem, nouis verò authoritatem dare-tis* & pretium. Si ſuauius eſt imperium acquirere, quàm tueri; præſtantius verò tueri, quàm parere; ſtatum hoc iuſiurandum, quo promiſſam vos Deo ſeruitutem, quibusuis potiorem

a L. 15.
b Plin. In Præf. Hiſt. Nat.

imperijs, denuo ſancitis, vtramque procul dubio ſibi vindicat ſortem: dum vnico actu & parandæ primò tam eximiæ felicitatis dulcedinem, & eiuſdem ſimul ſtabiliendæ complectitur decus. Pergite igitur (ceu Romanorum mos Cæſarum (*a*) erat, tranſacto imperij decennio, illius redintegrationem feſtâ omni celebritate peragere) *inſtauratiuum* vos pariter regalis veſtri famulatùs diem, eorum exemplo, geſtientes recolere: quin tantò etiam, quàm ipſi, feſtiuiùs; quantò maiorem ille vobis gaudiorum materiem ſuppeditat, præteritæ ſortis non memoriam ſolùm atque imaginem referens, ſed & poſſeſſionem confirmans. Vnde, quemadmodum initio propoſui, & illa percipitur, quam adeo natura conſectatur, nouarum iucunditas rerum: nec illa imminuitur, quam adeo Sapientes commendant, Cœptorum ſtabilitas: quin vel ideo priori validiùs in Propoſito confirmatur Voluntas; quòd illud, recenti dùm alacritate iterum, atque iterum concipit; in quamdam nouitatis quaſi ſpeciem recudit.

Su-

a Dio l. 53.

Supremæ Argumenta Poteſtatis ad extremæ Imbecillitatis Oſtentationem traducta.

ORATIO XXIV.

De Chriſti Domini morte, & Cruciatibus.

NOuum, nec vllis retro ſæculis cognitum ſingularis miraculi genus exhibet nobis, beatiſſimeP., quam hodiernâ luce ad anniuerſariam comploratione m reuocamus, Seruatoris Dei funeſtiſſima cædes: ſupremæ nimirum documenta potentiæ ad extremæ imbecillitatis oſtentationem deprompta, & ijs diſſimulatam vel maximè Diuinitatem, quibus apprimè declarari ſolet, prodigijs. Cùm enim nullum ſit poteſtatis diuinæ argumentum illuſtrius; admirandis quàm operibus vſitatas naturæ leges inuertere: nullum contra humanæ infirmitatis luculentius indicium; quàm per fœda ſupplicia vltimas naturæ vices ſubire; quò huius imbecillitatis ſpeciem aſſumeret; illius efficacitatis Conatus exeruit, ſuas mirè ingenioſus, & potens ad pœnas, ſummi Vindicis amor: dumque Deo digna facit miracula, vt indigna vel homine patiatur ludibria; non ſtatos ſolummodo naturalis ordinis curſus prodigioſâ nouitate immutauit; ſed inaudito, & admirabiliore portento ipſa etiam ad oppoſitos ſuæ indoli Effectus traduxit prodigia: quæ, cùm antea non niſi diuinæ, hoc eſt ſummæ, maieſtatis ſpecimen forent; hîc, innatum contra morem atque ordinem, in pœnarum ac mortis, extremæ

videlicet humilitatis, inſtrumenta abierunt.

An igitur non id ſingulæ agonis diuini partes luculenter demonſtrant? An non, ſi quodcunque ærumnarum in eo concurrentium genus, ſiue animi angores, ſiue nominis probra, ſiue corporis Cruciatus, ad æſtimationem vocemus; admirandum vbique aliquid, & humanâ virtute maius occurrit, ſummâ vbique diuinorum operum *gloria*, iuxta celebre Laurentij Iuſtiniani (*a*) Pronuntiatum, *militaſſe ad pœnam* deprehenditur?

De primo certè, cuius Gethſemani hortus theatrũ fuit, res nemini dubia; cùm lethalis ille angor, qui Deum ibi Hominem grauiſſimè perculit, omnemque iam tum animo coegit perferre conſequentium diritatem pœnarum; non qualecunque duntaxat miraculum, ſed vel omnium, quæ terrarum vnquam orbis ſuſpexerit, penè maximum mereatur vocari: vtpote quod, præter creatam agendi vim, creatam quoque intelligendi facultatem, excedit: adeoque credi nequit perpetratum humanitus; vt, patrari vel diuinitus potuiſſe, vix a Mortalibus, ni ſupremæ in authoritatis obſequium, credatur. Nam quid inſolentius, noſtræque a rationis captu remotius; quàm, vbi perfectiſſima beatitatis integerrimæ aderat Summa; vel exiguæ ibi locum perturbationi fuiſſe; nedum perturbationi, quæ quantamcunque corporei atrocitatem doloris tranſcenderet; quæ cruenti ſudoris riuos ex omnibus latè membris exprimeret: quæque ſolo Sui ſenſu ad præſentiſſimam mortem, immo & plùs quàm ad mortem, ſufficeret? Cuiusnam authoris vel ingenio excogitari, vel cona-

a De Triumph. Chriſti Ag. c. 19. *Virtus diuinæ fruitionis gloriæ in eo militaret ad pœnam*.

conatu perfici potuit hæc nunquam audita ſummi omnium mæroris cum ſummâ omnium voluptate coniunctio: ita vt idem animus, dum ineffabili totus gaudio implebatur; incredibili totus luctu obrueretur: ſimulque & vniuerſorum ſupra Cælitum ſortem lætiſſimus, & miſerrimo quoque Mortalium ærumnoſior videretur ac triſtior? Nihil eſt, cur quæramus diutiùs. Tam inſigne prodigium, tam vnicum opus, tam incomprehenſibilis Nexus non niſi omnipotentis cauſæ, non niſi infinitæ virtutis, non niſi ſupremi monumentum ſe artificis clamat: planum omnibus faciens, quanto Seruatoris beneficentiſſimi animus exhauriendorum pro noſtrâ incolumitate cruciatuum deſiderio flagraret: dum hoſtium infenſiſſimorum ſęuitiam, quaſi nec feſtinam ſatis, nec validam, prodigioſis ſupplicijs, totoque diuinę ſuæ artis ingenio tum præueniendam, tum congeminandam putauit.

Quæ mora iam igitur, ſacerrime proditor, voſque tali duce digni ſatellites? Agitedum, paratam in prædam irruite: meditatum aggredimini ſcelus: liuorem, odium, immanitatem explete. Datur iam, vel prodigijs eorum contra authorem abuti. Sat ipſe vos docuit, quos tandem ſuorum ex admirabilitate operum fructus requirat. Ita factum omnino. Vltima quæuis probra, certatim in Inſontem congeſta, nil punierunt, præter miracula: nullis, præterquam miraculorum, prouocata ſunt ſtimulis. Teſtis Nota dementiæ, qua Captiui ſilentium traduxit Herodes: tantò ille quidem ad deſpiciendum, quem humili adeo ſub perſonâ intuebatur, facilior; quantò ex prodigiorum ipſius percelebri famâ in maiorem admirandæ nouitatis ſpem venerat. Teſtes affectati no-

nominis regij, meditatique Hieroſolymitano templo excidij atroces calumniæ: quarum alteri nil, præter eximium multiplicatę olim annonę miraculum, occaſionem dedit; altera, nonniſi ex allegorico de anaſtaſi ſua vaticinio, originem duxit. Teſtis ſacrilegus militum furor, ore ad ignominiam velato, alapis ſputiſque coopertum diuinare iubentium, quis percuſſiſſet, in experimentum haud dubiè cæleſtis ſcientiæ, qua toties occultiſſimarum Arcana rerum detexerat. Nam de profanis quid memorem Iudæorum ludibrijs, petulantiſſimè morituro inſultantium, quòd, tam multis Aliorum ſeruatis, crudeliſſimam ipſe ab hoſtibus necem, ſalutis auxilijque prorſus inops, ſubiret? An cuiquam obſcurum, improbiſſimos ſcurras ex admirabili ſupra omne genus languores, humanaſque neceſſitates imperio, ſuperioribus tot ſignis teſtato, nouiſſimę illi exprobrandæ imbecillitatis argumenta ſumpſiſſe? Par erat videlicet, vt ſui exemplum authoris diuina ſequerentur miracula, nec degenerare ſe crederent, ſi ad dedecoris ſpeciem ab ingenitâ ſibi gloriâ tranſiſſent; cùm ipſum viderent, abiectiſſimi perſonâ mancipij ſupremam ęterni rerum omnium Conditoris maieſtatem obnubere.

Iamque & illa, quæ diuinum in corpus ſæuierunt, ſupplicia, originis tam ſplendidæ ambitu incenſa, mihi videor videre: vt eidem nimirum, cui nominis dehoneſtamenta, & interiores Cruciatus, ipſa quoque principio aſſignentur: nec hoſtili tantùm ex odio, ſed ex nobiliori cæleſtique admirandorum operum fonte credantur fluxiſſe. Et verò quidni meritò id ambiant? Quidni ab integro & perito quonis Iudice obtineant? Quando ipſimet Hebrææ

gen-

gentis antiſtites, primarij videlicet ſupplicio-
rum huiuſmodi authores, hanc ijs ſuo, veluti
prærogatiuæ, ſuffragio dignitatem adiudicant.
Ecquid enim, ſi rogentur, cur addictum mor-
ti vitæ authorem voluerint, reſpondere aliud
perditiſſimi homines poſſunt; niſi, quod in
percelebri olim concilio, Hieroſolymis hac
ſuper re habito, ſeu metu, ſeu liuore com-
moti, iactarunt, (a) *Quia hic homo multa
ſigna facit?* Certè hoc tum ibi criminum ca-
put, hęc vna accuſatio, hæc damnationis ex-
templo conſecutæ materies fuit. His confeſtim
a vocibus ad ſanguinaria Decreta, feraleſque
ſententias proceſſum: & latronum vindicanda
pœnis ſunt viſa, quæ aras, quæ victimas, quæ
diuinos honores merebantur, facinora. Vt pro-
inde ſuum illum iam mutare Crux poſſit, quo
ab Inimicis notata eſt, vel amarè inſultantibus,
vel iniquè criminantibus, titulum: proque
*Ieſu Nazareno Iudæorum Rege, Ieſum Nazare-
num Miraculorum Effectorem,* ceu potiſſimam
veriorem que illatæ mortis cauſam, præferre.
Quamquam non hac ſolùm ratione in externis
patientis Dei cruciatibus locum ſibi poſcunt
miracula, quòd ijs occaſionem tribuerint; ſed
multò etiam magis, ſæuiendi quòd ſpatium
produxerint. An verò non produxerunt? Vti-
nam per tempus liceret, ſingularum hinc, quæ
diuinum corpus laniarunt, pœnarum grauita-
tem, vel robuſtiſſimo athletæ conficiendo ſat
validam; tenerrimas hinc, & vel exiguis du-
randis offenſiunculis cereas delicatiſſimi illius,
quia omnium perfectiſſimi, corporis vires exa-
ctiùs perpendere. Sed vos ſaltem vtrumque le-
gitimis præſtantium Scriptorum, qui hæc iam-
pri-

a Ioan. c. 11.

pridem examinarunt, momentis, apud animos veſtros, perpendite. Statuetis haud dubiè, nullo naturę quantouis niſu effici potuiſſe, eiuſmodi vt corpus tot, adeoque mortis efficacia tormenta, breue quàmuis ad tempus, perferret: quòdque omnium eorum intolerabilem lanienam tamdiu ſuſtinuerit; diuinæ prorſus rem opis fuiſſe, nec minori aſſignandam prodigio; quàm, ſi plures idem mortes ad doloris exaggerationem ſubiſſet.

Quid ergo iam reliquum eſt; niſi, vt, dum miraculis, ipſimet nimirum ſuâ luce, obſcuratam Seruatoris Dei maieſtatem aſpicimus; eò impenſiùs charitatem miremur: quæ, paruum quodammodo Sui ſpecimen ducens, vltima omnia pro humano genere perpeti, niſi prodigiosè illa pariter, & naturæ ſupra vim pateretur; vel præclariſſima diuinæ admirabilitatis Inſignia ſuis ſeruire, quà contumelijs, quà cruciatibus iuſſit: inſolentiori longè vſu; ac quo Veterum quidam (a) *venena ſub gemmis claudere, annuloſque habere mortis gratiâ* conſueuerant. Enimuero, qui in hac tam mirabili supremę poteſtatis, extremæque imbecillitatis confuſione non maximum amoris prodigium agnoſcit; maximum ipſe dici meretur hebetiſſimi pectoris, ingratiſſimęque mentis prodigium.

a Plin. L. 33. Hiſt. Nat. c. 1.

Vno in Munere Diuinæ totius Liberalitatis Compendium.

ORATIO XXV.

De Spiritûs Sancti Aduentu.

GRatulandum Orbi terrarum, B. P. Impleta ſunt Mortalium iam vota: immo ſuperata, & Bonorum cumulo feliciſſimè obruta. Exiguum a nubibus petebamus rorem: nectaris profuderunt diluuium. Non quodlibet ex Dei donis, ſed illū ipſum, quo Diuina complectur Trias, ſanctiſſimum, ineffabilem, ſempiternum Amorem, per omnia ſe vitaliter inſinuantem, animæ omnis lætitiæque fontem, accepimus. O in vno munere exhauſtam, quantacunque illa eſt, quæ omni certè vlterior eſt modo, largitatis diuinę opulentiam! Quieſce iam, humana cupiditas, ferientur gemitus, conticeſcant preces. Vel, ſi, poſt tantam in te Diuinitatis effuſionem, adhuc vota ſuperſunt; non Numinis beneficentiam, ſed comprehenſionis tuæ potiùs ampliari vim petas: totam vt excipere valeas, quà minor es, inundantium e cælo immenſitatem Bonorum. Vel enim me ratio cogitantem fallit; vel differendo haud dubiè conficiam, quidquid benignitatis a cæleſti luminum Patre in humanum poteſt genus deſcendere; cumulatiſſimè nobis, perfectamque vel votorum ad ſarietatem, hodierno Charitatis cum Spiritu, fuiſſe impertitum.

Neget id quiſpiam, ſi vllum mihi donum repererit, quod Amoris ſine afflatu & conſortio beandi vim habeat. At o ſuperuacuam inda-

daginem! O fruſtra tentandum deſperatiſſimæ quæſtionis laborem! Fatigari quidem prout velit, quaquauerſum diſcurrere, circumſpicere,& explorare paſſim omnia licebit: Propoſitum aſſequi, conditionem implere, quęſitæ rei veſtigium deprehendere haud vſquam licebit. Siue enim cæleſtia diuinique ordinis æſtimentur chariſmata; quidue ibi, præter quaſdam integerrimi huiuſce ignis ſcintillas, præter quoſdam æterni huius Solis radios, occurret? Seu naturæ circumſcripta limitibus dona expendantur; quidue illa, ſi hoc demum totius Boni ſpiritu careant, impensè adamandum obijcient: ſuopte ingenio vilia, noſtro etiam damnoſa, vitęquæ infelicis potiùs ſolatia, quàm beatæ præſidia? Nihil ſanè ambigendum. Manifeſtiùs rei veritas patet; quàm vt locum quæſtioni relinquat. Quod lux aſpectabilibus formis, quod vitalis Animantibus calor; hoc muneribus vitæ vniuerſis eſt Amor. Felicitatis merum alibi nomen,& inanes exuuias; plenam hic poſſeſſionem atque ſolidos fructus, ipſumquemet nucleum ac medullam inuenias. Vt nullis proinde atrocioribus Diris immaniſſima & vltima quæque promeritum caput deuouere ſe poſſe cenſorius ille Vates crediderit; quàm, ſi vnius ipſi egeſtatem Amoris, quantàcunque in reliquorum affluentiâ Bonorum, optaret: (a) *Poſſideat, quantum rapuit Nero: montibus aurum exæquet: nec amet quemquam, nec ametur ab vllo*: ſplendido huiuſmodi de Amoris vel humani præſtantiâ iudicio luculenter demonſtrans, quid de altero tandem, cęleſti & diuino, ſentire nos deceat: num quidquam ſine [illegible] illo [illegible]

[illegible]

(a) Iuuen. ſat. 12.

illo præclarum, noſtriſque dignum votis cenſere: an beatitatis quodcunque inſtrumentum, & ſinceri ſupellectilem gaudij ab eo vno expectare.

Adde, quòd non omnia ille ſolùm, quæ a Deo diſpertiuntur in homines, Bona ſuo, quaſi formæ cæleſtis, illapſu nobilitat, fouet, ac perficit; ſed ea inſuper vniuerſa ex opulentiæ ſuæ ſinu, ceu multiplices immenſus fons riuos, effundit. Quotus porro quiſque non videt, limpidiores permultò natiuum intrà fontem aquas exiſtere; quàm per alueos & canales decurrant? Certè, ſi Effectus quicunque non alibi meliùs, ac primæuâ in origine, ſuarumque vi cauſarum, noſcuntur; quidni etiam ſupernorum quæuis munerum copia nuſquam alibi pleniùs; ac cæleſti in Amore, illius qui principium, vltimuſque fons eſt, poſſideri dicatur?

Verùm quid ego Diuinorum chariſmatum, cæteræque totiùs liberalitatis complementum, & cauſam hodiernum munus vocaui? Retexere orationem cogor. Nulla præter ipſum liberalitas, nullum eſt donatiuum in ſupremæ Bonitatis Ærario. Totos licet hæc ſinus relaxet, nouiſque & perpetuis ampliorum in dies beneficiorum Fluentis nos proluat; ſola tamen, qua primò diligimur, Charitas gratuitæ largitionis aſſerere ſibi nomen videtur. Quidquid deinceps adiungitur, iuſti potiùs ac neceſſarij penſionem officij vocaueris. Nihil enim non ei animus debet, cui ſuam ſemel dilectionem addixit. Et non amare quidem integrum fuerat: amatum non fouere, non ditare, non aſſiduis beneuolentię ſignificationibus proſequi, minimè licet. Solum itaque Amorem Deo; Amori debemus cætera omnia. Ille nobis liberè datur; illi reliqua ex debito. Vt idem

& maximum, & vnicum dici queat Numinis Donum: cùmque ad nos ſecum deferat quidquid poteſt optari; nihil tamen quodammodo a nobis, niſi ſe, patiatur deberi.

En igitur ſummum, omnibuſque dignum expeti votis, omnia implere vota par munus. Quid hanc præter ſortem flagitandum habeamus Mortales; ſi nihil hanc vltra largiendum vel Numini ſuppetit? Num ampliora cupiditatis noſtræ, quàm illius munificentiæ, ſunt ſpatia? Næ ſuam haud iuſto plùs amat; ſed minùs, quàm par eſſet, intelligit, immo prorſus ignorat felicitatem, quiſquis appetendi, fruendique vim omnem non illud circa Donum conſumit, quo ſuam Deus vniuerſam bonitatem, ac potentiam exhauſit.

FINIS.

Quæ locis notatis mendosè impreſſa ſunt, ad exemplar, quod hic ſubdimus, corriges.

Pag.	Verſu.	
1.	10.	velum,
2.	32.	denuntiet;
3.	3.	dedignetur
12.	10.	vſitatumque
16.	36.	Audita vox **Hannibalis, &c.**
30.	6.	minuendo,
	13.	Sapientiæ
31.	6.	egregium,
33.	7.	iacentium
44.	26.	ſibimet
49.	14.	ſupereſſet
69	5.	excipiunt.
74.	14.	argumentis
134.	7.	honorum, cenſuumue
138.	33.	cor vtique
154.	29.	Tullius
157.	5.	aulicorum
199.	36.	Ælian.
202.	1.	amiſerimus.
207.	vlt.	miſeros
212.	33.	non taciturnum
213.	19.	cęleſtique
	32.	oſtiatim
215.	28.	ſit perſuadere
216.	15.	Intelliget,
225.	32.	cruciatuum
229.	31.	Lampr.
230.	vlt.	præclarius,
232.	16.	contigerit.
242.	6.	tolerantiæ prædicarent

di-

	7.	dicerent,
	8.	artus durities
	9.	vidimus
	20.	calcibus,
248.	9.	Koſtkæ Polono,
249.	34.	fratris furias,
255.	1.	ſteterit
262.	6.	flexos
293.	6.	victrix
303.	23.	nititur.
346.	1.	Nobilitas.
366.	36.	Quidquid materię
374.	4.	obligatis interdicuntur?
392.	18.	& munus iactare
408.	26.	ſumpſeritis:
431.	6.	diſertèque